

P. GABRIEL M. ROSCHINI O. S. M.

MARIOLOGIA

TOMUS I

INTRODUCTIO IN MARIOLOGIAM

SECUNDA EDITIO
REVISA ET NOTABILITER AUCTA

ROMAE
ANGELUS BELARDETTI EDITOR
ANNO MCMXLVII

P. GABRIEL M. ROSCHINI O. S. M.

S. Theologiae Magister

Socius Pont. Academiae S. Thomae Aquinatis et Religionis Catholicae
in Collegio Internationali S. Alexii Falconieri de Urbe Professor

14B

MARIOLOGIA

TOMUS I

INTRODUCTIO IN MARIOLOGIAM

SECUNDA EDITIO

REVISA ET NOTABILITER AUCTA

14-B-6

ROMAE

ANGELUS BELARDETTI EDITOR

ANNO MCMXLVII

Ex parte Ordinis nihil obstat quominus imprimatur.

Romae, die 1 Martii 1947.

FR. ALFONSUS M. BENETTI
O. S. M. Prior Generalis

IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS, Ep. Porphyr.,
Vicarius Generalis Civitatis Vaticanae

REV.MO P. MAGISTRO
ALFONSO MARIAE BENETTI
ORDINIS SERVORUM MARIAE
PRIORI GENERALI
QUI
PRIVILEGIORUM DEIPARAE STUDIUM
MAGNO ANIMI ARDORE
PROMOVIT

PRAEFATIO AD PRIMAM EDITIONEM

Hanc nostram aetatem fore aetatem Mariae, sancti quidam viri haud semel praedixerunt. Iuxta B. Grignon de Montfort, Deus vult, novissimis hisce temporibus, magis magisque revelare et patefacere Mariam, princeps manuum suarum opus, cum de ultimis dirisque diaboli persecutionibus, quae quotidie usque ad Antichristi regnum crescere debent, intelligi debeat illa prophetia simul et maledictio Dei: « Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius ». ¹ Et Ven. P. Chaminade, Societatis Mariae (Marianistae) fundator, sive suis discipulis sive Summo Pontifici Gregorio XVI aperte praedixerat aetatem nostram fore aetatem Mariae, et Mariae triumphum ipsius Christi Ecclesiaeque triumphum allaturum esse. ²

Harum praedictionum veritatem rei exitum comprobasse omnibus patet. Numquam enim, sicut nostris temporibus, de Deipara copiosiora et simul doctiora scripta prodierunt. Plures enim quaestiones anteactis temporibus vix aut ne vix quidem exagitatae, plenam fere nostris diebus evolutionem, collatis viribus, attigerunt, vel magnos saltem progressus perfecerunt. Operae igitur pretium duximus praecipua variarum quaestionum elementa in pleniori luce hucusque posita, in synthesim scholastica methodo, utpote ad rem magis apta, redigere, ad Mariologiae profectum nec non ad plurium, Theologorum praesertim et Oratorum sacrorum, utilitatem. Hoc autem praestare curavimus praesenti cursu Mariologiae, indefesso annorum labore confecto, et in schola et pro schola praesertim orto.

*Universum opus tribus voluminibus constat. In primo hoc volumine **Introductio in Mariologiam** exponitur. In duobus vero subsequentibus voluminibus, **Summa Mariologiae**, in duplicem partem divisa, tradetur.*

Faxit Deus, intercedente Deipara, omnium gratiarum Mediatrice, ut praesens hoc opus, magna animi nostri suavitate compositum, intellectus illustret, corda om-

¹ *Traité de la vraie Dévotion à la S. Vierge*, n. 51.

² Epist. diei 16 sept. 1838, ad Gregorium XVI.

*nium inflammet, ac illud Ecclesiastici in me et in lectoribus omnibus adimpleat: « Qui elucidant me, vitam aeternam habebunt ».*¹

Romae, in Collegio Internationali S. Alexii Falconieri, in festo Assumptionis B. M. Virginis anni 1941.

AUCTOR

PRAEFATIO AD SECUNDAM EDITIONEM

Prima huius operis editione brevissimo temporis spatio exhausta, secunda editio, ob notas difficultates ex bello exortas, statim in lucem edi non potuit.

In hac nova editione, quae quatuor voluminibus constat, opus pluribus in locis funditus retractavimus ad hoc ut lectorum exigentiis melius responderet. Plures lacunas explevimus, dum alia quaedam minoris momenti omisimus.

Gratias ex corde agimus iis omnibus qui consilio nos adiuvarunt.

Romae, die 16 Iulii 1946, in festo B. M. Virginis de Monte Carmelo.

¹ *Eccli*, 24, 31.

PROLEGOMENA

I. QUID SIT INTRODUCTIO IN MARIOLOGIAM

Scopus introductionis in aliquam scientiam est notiones praevias tradere quae viam veluti praeparant postea facilius percurrendam. Talis etiam, consequenter, est *scopus* Introductionis in Mariologiam.

Notiones vero praeviae cuiuslibet scientiae sunt: *definitio*, ad hoc ut natura illius scientiae bene intelligatur; *divisio*, ad hoc ut bene evolvatur; *excellencia*, ad hoc scientia illa existimetur et diligatur; *bibliographia generalis* quae instrumenta laboris prae manibus ponit; *fontes* seu loci ex quibus argumenta desumi valeant; *principia* quae evolutionem eiusdem illuminant et ex quibus conclusiones deducuntur; *historia*, seu summa eorum quae, saeculorum decursu iam elaborata sunt, quaeque expositionis systematicae intelligentiam faciliorem reddunt.

Haec omnia ergo in *introductione* in Mariologiam tradenda sunt. Rite ergo Introductio in Mariologiam definiri potest: « Pertractatio omnium illarum quaestionum quae nos praeparant ad rectam et plenam intelligentiam et ad solidam tractationem veritatum B. M. Virginem respicientium ».

II. INTRODUCTIONIS NECESSITAS

Ex hoc apparet quod saepe modus procedendi, in pertractandis his quae B. Virginem respiciunt, sive in usu fontium, sive in argumentationibus, non est tam rectus et rigorosus, prout ratio scientiae expostulat. Sunt enim qui nimis libere, ne dicam imprudenter, divinae revelationis fontes pertractant, omnes pene normas sanae interpretationis infringentes ad B. Virginem aut inepte extolendam aut irrationabiliter minuendam. Hinc fit ut in Tractatibus Theologiae marianae, opiniones non fundatae aut parum fundatae pullulent, aut opiniones bene fundatae despiciantur. Duplex itaque excessus vitandus est, exaggerandi scilicet et minuendi quae ad B. Virginem pertinent; et media quadam via in cedendum est inter *maximistas* (seu illos qui peccant per excessum) et *minimistas* (seu illos qui peccant per defectum).

Vitandus itaque est ante omnia peccatum *per excessum*, in quod incidunt qui, plus affirmant quam argumentis probare valeant, textus a contextu divulsos ad proprium sentiendi modum pertrahentes, et argumenta quaedam afferentes quae in aliis tractationibus theologicis invalida aut non tam valida censerentur sive ad propositionem aliquam stabiliendam sive ad obiectiones solvendas. Mariologia enim est pars Theologiae, et ideo sicut reliqua Theologia pertractari debet.

Scriptoribus huiusmodi, iure illud Card. Caietani obicitur: « Siste, vir vere devote ac docte, in laudibus ratione fultis » (in III, c. VII, art. 10).

Attamen, contrarius etiam defectus, minuendi scilicet irrationabiliter laudes B. M. V., sedulo vitari debet. Non desunt enim qui, in mariologicis quaestionibus pertractandis, praeiudicatis quibusdam opinionibus ducti, rigidiores sese ostendunt ac in aliis theologicis quaestionibus. Ita fit ut in interpretatione textuum pervium verborum sensum, iuxta contextum determinatum, a priori reiiciant eo quod thesi in eorum mente iam firmiter stabilita repugnat, quin prius crasim eiusmodi textuum instituant. Ita etiam fit ut argumenta quae moraliter certam aut saltem solide probabilem thesim aliquam in honorem B. Virginis reddunt, aut omnino parvipendant aut leviter tantum considerent.

III. INTRODUCTIONIS DIVISIO

Cum *definitio*, *divisio* et *excellencia* et *bibliographia generalis* alicuius scientiae, *praeliminaria* proprie dicta constituant, hanc nostram tractationem in quatuor partes dividimus, videlicet:

Pars I: De praeliminaribus Mariologiae, seu de definitione, divisione, excellentia et bibliographia generali.

Pars II: De fontibus Mariologiae.

Pars III: De principiis Mariologiae.

Pars IV: Brevis historia Mariologiae.

PARS PRIMA
DE PRAELIMINARIBUS MARIOLOGIAE

MARIOLOGIAE DEFINITIO, DIVISIO, EXCEL-
LENTIA ET BIBLIOGRAPHIA GENERALIS

DE DEFINITIONE MARIOLOGIAE

I. **Definitio nominalis.** Scientia quae de Beatissima Virgine pertractat, pluribus nominibus — saeculorum decursu — appellata est. Christophorus De Vega S. I., et alii nonnulli cum eo, doctrinam suam de B. Virgine *Theologiae Marianae* nomine donavit. S. Albertus Magnus *Mariale* nuncupavit doctrinam suam de Deipara in opere, cui titulus: « Quaestiones 230 super Evangelium ... *Missus est Angelus Gabriel* (Luc. 1) »: ita pariter Bernardinus de Bustis.

Attamen scientia de Beatissima Virgine hodiernis temporibus communiter *Mariologia* seu *sermo de Maria* nuncupatur, ex verbis graecis *Μαρία* et *λόγος* (sermo), quemadmodum scientia de Deo *Theologia* (ex *Θεός* et *λόγος*) dicta est. Melius, forsan, *MariAlogia* quam *MariOlogia* nuncuparetur. Sed usus, hodie, sic communiter fert, et usus, iuxta omnes, in quaestionibus philologicis praesertim, quaedam sibi vindicat iura.

At nuper Exc̄mus Antonius M. Iannotta, Episcopus Aquini, Sorae et Pontiscurvi, in opere quod inscribere voluit *Theotocologia Catholica* seu scientia de Deipara, iuxta doctrinam Angelici Doctoris Divi Thomae Aquinatis, methodo scholastica exposita (Isola del Liri, 1924), nomini *Mariologia*, nomen *Theotocologia* praeferendum esse demonstravit. Ratio vero quam adducit est haec. « Per nomen Mariam tantum, in se spectatum, non videtur supernaturalem excellentiam et quamdam infinitam dignitatem Dei Genitricis significari et declarari. Lingua ḡ Syriaca Mariam significare Dominam, seu dominantem gravissimi Patres tradidere. Nomen quod infinitam dignitatem Deiparentis significat, et Patres Concilii Ephesini, Spiritu Sancto afflante, primum adhibuere (*Θεοτόκος*) *Deipara* est. Doctrina itaque de Deipara tractans, ob hoc vocabulum merito videtur donanda esse nomine, absolute suo proprio, *Theotocologia* ».

At, contra hanc rationem, plura animadvertere possumus.

1. Verum quidem est nomen *Maria* explicite non significare infinitam Dei Genitricis dignitatem. attamen, *implicite* saltem illam significat, eo quia cum *Mariam* simpliciter nominamus, nullam aliam personam, nisi virginem et ideo personam infinitae veluti dignitatis omnes intelligimus.

2. Insuper, *Mariae* nomen significare *Dominam*, simpliciter falsum est. De significatione enim nominis *Mariae*, non una est scriptorum sententia. Non desunt enim scriptores qui tenent *Mariae* nomen significare *Matrem Domini* vel « Deus ex genere meo » et ideo *Deiparam*. Ita scriptores Graeci in antiquissimo opere « Onomastica sacra », in quo nominis *Maria* sex interpretationes praebent, inter quas est *Mater Domini*; quae interpretatio deducitur ex vocabulo *iah* (Deus) et ex *Mar* (quod ex radice *harah* significat generare). Haec eadem interpretatio a S. Ambrosio traditur in opere « De Institutione Virginis et S. *Mariae* virginitate perpetua ad Eusebium » scribens. « Spe-

cialia Maria (sic) Domini hoc nomen invenit quod significat: *Deus ex genere meo* ». Iuxta hos scriptores, ergo, *Mariologia* idem esset ac *Theotocologia*.¹

3. Vox *λόγος*, in verbis compositis, communiter adiungitur terminis magis personam, quam personae *qualitatem* significantibus e. g. *Theologia*, *Christologia* etc. Iamvero, terminus Deipara seu *Θεοτόκος* *qualitatem* personae magis quam ipsam personam significat. Hinc vox *λόγος* melius quam voci *Θεοτόκος*, voci *Μαρία* adiungitur, et consequenter, melius *Mariologia* quam *Theotocologia* dicitur.

4. Tandem vox *Theotocologia*, ex vi ipsius nominis, potius *partem* aliquam specialem Mariologiae id est partem quae respicit divinam Maternitatem (sicut [Soteriologia est pars tractatus de Verbo Incarnato) quam universam scientiam de Beatissima Virgine significare videtur.

Alia vero argumenta quae ab Excmo Auctore in favorem vocis *Theotocologia* afferuntur, etiam pro voce *Mariologia* valere, aut fere nihil valere, facile omnibus apparet. Dicit enim:

1. «Eo sibi proprio nomine doctrina certissime donanda, quod totum obiectum eius complectitur. Nomen autem *Theotocologia*, revelationem tum Veteris Testamenti, tum Evangelii complectitur». Sed quaerimus: nonne, et forsitan melius, *Mariologia* nomen totum doctrinae obiectum circa Deiparam complectitur?...

2. «Doctrina, quae scientia est, uti omnium mos est, nomine proprio donatur. unaquaqueque scientia nomen sibi proprium habet. Doctrina de Deiparente, ex [thesi, inferius probanda, scientia est; ergo nomine proprio donanda est. Hoc autem ex eo tantum vocabulo absumendum, quod Deiparam significat (*Θεοτόκος*). Ergo *Theotocologia dicenda est*». Sed respondere possumus: concedimus scientiam de B. Virgine nomine proprio esse donandam; sed, ob rationes superius expositas, negamus nomen huiusmodi scientiae ex vocabulo *Theotocos tantummodo* absumendum esse; aequè bene saltem sumi etiam potest ex nomine B. Virginis *proprio* id est, *Maria* et ideo *Mariologia* nuncupari.

3. «Apud omnes semper receptum est, ut veritates, quae elucubratae sunt de [qualibet re, in quoddam systema colligantur, et nomen proprium scientiae habeant, quod individuo obiectum significat, ex quo eiusmodi veritates deductae et expansae sunt. — De Deiparente hoc etiam factum est: de ea quam maximae veritates divulgatae sunt. Libentissimo animo enim, ac multo impenso labore Ecclesiae Doctores, has ex revelatione Dei meditatae, scripsere et praedicaverunt; quae veritates in antecessum et nunc temporis acceptissimae sunt. Doctrina itaque de Deiparente id nomen necesse est habeat, quod eam significet obiectivam notionem, ex qua veritates elucubratae, et deductae sunt. Atqui hoc «*Θεοτόκος*» est, ergo *Theotocologia dicenda est*». Sed animadverti potest non omnes veritates quae in scientia B. M. V. traduntur ex voce *Theotocos* — prout videbimus — derivari. Insuper, etiam dato et non concessa quod *omnes* aliae veritates ex illa deriventur, iure quaeri posset: quis umquam *Mariae* nomen a maternitate divina, vel mente seiungere valet?... Nonne *Mariae* nomini, *Deiparae* conceptus indissolubiliter inhaeret?...

4. «Ex facto ipso de aliis doctrinis ad res naturae, vel ad homines spectantibus, ius nuncupandi *Theotocologiam*, doctrinam de Deiparente, colligi, perspicere et decerni

¹ Cfr ROSCHINI, in *Marianum* (ephem. Mariologiae), t. I (1939), pp. 75-85.

fas est. Veritates elucubratae de astris, astronomia nuncupantur: veritates de animalibus generatim zoologia nuncupantur, de homine anthropologia, de facultatibus eius animae, *Ψυχῆς* psychologia; et alia id genus. Quare ergo veritates de Deipara (Θεοτόκος) Theotocologia non sint nuncupandae? ». Sed a pari quaeri potest. « Quare ergo veritates de *Maria*, *Mariologia* non sint nuncupandae?... Distinguitur, forsitan, *Maria* a *Deipara*?...» Putamus ergo rationes istas non sufficere ad hoc ut recedamus a *communi usu* scientiam de B. Virgine, ab eius nomine proprio, *Mariologiam* nuncupandi. Eo vel magis quod auribus nostris illud S. Bernardi de nomine Deiparae, iugiter insonat: *Voca Mariam... Non recedat ab ore, non recedat a corde!* (Homil. 2, super *Missus est*, PL 183, 70).

II. Definitio realis. Omnibus rite perpensis, *Mariologia* ita definiri potest: *Pars scientiae theologicae quae pertractat de Matre universali.*

Dicitur: 1) *pars scientiae theologicae.* *Mariologia* enim non se habet ad Theologiam sicut species ad genus, sed ut pars ad totum. Non enim secundum obiectum *formale quo* (revelatio virtualis), sed tantum secundum *obiectum materiale* *Mariologia* ab omnibus aliis theologicis scientiis discrepat. Cum igitur *Mariologia* sit *pars* scientiae theologicae, etiam ipsa, sicut scientia theologica, a) *a Deo docetur*, in fontibus revelationis, in Scriptura nempe et in Traditione; b) *Deum docet*, eo quod Theologia omnia considerat in ordine ad Deum, et nemo, sicut B. Virgo, Mater et Consortis Dei-Redemptoris, relationem tam singularem ad Deum dicit; c) *ad Deum ducit*, eo quod finis B. Virginis Deus est, et simul cum Christo, a quo seiungi non potest, pro omnibus hominibus, est *via* ad Deum.

Dicitur: 2) quae *pertractat de Matre universali.* En obiectum *materiale* disciplinae nostrae. Ex hoc primo et fundamentali principio (seu ex eo quod B. Virgo est *Mater universalis*) omnes aliae veritates cum adnexis praerogativis et privilegiis derivantur. Bene igitur *Mariologia* definitur: *scientia de Matre universali.*

DE MODO DIVIDENDI MARIOLOGIAM¹

Magnum sane est divisionis momentum in re aliqua pertractanda. De divisionum utilitate egregie scripsit Socrates apud Platonem: « Harum ego quoque amator sum, o Phaedre, divisionum et comprehensionum, quo capax sim dicendi et cogitandi; et si quem alium existimem posse in unum et multa perspicere naturalia, huius paene vestigia sequor sicut Numinis: atque illos certe qui possunt hoc facere ... voco hactenus dialecticos » (*Phaed.*, circa finem).

Praemissis igitur variis divisionibus ab aliis propositis, nostram dabimus.

I. DIVISIONES ALIORUM

Mariologia diversimode ab Auctoribus dividi solet. Varias tamen divisiones ad has praecipuas reducuntur, videlicet: 1. *Divisio chronologica seu historica*. — 2. *Divisio liturgica*. — 3. *Divisio artistica*. — 4. *Divisio christologica*. — 5. *Divisio mystica*. — 6. *Divisio classificativa*.

1. **Divisio historica.** Est illa quae ordinem chronologicum sequitur. Tractatus de B. Virgine plerumque in tres partes dividitur, successione temporis colligatas, videlicet, de B. Virgine agitur in statu a) *antecedente*, b) *concomitante* et c) *consequente* nativitatem Christi et maternitatem divinam. In prima parte igitur quaestiones illae pertractantur quae Conceptionem, nativitatem, praesentationem, virginitatem et matrimonium Deiparae respiciunt. In secunda parte, pertractantur quaestiones quae annunciationem, visitationem et virginalem maternitatem respiciunt. In tertia parte quaestiones exponuntur respicientes mortem et assumptionem Deiparae, eius gloriam et cultum etc. Ita procedunt Stamm, Teissonnier etc., et nuperrime P. Plessis S. M. M.

Divisio ista optima videtur pro expositione historica vitae B. M. Virginis, non vero pro expositione organica dogmaticae marianae, quae cum primo quodam principio ad unitatem omnia redigente connecti necessario oportet. Eo vel magis quod non omnia Virginis privilegia ordinem temporis sectando, illustrari valent. Sic, e. g., perpetua virginitas Deiparae antecedit, concomitatur et subsequitur divinam maternitatem eiusdem, ideoque triplici in loco de ipsa pertractari deberet.

¹ Cfr DRUWÉ, S. I., *Position et structure du Traité Marial*, in *Bulletin de la Société Française d'Etudes Mariales*, 1936, pp. 9-46. — Cfr etiam PHILIPON, O. P., in *Bulletin de la Soc. Française d'Et. Mar.*, 1936, pp. 236-245.

Ad hanc divisionem historicam seu chronologicam reduci potest divisio a P. Garcia Garces proposita.¹ Ipse enim a primo principio ab ipso posito profectus (« Maria est Mater Christi totalis »), Mariologiam in tres partes dividit, videlicet: I) *Praeparatio Mariae ad duplicem suam maternitatem*, divinam nempe et spirituales (praedestinatio, sanctitas negativa et positiva, et aliae perfectiones sive corporis sive animae). II) *Maria in exercitio duplicis suae maternitatis*, seu: 1) *Maria Mater Christi veri Dei et veri Hominis*: a) factum maternitatis divinae; b) excellentia; c) modus, seu, virginitas perpetua; d) relationes cum SS. Trinitate. 2) *Maria Mater Christi mystici*: a) maternitas spiritualis; b) corredemptio; c) distributio omnium gratiarum. III) *Gloria quae in Mariam redundat ex duplici eius maternitate*: a) gratia consummata Mariae et ineffabilis eius gloria; b) Assumptio Mariae; c) Regium munus Mariae; d) Cultus et devotio mariana.

Attamen, praeter alia quae animadverti possunt, in hac divisione habetur plena subtractio angelorum influxui Deiparae, cum relationes eius ad homines tantummodo circumscribantur.

2. **Divisio liturgica.** Est illa quae, in expositione privilegiorum Deiparae, ordinem liturgicum, videlicet, ordinem alicuius precis liturgicae sequitur, e. g. *Ave Maria, Salve Regina, Litaniae Lauretanae* etc. Divisionem istam secuti sunt Miechow, Paciuchelli, S. Alphonsus M. de Liguori (in op. *Le glorie di Maria*) etc.

Divisio ista, quamvis valde apta ad fidelium pietatem alendam in variis praedicationis marianae cursibus (e. g. in mensibus maii, octobris etc., in novenis etc.) parum vel nihil apta videtur ad scientificam et organicam doctrinae marianae expositionem.

3. **Divisio artistica.** Est illa quae sequitur ordinem elegantiae et artis (l'estetica). Tractatum de B. Virgine construit ad instar templi. Dividit enim Tractatum in tres partes, B. Virginem considerando 1) *in ordine ad Deum* (maternitas divina, praedestinatio, prophetiae, figurae etc.); 2) *in semetipsa* (varia privilegia Virginis respicientia sive animam sive corpus); 3) *in ordine ad homines* (mediatio, corredemptio, maternitas spiritualis, cultus etc.). Ita plus minusve procedunt card. Lépicier, Herman, Merckelbach, Alastruey etc.

Attamen, divisio ista, magis sensui elegantiae (il sentimento estetico) quam logicae favet. Imo logice sustineri non potest ob plura incommoda. Ita, e. g., quaesti de praedestinatione B. M. Virginis nedum in prima parte (ubi de B. Virgine considerata in ordine ad Deum) sed etiam in tertia parte (ubi de B. Virgine considerata in ordine ad homines) pertractari deberet, eo quod duplex fuit missio ad quam praedestinata fuit Maria: prima relate ad Deum (maternitas divina); secunda vero relate ad creaturas (spiritualis maternitas). Insuper, quaestiones secundae partis (ubi de B. Virgine considerata in seipsa seu de eius privile-

¹ Cfr *Concepción orgánica de la Mariología*, in *Crónica Oficial del Congreso Mariano Nacional*, Zaragoza, 1940, pp. 39-50.

giis) logice pertractari nequeunt antequam quaestiones tertiae partis (ubi de B. Virgine in ordine ad homines) pertractentur, eo quod varia privilegia B. Virgini a Deo collata, proportionata fuerunt non solum missioni eius in ordine ad Deum (prima pars) sed etiam missioni eius in ordine ad homines (secunda pars). Necessario igitur tertia pars uniri debet primae parti et ante secundam partem pertractari.

4. **Divisio mystica.** Est illa quae sequitur ordinem ascensionum animae ad Deum. Iuxta hunc ordinem, B. Virgo praesertim in suo officio Mediatricis consideratur, quatenus omnes gratiae, quarum Trinitas est fons, per Christum pertranseunt et ad omnes animas per manus Deiparae, tamquam per aquae ductum, derivantur. Ex hoc apparet quomodo animae ascensio ad Trinitatem per Christum et Virginem operetur. Hunc ordinem secutus est B. Grignon de Montfort in suo percelebri Tractatu « de vera devotione erga B. Virginem ».

Divisio ista, prout patet, pro tractatibus asceticis aptissima, pro tractationibus stricte dogmaticis minus apta videtur.

5. **Divisio christologica,** quam sequuntur praesertim Theologi Mediae-Aetatis, considerat mysteria B. Virginis cum mysteriis Christi intime connexa. Inter recentiores conferatur Exc̄mus Janssens.¹

a) Exemplum absolutissimum huius ordinis propositum fuit etiam nostris diebus a P. Bernard O. P.² In puncto IV, « Plan, d'après Saint Thomas, d'une Théologie du mystère de Marie », asserit: « C'est dans le sens [le plus formel que je dis qu'il faudrait tirer tout une théologie du Mystère de Marie de celle même du Mystère de Jésus et modeler exactement celle-là sur celle-ci. A vrai dire, ce travail n'est pas fait: il reste à faire, à peu près entièrement. Si Saint Thomas n'a pas donné un grand développement à cette construction, il en a grandement vu le principe, qui est de joindre au Mystère du Verbe Incarné celui de la divine Mère. Je crois donc qu'il nous appartiendrait d'user plus largement du dit principe pour faire avancer la belle théologie que nous cherchons à édifier ». ³

Deinde cl. Auctor, sequens Schema, practice, proponit. Tractatum de B. Virgine, iuxta Tractatum de Verbo Incarnato, in duplicem partem distribuit, videlicet:

- | | |
|---|---|
| A. <i>De his quae pertinent ad Mysterium Verbi incarnati, seu de ipso Salvatore nostro.</i> | A. <i>De ipsa Matre Christi nostri.</i> |
| B. <i>De his quibus salutem consequimur et Christo coniungimur, seu de his quae ab ipso Verbo incarnato habent efficaciam in nobis.</i> | B. <i>De his quae ab ipsa Matre Christi habent efficaciam in nobis.</i> |

¹ *De Verbo Incarn.*, P. II, Mariologia.

² *La Maternité spirituelle de Marie et la Pensée de Saint Thomas*, in *Bull. de la Soc. Franç. d'Et. Mar.*, 1935, pp. 105-110.

³ L. c., p. 105. Idem tenet LÉLOIR in op. *La Médiation Mariale*, p. 113.

In prima parte (A) Auctor ostendere vult quomodo Mater Iesu constituta sit a Deo tamquam incomparabile instrumentum (simul cum Christo, Filio suo) misericordiarum divinarum et nostrae salutis in Christo. Haec prima pars subdividitur in duplicem sectionem, videlicet: 1) De modo unionis ad Verbum Incarnatum, et de his quae consequuntur hanc unionem; 2) De his quae Mater Christi egit et passa est.

In prima sectione (*de modo unionis...*) considerantur:

1. *Ipsa unio*, i. e. relatio matris ad Filium.
2. *Ex parte personae assumentis*, i. e. Verbum Dei unigenitum.
3. *Ex parte assumpti*, considerando:
 - a) quae sunt *assumpta*. 1) in carne, foecundata virginitas; 2) in mente, verissima sanctitas.
 - b) quae sunt *coassumpta*: plenitudo gratiae, magna scientia, quaedam omnipotentia.

Relate ad ea quae *consequuntur unionem* considerantur consequentia:

1. Quantum ad ea quae Mariae conveniunt in Christo Iesu i. e. a) adiutorium simile; b) consortium plenarium.
2. Per comparisonem ad Deum ipsum: a) affinitas ad Patrem; b) praedestinatio nec non adoptio; c) subiectio ad Deum; d) oratio, sacerdotium
3. Per comparisonem ad nos: a) hyperdulia qua eam colimus; b) mediatio qua nos in Christo parturit olim in terris, et nunc in caelis.

In secunda sectione (*de his quae Mater Christi egit et passa est*) tria — iuxta ordinem S. Thomae — considerata veniunt, videlicet:

1. De his quae pertinent ad ingressum et ad progressum Christi in hunc mundum: a) Per mysterium Immaculatae Conceptionis qua Maria praeparatur; b) per mysterium Annuntiationis qua fit particeps Incarnationis.
2. De his quae pertinent ad exitum Christi ex hoc mundo: a) Per mysterium Compassionis qua fit Corredemptrix; b) per mysterium Assumptionis qua conglorificatur.
3. De his quae pertinent ad exaltationem Christi post hanc vitam: Quomodo Maria semper sit vivens ad interpellandum pro nobis.

Relate ad *Secundam partem* (B), quae pertractari deberet ad modum quaestionum 60 et seq. tertiae Partis Summae Th., P. Bernard nullum in concreto tractationis ordinem proponit, sed ad quaestiones praecipuas quae in hac parte pertractari possent simpliciter, potius inquirendo quam aliquomodo definiendo, alludit (cfr l. c., pp. 112-114). Munus centrale Mariae, in hac secunda parte est: « de faire que Jésus, le chef, la tête puisse s'accroître dans les membres et es membres les joindre et s'accoler à leur divin chef, Marie a pour fonction d'aider le Christ à christianiser le monde » (l. c. p. 113).

b) Alius ordo christologicus propositus est a P. Philipon.¹ Auctor iste Mariologiam considerat tamquam aliquid in se, quoad doctrinam, completum, et aliquo modo independens. Dico *aliquo modo*, quia Mariologia a Christologia, per quam definitur, seiungi non potest. « L'ordre christologique de la *Somme théologique* — animadvertit P. Philipon — pourrait nous guider. Il ne s'agit pas d'un

¹ Cfr *Bull. de la Soc. Franç. d'Et. Mar.*, 1936, pp. 236-245.

simple décalquage servile et naïf. Il y faudrait une transposition par analogie non pas seulement des conclusions mais surtout des principes directeurs qui animent l'architecture toute spirituelle de cette dernière partie de la Somme, chef d'œuvre méthodologique du génie de saint Thomas. Résolument, il faut construire: appliquer à la mariologie la notion aristotélicienne de science et les principes de méthode exposés par Aristote dans les *Seconds Analytiques*. Une véritable création».¹

Hoc posito, P. Philipon, huius ordinis scientifici specimen praebet quod ita resumitur potest. « *Perfecta ratio uniuscuiusque rei colligitur ex omnibus causis eius* » (II-I, q. LV, art. 4). Quaelibet igitur scientifica cognitio alicuius rei ad hoc reducitur ut sciamus: 1) eius *existentiam* (*an sit*); 2) eius *naturam* (*quid sit*); 3) eius *proprietas* (*qualis sit*). Es ordo generalis quem sequitur S. Thomas in suo studio circa Christum.

Maternitas divina easdem partes habet in *Mariologia* ac *unio hypostatica* in *Christologia*.

1. *Existentia maternitatis* divinae nobis nota est per fidem, ideoque scientificè inquirendum est non iam de possibilitate, sed de eiusdem *convenientia* tantummodo. Prima igitur quaestio Mariologiae versatur circa *convenientiam* maternitatis divinae, sive a) *ex parte Dei*, sive b) *ex parte hominum*, cum maternitas divina, iuxta Thomistas, si maternitas *essentialiter corredemptiva*.

2. Ad *Essentiam* mysterii maternitatis divinae seu ad *causam formalem* enucleandam, tria essent rigorese distinguenda:

a) *potentia generativa* matris, transcendentaliter specificata per intrinsecum ordinem ad Filium generatum qui, in realitate ontologica proprii mysterii, extrinsece manebit;

b) *actio generativa* Mariae, quae ipsi Filium praebet;

c) *relatio praedicamentalis* quae exurgit et ad ipsam Filii Dei personam per se et directe terminatur, Mariam veram Dei Matrem constituendo.

3. *Proprietates* (quae post essentiam logice considerantur), in duplicem veluti classem distribui possunt: 1) proprietates quae consequuntur maternitatem divinam per viam *altissimae convenientiae*, posita finalitate essentialiter corredemptrice huius maternitatis; et proprietates quae rigorese cum essentia ipsa connectuntur in ordine significationis logicae, essendi et operandi nec non loci quem B. Virgo tenet in consilio divino sive relate ad Deum, sive relate ad Christum et ad nos.

1. Inter proprietates prioris ordinis (quae conveniunt Mariae tamquam Dei et hominum Matri), numerari videntur a) plenitudo quaedam extraordinaria perfectionum gratiae, scientiae, potentiae, quae cum sua qualitate purae creaturae componi possit, et simul b) *infirmities* illae quibus « homini dolorum » appropinquatur pro salute nostra.

2. Inter proprietates alterius ordinis (quae rigorese cum essentia divina connectuntur) 1) considerari potest in ordine *significationis logicae*: *nomen Mariae*, et praesertim titulus Matris Dei, eo quod ad Theologum pertinet de formulis, fidei mysteriis exprimentibus, iudicare; 2) considerari potest, *quomodo in ordine essendi* B. Virgo simplex creatura permaneat; ad ordinem enim hypostaticum non pertinet *ontologicè*, sed tan-

¹ L. c., p. 237.

tummodo *reductive*, ratione termini specificativi suae operationis; ¹ 3) in *ordine operandi*, considerari potest qualitas meritoria suae activitatis sive pro seipsa (de *condigno* in ordine ad vitam aeternam) sive pro aliis (de *congruo*, quidquid Christus promeruit de condigno); considerari hic etiam potest eius satisfactio, oratio etc.

Consideratis proprietatibus B. Virginis in *seipsis*, logice considerari possunt *relate ad aliud*, id est, 1) *relate ad SS. Trinitatem a) in generali* (dependentia, vita orationis, adorationis etc., non vero sacerdotii), et *in particulari* (speciales affinitates cum Patre, cum Filio et cum Spiritu S.); *b) reciproce*, id est relationes Trinitatis cum Matre Dei (praedestinatio et adoptio); 2) *relate ad Christum* (principium consortii); et 3) *relate ad nos* videlicet *a)* nos relate ad illam (cultus hyperduliae) et *b)* Illa relate ad nos (Mediatrice universalis). Quaestio de Mediatrix universalis, claudens et veluti synthetice primam partem mysterii mariani referens, viam praeparat ad secundam partem in qua de diversis mysteriis vitae B. Virginis agitur, videlicet: 1) *de immaculata conceptione* et de plenitudine gratiae; 2) *de vita eius in Templo*; 3) *de matrimonio cum S. Ioseph*; 4) de temporali adimplerione *maternitatis divinae* per mysteria *annunciationis, conceptionis virginis, natiuitatis Christi*; 5) *de vita corredeptrice Nazarethana*; 6) *de compassione in Calvario* per modum meriti, satisfactionis universalis; 7) *de Pentecoste* et de partibus Mariae in Ecclesia primitiva; 8) *de Assumptione* et 9) quomodo *in suo mysterio maternitatis*, B. Virgo magis magisque operetur, per exercitium iugiter actuale maternitatis gratiae, ad parturitionem Christi totalis et ad consummationem totius in unitate.

Ordo christologicus, prout ex duobus allatis exemplis apparet, nimis implexus, parum perspicuus videtur.

6. **Divisio classificativa.** Haec divisio variis modis concipi potest: *a)* Quidam (e. g. KURZ, *Mariologie oder Lehre der Katholischen Kirche über Maria, die seligste Jungfrau*, Regensburg, 1881), varia elementa doctrinae marianae disponunt iuxta gradum certitudinis dogmaticae (ita ut ante omnia exponantur veritates a Magisterio ecclesiastico *definitae*, et deinde conclusiones quaedam explicitiores *certae*, et tandem *opiniones* quae sunt iuxta sensum universalem fidelium). *b)* Alii vero (e. g. CONTENSON, *Theologia mentis et cordis*, t. III, Dissert. 6 Mariologia, ed. Vivès, 1875, pp. 259-300) varia Virginis privilegia ad quadruplicem veluti classem logice reducunt, prout respiciunt ordinem *a)* naturae, *b)* gratiae, *c)* gloriae, *d)* ordinem hypostaticum. Talem ordinem (naturae, gratiae et gloriae) secutus est etiam S. Bernardinus Senensis in suo Sermone « de Salutatione Angelica » (LII in Quadrages., *de Christiana Religione*. Cfr FOLGARAIT, *La Vergine Bella in S. Bernardino da Siena*, Milano, Ancora, 1939, pp. 41-42, in nota). Ordo iste, in se, *exclusive* inspectus, haud pauca incommoda praesefert.

Attamen, divisio haec magis aureolae cuidam (casellario) alicuius officii quam divisioni logicae et scientificae respondet.

¹ Cfr circa hanc quaestionem NICOLAS, O. P., *L'appartenance de la Mère de Dieu à l'ordre hypostatique*, in *Bull. de la Soc. Franç. d'Et. Mar.*, 1937, pp. 145-182.

II. DIVISIO NOSTRA

Praecedentibus divisionibus quae, prout iam diximus, parum logicae aut inadaequatae seu nimis particulares et exclusivae nobis videntur, divisionem praeferimus *stricte scientificam*, divisionem nempe quae *ordinem causarum* sequatur.

Hoc posito tractatus de B. Maria Virgine in triplicem partem dividi potest, secundum quod B. Virgo consideratur *in sua missione*, in *semetipsa* et *in suo cultu*. Ratio huius primae et generalis divisionis in hoc sita est, quod omne agens agit propter finem, et fini aptat varia media. Deus igitur, in creatione Mariae, finem seu missionem aliquam ei assignavit, et huic fini seu, huic missioni congruenter, omnia naturae et gratiae privilegia aptavit. Necesse igitur est ut consideratio de B. Virgine antea circa finem seu missionem ipsi a Deo concreditam versetur, et consequenter ad privilegia (fini seu missioni proportionata) naturae et gratiae, respicientia corpus et animam eiusdem convertatur. Post haec autem sponte exurgit quaestio de cultu B. Virgini a nobis exhibendo. Logice, igitur, *Tractatus de B. Virgine* in tres summas partes dividitur, videlicet: I. **De B. M. Virgine considerata in sua missione** (sive erga Creatorem ipsum sive erga creaturas); II. **De B. Virgine considerata in semetipsa** seu in suis privilegiis, missioni concreditae correspondentibus; III. **De B. Virgine considerata in suo cultu**.

Prima pars. Missio B. Virginis duplex est, videlicet, erga Creatorem (Maternitas divina) et erga creaturas (maternitas spiritualis). Haec autem duplex missio consideratur: I) in aeterno decreto praedestinationis divinae; II) in manifestatione huius aeterni decreti per prophetias; III) in actione eiusdem per realem maternitatem et mediationem; IV) in immediatis consecrariis huius missionis: universalis *Mediatio* et universalis *Regalitas*.

Secunda pars (de B. Virgine considerata in semetipsa) subdividitur in tres sectiones, videlicet:

1. *In prima sectione agitur de his quae respiciunt animam B. M. V.*, i. e. 1) carentia cuiuslibet imperfectionis, seu immunitas a) a peccato originali, b) a quolibet vel minimo peccato actuali, c) a fomite concupiscentiae; 2) praesentia cuiuslibet perfectionis, i. e. a) plenitudo gratiae, b) virtutum, c) donorum Spiritus S., d) fructuum Spiritus S., e) beatitudinum, f) charismatum seu gratiarum gratis datarum.

2. *In secunda sectione agitur de his quae respiciunt corpus B. M. V.*, i. e. a) de perfectione corporali, b) de passibilitate, c) de mortalitate.

3. *In tertia sectione agitur de his quae respiciunt animam simul et corpus B. M. V.*, i. e. a) de Virginitate, et b) de assumptione et glorificatione B. M. V.

Tertia pars (*De B. Virgine considerata in suo cultu*) subdividitur in duas sectiones, videlicet:

1. *In prima sectione* agitur de cultu mariano considerato sive in sua constitutione interna sive in variis formis quibus exprimitur.

2. *In secunda sectione*, consideratur in sua historia, seu, in sua origine et in sua historica evolutione.

Divisio haec, prout facile patet, est *stricte scientifica* eo quod ordinem causarum sequitur. Etenim: ad hoc ut rem aliquam plene cognoscere valeamus, necesse est causas eiusdem cognoscere, videlicet, sive causas eius extrinsecas (finalis et efficiens), sive causas eius intrinsecas (materialis et formalis) rem in seipsa constituentes. Scientia enim est cognitio rei per suas causas. Si quis ergo B. Virginem vult plene cognoscere, quadruplicem causam eiusdem debet necessario perspicuas habere. Iamvero ita praecise in nostra Mariologiae divisione procedimus. Consideratur enim, ante omnia, *causa finalis* B. Virginis, seu *duplex missio* ad quam ab aeterno praedestinata est, sive relate *ad Creatorem* sive relate ad creaturas. Ad hanc singularissimam missionem (seu ad hunc finem) ab aeterno *a Deo* (causa eius *efficiente*) praedestinata est. Causa vero *materialis et formalis* B. Virginis sunt corpus eius et anima cum variis eorundem singularibus privilegiis a Deo collatis intuitu finis seu singularis missionis Ipsi concredita: quae omnia B. Virginem in seipsa constituunt. In prima parte igitur sermo fit de causa *finali et efficiente*, in secunda vero parte de causa *materiali et formali* B. Virginis. In tertia tandem parte, ad modum corollarii duarum partium praecedentium, consideratur positio nostra coram B. Virgine ad talem singularem missionem destinata et talibus singularibus privilegiis ornata, et ideo logice *de cultu B. Virginis agitur*. Divisio ergo quam sequimur stricte logica et scientifica, imo unica vere *scientifica* nobis videtur.

MARIOLOGIAE MOMENTUM SIVE EXCELLENTIA

Mariologiae momentum ex triplici capite deduci potest, ex Mariologia nempe considerata 1) *in seipsa* seu in proprio obiecto; 2) in ordine ad *ipsam Theologiam*, et 3) in *ordine ad nos*.

I. **Mariologiae momentum in suo obiecto consideratae.** Agitur enim de supremo et praestantissimo Dei opere (il *Capolavoro di Dio*), de opere nempe quod « solus Artifex supergreditur », et quod « solo Deo excepto, cunctis superior extitit » (*Orat. de laud. S. Mariae Deip.*, inter op. S. Epiphaniï, PG 43, 478). Iuxta Pium IX B. Virgo est « veluti ineffabile Dei miraculum, imo omnium miraculorum apex » (in Bulla *Ineffabilis Deus*). Gratiae enim omnes, dona et privilegia omnia, pulchritudines omnes quae in omnibus aliis creaturis dispersa admirantur, in Ipsa una collecta inveniuntur, iuxta illud Aligherii « In Te s'aduna — quantunque in creatura è di bontade » (Par. 33, 21).

Pulchre B. Ludovicus Grignon de Montfort: « Dieu le Père a fait un assemblage de toutes les eaux, qu'il a nommé la mer; il a fait un assemblage de toutes ses grâces, qu'il a appelé Marie. Le grand Dieu a un trésor ou un magasin très riche, où il a renfermé tout ce qu'il y a de beau, d'éclatant, de rare et de précieux, jusqu'à son propre Fils; et ce trésor immense n'est autre que Marie, que les saints appellent le trésor du Seigneur, de la plénitude duquel les hommes sont enrichis.

« Dieu le Fils a communiqué à sa Mère tout ce qu'il a acquis par sa vie et sa mort, ses mérites infinis et ses vertus admirables, et il l'a faite trésorière de tout ce que son Père lui a donné en héritage; c'est par elle qu'il applique ses mérites à ses membres, qu'il communique ses vertus et distribue ses grâces; c'est son canal mystérieux, c'est son aqueduc, par où il fait passer doucement et abondamment ses miséricordes.

« Dieu le Saint-Esprit a communiqué à Marie sa fidèle Epouse ses dons ineffables, et il l'a choisie pour la dispensatrice de tout ce qu'il possède; en sorte qu'elle distribue à qui elle veut, autant qu'elle veut, comme elle veut et quand elle veut, tous ses dons et ses grâces, et il ne se donne aucun don céleste aux hommes qu'il ne passe par ses mains virginales. Car telle est la volonté de Dieu, qui a voulu que nous ayons tout par Marie; car ainsi sera enrichie, élevée et honorée du Très-Haut celle qui s'est appauvrie, humiliée et cachée jusqu'au fond du néant par sa profonde humilité, pendant toute sa vie. Voilà les sentiments de l'Eglise et des saints Pères ».¹

¹ *Traité de la vraie dévotion à la S. Vierge*, n. 23-25.

Iamvero, ex hoc excellentissimo obiecto excellentia cognitionis eiusdem, etiam minimae, logice omnino deducitur iuxta illud S. Thomae: « De rebus nobilissimis, quantumque imperfecta cognitio maximam perfectionem animae confert » (C. G., L. I, c.5).

II. Mariologiae momentum in ordine ad ipsam theologiam speculativam – magnum sane est. Huius enim veluti compendium dici potest. Per accuratam enim Mariologiae cognitionem melius nobis innotescit universa scientia de Deo, cum quo B. Virgo singularissimo modo, prae ceteris omnibus creaturis, coniuncta invenitur. Etenim, 1) melius intelligitur tractatus *De Deo Uno* in iis praesertim quae opus praedestinationis, creationis et gubernationis respiciunt, cum Beatissima Virgo prima sit inter omnes Dei creaturas. 2) Melius intelligitur tractatus *de SS. Trinitate*, ob mirabiles et prorsus singulares relationes quas B. Virgo cum tribus personis SS. Trinitatis habuit. 3) Melius intelligitur, praesertim tractatus *de Verbo Incarnato et Redemptore*, cuius tractatus Mariologia necessarium complementum dici debe., eo quod neque Incarnationem neque Redemptionem sine Ipsa Deus perficere voluit. 4) Melius intelligitur tractatus *de Gratia, de virtutibus* etc. – quibus omnibus B. Virgo cumulatissima fuit.

Iure igitur meritoque aiebat Suarez: « Ego post ipsius Dei ac Christi cognitionem, nullam aut utiliore, aut viro theologo digniorem esse existimo. Neque intelligo cur de gratia angelorum, deque illorum meritis ac statu viae, ac denique de eorum gloria, ceterisque scientiae et gratiae donis et ministeriis seu officiis tam accurate theologi disputent; de angelorum vero regina eiusque dignitate, gratia, scientia, meritis ac singulari felicitate, longe maiori diligentia disserendum non sit, cum haec doctrina et per se dignior ac iucundior, et ad pietatem magis sit accommodata, et — ut Aristoteles dicit — melius sit de rebus altioribus vel pauca coniectare quam inferiores certitudine etiam mathematica cognoscere, eo vel maxime quod maior ac certior cognitio potest de gratia et gloria B. Virginis, quam Angelorum, ex principiis fidei ratiocinando, colligi » (in III S. Th., *de Mysteriis Christi*, praefatio).

III. Mariologiae momentum relate ad nos. Recta enim et plena intelligentia huius doctrinae, 1) cognitionem et amorem Dei, 2) cognitionem et amorem Christi, 3) cognitionem et amorem Deiparae omnibus facilem reddit.

1) Ex creaturis, enim, ad Creatoris existentiam et naturam etiam aliquatenus cognoscendam, tamquam ex effectibus ad causam ascendimus; sed inter omnes creaturas quae ex Dei infinita sapientia et potentia prodierunt, Beatissima Virgo procul dubio excellit, cui magna fecit qui potens est. Ex ipsa, ergo, tamquam ex excellentissimo omnium effectu, Deum, supremam causam, magis quam ex omnibus aliis rebus, homines cognoscere valent. Iure igitur meritoque S. Germanus Patriarca Constantinopolitanus scribebat: (Maria est) « Dei ac Verbi animatus et mundissimus tomus, in quo sine voce et sine scripto inceptor ipse Deus ac Verbum quotidie legitur » (*Orat. in Deip. Nativit.*, ap. Combefis, p. 1310 A-C.).

Pulchre Dionysius Carthusianus ostendit quomodo Dei sapientia, bonitas et potentia ex Maria praesertim dignosci possint. « In tribus perfectum est unumquodque et idoneum ad operandum: in scire, velle et posse, ut sit scientia non obtenebrata, voluntas non invidiosa, et potentia non impedita. A magno nobilique Platone id ipsum dictum est. Porro in omni operatione Dei haec tria relucent. In eo quippe quod rem de non esse ad esse traducit, manifestatur potentia; in ordine vero, sapientia; atque in eo quod omnia propter semetipsum (sine meritis videlicet rerum) condidit, bonitas splendet. — Sed in sublimi Virgine haec plenius contemplari par est. Nempe, in primis, nulla est pura creatura in qua eatenus uti in Maria haec tria elucescunt. Bonitas namque Dei, in donis suis, quae gratuito praestat, patenter innotescit: quoniam se communicare atque diffundere, boni proprietates est. Ideoque, quo divinitus sacrae Virgini plura gratiarum dona impertita sunt, eo utique Dei bonitas lucidius in ipsa resplendet. Et quidem, si universorum tam naturae quam gratiae dona perscrutentur, non comparebit comparabile illi ... Praeterea, in eo Dei sapientia refulget in Maria, quoniam per eam ordinatissimo prorsus processu, salvis temperatisque Dei aequitate atque clementia, hominum est reparata felicitas ... Attenditur autem virtus operantis ex distantia terminorum sui operis. Omnis enim operans, ab aliquo orditur et in quodam quiescit. Unde, quo principium seu terminus a quo operis, longius a termino ad quem seu a fine distat, eo fortior opportuna est in agente potestas. Ideoque, quum non esse ab esse infinite distat (quippe quorum nulla est comparatio) non nisi habenti immensam potentiam creatio competit. Si itaque quemadmodum Dei in Maria refulgeat potentia scire molimur, quid ei ex se et per naturam, et item quid per gratiam ipsi conveniat, speculari oportet .. » (*De praeconio et dignitate Mariae*, Lib. I, art. 21, pp. 501-502, *Opera* t. 35, Tornaci, 1908).

Et Georgius De Rhodes scribebat: « Cupis nosse Deum: Mariam lege ut librum, intuere ut speculum, ut imaginem contemplare » (*Disputationes Theologiae scholasticae*, tract. VIII, *De Maria Deipara*, p. 205). Maria est *echo Dei* fidelissima, est manifestatio omnium maxima Dei et attributorum eius, pulchritudinis, sapientiae, potentiae, bonitatis etc.

2) At, praeter Dei cognitionem, studium Beatissimae Virginis, Domini ac Redemptoris nostri cognitionem omnibus facilem reddit, non solum quia Beatissima Virgo Christo simillima est, sed praesertim quia ab Ipso Christo quodammodo inseparabilis est, nedum ab aeterno, in decreto praedestinationis divinae, sed etiam in tempore, ita ut ob arctam ac veluti individuum sanguinis amoris et missionis societatem, ab ipso Christo seiungi non possit. Nam, si Christus sol — aiebat Hesychius — Maria coelum; si Christus gemma, Maria arca; si Christus flos, Maria planta.¹

Iure asserebat Pius X Deiparam « maximo certissimoque esse adiumento ad Christi notitiam atque amorem » (*Ad diem illum*, in *Actes de Sa Sainteté Pie X*, t. 1, p. 80).

¹ PG 93, 1465.

3) Tandem, B. Virginis studium cognitionem et amorem ipsius Deiparae nobis facilem reddit. Ignoti enim nulla cupido; et ideo solummodo ex plena Deiparae cognitione plena honoris, gratitudinis, amoris, invocationis, servitutis et imitationis exhibitio exurgere potest. Ex Mariologia enim plene cognita, plene apparet magnitudo, pulcritudo Deiparae, ac bonitatis erga nos pene infinitus thesaurus. Ex ipsa praesertim apparet pars omnino singularis Mariae in vita nostra supernaturali quae ab ipsa, causa secundaria, una cum Christo, causa primaria, omnibus datur, conservatur et perficitur, ita ut B. Virgo, una cum Christo, centrum veluti teneat vitae nostrae supernaturalis.

Nec silendum Mariologiae studium, myrrhae electae instar, animos illorum qui in illud incumbunt, ineffabili quadam suavitate coelestique dulcedine perfundere, ita ut exclamare cogantur: « O Sancta, o benedicta ... dulcis es in ore te laudantium, in corde te diligentium, in memoria te deprecantium » (*Orat. LIII, ad S. Virg. Mar.*, inter Op. S. Anselmi, PL 158, 960).

Iure cl. P. Cordovani scribebat quod Mariologia « è la parte più delicata, come la perla della scienza teologica » (*Angelicum*, 9 [1932] 211). Et Card. Pie: « Marie est toute la beauté du dogme catholique; elle est toute la grâce de la foi et de la vérité » (*Œuvres sacerdotales*, Paris, 1891, II, serm. 44: Sur le charme de la dévotion à la sainte Vierge, pp. 718-730).

MARIOLOGIAE BIBLIOGRAPHIA GENERALIS

I. Scripta bibliographica

Bibliographia Mariana critica et completa nondum habetur.¹ Existunt tamen opera quaedam bibliographica quae, si simul sumantur, Bibliographiae generalis defectum aliquo modo supplere valent. Sunt autem sequentia:

1. MARRACCI H., *Bibliotheca Mariana*, 2 voll., Romae 1648. In hoc opere quamplura inveniuntur quae reici deoent et ideo valde caute in illius usu procedendum est.

2. ROSKOVANY A., *B. Virgo Maria in suo conceptu immaculata ex monumentis omnium saeculorum demonstrata*. In hoc opere 9 voluminibus constante, 25.000 circiter scripta mariana recensentur a saec. I usque ad annum 1880. Etiam in hoc opere tamen haud raro sensus criticus deest.

3. CHEVALIER U., in opere *Répertoire des Sources historiques du Moyen Age Bio-Bibliographia* quamplurima scripta mariana enumerat.

Hic autem varii *Tractatus de B. Virgine*, in genere recensetur.

Tractatus plus minusve completi de B. Virgine recentioris sunt originis. Antea enim quaestiones de B. Virgine in Tractatu de Verbo Incarnato tradebantur; quae vero speciatim tractabantur absque scientifico et systematico ordine prout etiam hodie a quibusdam fit exponebantur. Hinc ante saec. XVI speciales Tractatus de B. Virgine non habentur.

Praecipua vero opera circa Doctrinam Marianam in genere haec sunt:

ALASTRUEY GREGORIUS, *Mariologia sive Tractatus de Beatissima Virgine Matre Dei*, t. I, Vallisoleti, 1934, t. 2, 1942.

ALBRECHT, *Die Gottesmutter*, Freiburg, 1913.

ALÉS (D') A., *Marie, Mère de Dieu*, in *Dict. Apol.*, t. 3, coll. 115-209.

ANONYMUS, Soc. Mariae, *Tractatus theologicus de B. Maria Virgine*, Taurini, Marietti, 1868, ed. 2.

BARTMANN, *Maria im Lichte des Glaubens und der Frömmigkeit*, Paderborn, 1925.

BERNARD O., P., *Le mystère de Marie*, Paris, 1933.

¹ Praeparatur tamen a Patribus Ordinis Servorum Mariae Collegii Internationalis S. Alexii Falconieri de Urbe.

- BOCCAZZI C., *Prontuario di Teologia Mariana*, Cremona, 1944, in-16, pp. 230.
- BOSIO A., O. F. M., *Catechismo Mariano*, «Trattato di Mariologia», Venezia, 1931.
- BOUCARUT, Vic. Gen. Nemausensis, *Theologia de SS. Virgine Maria*, 1869.
- CAMPANA EMILIO, *Maria nel dogma cattolico*, ed. 4, 1936; *Maria nel culto cattolico*, due voll., Torino, ed. 2, 1944, a cura del P. G. Roschini O. S. M., Marietti.
- CAPPELLAZZI, *Maria nel dogma cattolico*, Siena, S. Bernardino, 1904.
- CAROLO (DE) A., *Theolocologia, seu Institutio de Virgine Dei Genitrice Maria*, Neapoli 1845.
- COROMINAS JUAN, *Mariologia, o sea: Tratado de las grandezas de la Madre de Dios*, Lérida, Carruez, 1875.
- CONBRUGGHE (VAN), *De B. V. Maria*, Gand, Scheerder, 1913, in-8°, pp. 216.
- DEMARET, O. S. B., *Marie de qui est né Jésus*, I. Maternité divine et prédestination. – II. L'Immaculée Conception. – III. La grâce de Marie, Paris, 1937, 3 voll. in-8°, pp. 284, 262, 230.
- DEPOIX P. HENRI, *Tractatus theologicus de Beata Maria Virgine*, Paris, Lud. Vivès, 1899.
- DOUROHE P. G., dei Servi di Maria, *La tutta Santa*, Roma, 1929.
- DOURCHE P. G., dei Servi di Maria, *La tutta Santa*, Roma, 1929.
- DUBLANCHY, *Marie*, in *Dict. de Théol. Cath.*, t. 9, coll. 2349-2355; 1370-2379; 2390-2391.
- GARRIGOU-LAGRANGE R., O. P., *Mariologie. La mère du Sauveur et notre vie intérieure*, Lyon, 1941.
- GARRIGUET, *La Vierge Marie*, Paris, 1924.
- GORRINO, *Maria SS. Madre di Dio e Madre nostra*. Note critiche di Teologia, S. E. I., 1937.
- GUTBERLET, *Die Gottesmutter*, Regensburg, 1917.
- GOUTHIER CHARLES, S. I., *Marie et le Dogme*, Paris, 1820.
- GRISAR, S. I., *Marienblüten*, «Systematische Marienlehre», Innsbruck, pp. 108.
- HAENLEIN ANDR. IOS., *Mariologia*, 1859.
- HURTER HUGO, S. I., *Mariologia*, 1878.
- JAMAR, *Theologia Mariana*, Lovanii, 1896.
- JANNOTTA A., *Theotocologia Catholica*, Isola del Liri, 1925.
- JANSSENS AL., *Die Heilige Maagd en Moeder Gods Maria*, Anvers, Standaard, 1928-1932, 4 voll.
- KEUPPENS I., Soc. Miss. Africae, *Mariologiae compendium. Deipara Mediatricis*, Antuerpiae, 1938, in-8°, pp. 241.
- KURZ A., *Mariologie oder Lehre der Kath. Kirche über Maria die seligste Jungfrau*, Regensburg, 1881, pp. VIII-283.
- LENNERZ H., S. I., *De B. Virgine*, Romae, 1939, ed. 3.

- LÉPICIER Card. A. E., O. S. M., *Tractatus de B. V. Maria Matre Dei*, Parisiis, Lethielleux, 1926, ed. 5.
- MANIO, *La Vergine Madre*, Novara, 1904.
- MAZZOLA I., *De Beata Virgine, Disputationes historico-theologicae*, Torino, 1845.
- MERKELBACH H., O. P., *Mariologia*, Parisiis, 1939.
- MONSABRÉ, *La Vierge Marie*. Principaux extraits de ses œuvres, Paris, Lethielleux, 1934, p. 220.
- MORINEAU S. M. M. *La Sainte Vierge*, Paris, 1929.
- MUELLER IOS., S. I., *De SS. Dei Matre, sive Mariologia*, Oeniponte, 1918.
- NEUBERT E., S. M., *Marie dans le dogme*, Paris, 1933.
- NEUKIRCH VON M., O. M. Cap., *Kleine theologisch-p aktische Mariologie*, Leipzig, 1925 pp. 136.
- NICOLAS, *La Vergine Maria*, 3 voll., S. E. I., 1933.
- NIGIDIUS PLACIDUS, S. I., *Summa Mariologiae*, 1602.
- NOYON A., *Mariolatric*, in *Dict. Apol.*, t. 2, coll. 302-331.
- NOVATI I. B., *De eminentia Deiparae Virginis Mariae*, Romae, 1637.
- OSWALD H., *Dogmatische Mariologie*, Paderborn, 1850.
- PALUDANUS I., *Apologeticus Marianus*, Louvain, 1623.
- PETITALOT S. M., *La Vierge Mère, d'après la théologie*, 2 voll.
- PLESSIS A., S. M. M., *Manuale Mariologiae Dogmaticae*, 1943.
- POHLE-PREUSS, *Mariology*, St. Louis, Mo., 1926.
- PORTOCARRERUS PHIL., S. I., *Tractatus de B. V. Deipara*, 1926.
- RAMONI, *Theologia Mariana*, 3 voll., 1921, Retaux, 1904.
- ROSCHINI P. GABRIELE, O. S. M., *Il Capolavoro di Dio. « Piccola Mariologia »*, ed. 3, Torino, Marietti, 1944.
- Id. *Istruzioni Mariane*, Roma 1944, Soc. S. Paolo.
- SCHEEBEN M., *Sistematische Mariologie*, Vertaald door H. B. Van Waes, S. I. met inleiding en aantekeningen van Eug. Druwé S. I., Brussel, 1938.
- SEDLMAYR, *Scholastica Mariana*, apud BOURASSÉ, *Summa Aurea*, t. 7.
- SCHUTZ, *Summa Mariana*, Paderborn, 1908.
- STAMM CRIST., *Mariologia*, Paderborn, Junfermann, 1881, pp. XIII-666.
- TERRIEN I. B., S. I., *La Mère de Dieu et la Mère des Hommes*, Paris, 1900-02, 4 voll.
- VASSALL-PHILIPPS, C. SS. R., *The Mother of Christ*, London, 1920, pp. 524.

Alia scripta mariana maioris momenti circa quaestiones mariologicas particulares, in decursu tractationis passim laudabuntur.

Inter Ephemerides Theologicas specialissima mentio meretur MARIANUM (*Ephemerides Mariologiae*) inde ab anno 1939 a Patribus Ordinis Servorum Mariae (Viale Trenta Aprile, n. 6, Roma) editum. In ipso enim quidquid Mariologiam scientificè tractatam respicit invenitur.

PARS SECUNDA
DE FONTIBUS MARIOLOGIAE¹

¹ Cfr ALAMEDA S., O. S. B., *La Mariología y las fuentes de la revelación*, in *Estudios Marianos*, vol. I, 1942, pp. 39-100.

Fontes Mariologiae seu loci Theologiae Marianae — sicut et loci Theologiae in genere — ad tres reducuntur: *Magisterium Ecclesiasticum*, *Scriptura* et *Traditio*.

Magisterium Ecclesiasticum fons est *subiectivus et directivus*. Scriptura vero et Traditio fontes sunt *obiectivi et constitutivi* Revelationis divinae. Etenim, iuxta Tridentinum et Vaticanum (Sess. III, c. 2, Denz.-B. 1787) supernaturalis Revelatio continetur: 1) in *libris scriptis* et 2) sine scripto *traditionibus* « quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt ».

Agendum igitur est de doctrina Mariana: 1) *Magisterii Ecclesiastici*, 2) *S. Scripturae* et 3) *Traditionis*.

DE DOCTRINA MARIANA MAGISTERII ECCLESIASTICI

Primus Mariologiae fons — sicut et Theologiae in genere — constituitur a Magisterio Ecclesiae sive extraordinario sive ordinario. Fons iste est omnium aliorum fontium ditissimus, limpidissimus et facillimus. Est omnium *ditissimus* eo quod nullus alius fons, sicut iste, tot elementa constructiva exhibet. Est insuper omnium *limpidissimus* eo quod elementa ab ipso offeruntur auctoritative iam elaborata. Est tandem omnium *facillimus* eo quod elementa ab ipso oblata prae manibus omnium, facili negotio, inveniri possunt.

Ad Ecclesiam enim, et peculiari modo ad eiusdem Caput, Christus munus concedit infallibiliter docendi doctrinam quae ducit ad vitam aeternam. Ad Ecclesiam eiusque Caput Christus commisit depositum Revelationis divinae, Apostolorum morte clausum, ad hoc ut illud — prout docuit Concilium Vaticanum — sancte fideliterque custodiat, uberius exponat, infallibiliter declaret, pressius definiat (Const. *De Fide*, coll. Lac. VII, 284 ss. passim). Magisterium igitur Ecclesiasticum prima et proxima norma dicenda est non solum Fidei sed etiam Theologiae.

Prima igitur cuiuslibet Theologi operatio in fidei recursu ad magisterium vivens Ecclesiae, sive solemne sive ordinarium, reponi debet, ad hoc ut rite cognoscere valeat quid de B. Virgine doceat Ecclesia. Sub luce et ductu Magisterii Ecclesiastici — cui perennis Spiritus Sancti adsistentia promissa est — theologus sive positivus sive speculativus procedere debet: theologus quidem positivus ad textus scripturísticos et patristicos recte interpretandos; theologus vero speculativus ad data fidei, a Scriptura et Traditione exhibita, systematizanda, perscrutanda, et evolvenda ope rationis et sanae philosophiae, ad hoc ut ratio « fide illustrata ... aliquam Deo dante mysteriorum intelligentiam, eamque fructuosissimam, assequatur » (*Conc. Vatic.*, Denzinger, 1796).

Hoc posito, doctrina Magisterii Ecclesiastici circa B. Virginem in variis Bullis, Encyclicis et documentis Marianis Romanorum Pontificum praesertim invenitur. In ipsis enim synthesis quaedam uberiorque explicatio habetur aliorum fontium theologorum, Scripturae nempe et Traditionis. Invenitur etiam doctrina Magisterii in S. Liturgia. Agendum igitur erit seorsim: I. De doctrina Mariana RR. Pontificum; II. De Liturgia Mariana.

Praecipui Romani Pontifices¹ qui de B. Virgine, saeculorum decursu, scripserunt, sunt:

¹ Cfr *Bullarium Marianum* apud BOURASSÉ, *Summa Aurea*, t. 7, coll. 1-639. Doctrina Mariana Episcoporum per orbem catholicum dispersorum invenitur praesertim in Decretis Conciliorum, quae etiam referuntur a BOURASSÉ, o. c., t. 7, coll. 641-765.

I. DE DOCTRINA MARIANA ROMANORUM PONTIFICUM

1. **S. Leo Magnus** (440-461) in suis operibus (PL 54-56) de B. Virgine quaedam habet. De eius perpetua virginitate ante partum, in partu et post partum praesertim agit (PL 54, 195 s.). Docet quod B. Virgo in Incarnatione Verbi ministra tantum fuit corporeae substantiae (l. c., 80). Ipsa fuit virga de radice Iesse vaticinio Isaiae praenunciata (l. c., 206). Contra Manichaeos qui Christum « de Maria Virgine negant corporaliter natum » insurrexit (l. c., 206).¹

2. **S. Gregorius Magnus** (c. 540-604) docuit, inter alia, ita Mariam concepisse et peperisse Verbum Dei, ut eadem esset Virgo simul et Mater Dei, Christumque aliud ex Patre, aliud ex Matre, et non alius (PL 76, 90). Explicat quid Christus, Matrem quasi non agnoscendo (Matth., 12, 46-50), significaret (l. c., 1086). Pulchra et profunda de natura maternitatis divinae habet. « Ipse creavit matrem in cuius virgineo utero ex humanitate crearetur. Quid ergo mirum si aequalis est Patri, qui prior est Matre? » (l. c., 1193). Pulchre exponit quomodo B. Virgo ancilla et mater Domini sit: « Ancilla ... Domini, quia Verbum ante saecula unigenitus aequalis est Patri; mater vero quia in eius visceribus ex Spiritu Sancto de eiusdem carne factus est homo. Nec alterius ancilla, alterius mater, quia dum unigenitus Dei existens ante saecula ex eius utero natus est homo, investigabili miraculo facta est et ancilla hominis per divinitatem, et mater Verbi per carnem. Non autem prius in utero Virginis caro concepta est, et postmodum divinitas venit in carnem; sed mox ut Verbum venit in uterum, mox Verbum, servata propriae virtute naturae, factum est caro. Et perfectus homo, id est in veritate carnis et animae rationalis, natus est per uterum Virginis unigenitus Filius Dei » (PL 77, 1207 s.).²

3. **Innocentius III** (1160-1216) in suis sermonibus *de Nativitate S. Mariae* (PL 217, 497-505), de *Purificatione gloriosissimae semper Virginis Mariae* (l. c., 505-513), de *Annuntiatione B. Mariae* (l. c., 521-525), de *Assumptione B. Mariae* (l. c., 575-581; 581-585), de *Nativitate B. Mariae* (l. c., 585-587) nec non in *Encomio de beatissima Virgine; Maria et Filio eius Iesu Christo* (l. c., 915) et in hymno « *Salve mundi spes Maria* » (l. c., 918); pulchra de virginali maternitate, redemptione et sanctitate B. Virginis habet. Pauca tantum hic delibamus. « Hodie novum fecit Dominus; super terram, mulier circumdedit virum; ¶(Ier. 31) gremio uteri virginalis. Mulier, sed intacta; mater, sed virgo. ¶Haec in utero dedit puerum, sed virum; infantem, sed Deum. O vere novum, quod hodie fecit Dominus super terram; quia stella solem, creatura Creatorem, filia patrem concepit.

¹ *Sermo de Annuntiatione B. M. V.* (PL 54, 508-511) dubiae est authenticitatis.

² Apocryphum est *Comm. in I Librum Regum* in quo B. Virginem monti sublimi comparat (PL 76, 25). In Libro *Dialogorum* apparitionem B. Virginis ad puellam narrat (PL 77, 348 s.).

Hoc fecit, ut aeternus sit temporalis, simplex compositus; et mortalis sit immortalis ... ut nasceretur de matre sine patre, qui de patre natus est sine matre. Hodie simul descendit et ascendit; sed Deus descendit in hominem, et homo ascendit in Deum » (*In solemn. Annuntiat.*, PL 217, 522).

« *Ave*, quia per te mutabitur nomen Evae. Illa fuit plena peccato, sed tu *plena gratia*. Illa recessit a Deo, sed *Dominus* tecum. Illa fuit maledicta in mulieribus, sed *benedicta tu in mulieribus*. Fructus ventris illius fuit maledictus Cain, sed *fructus ventris tui erit benedictus Iesus*. Per illam mors intravit in orbem, sed per te vita rediit ad orbem ... » (*In solemn. Purific.*, PL 217, 506).

« Haec est virga recta, virga erecta, procera, fragilis, gracilis, flexibilis, frondosa, florigera, fructifera. Recta per iustitiam, erecta per devotionem, procera per longanimitatem, fragilis per abiectioem sui, gracilis per humilitatem, flexibilis per mansuetudinem, frondosam per sanctissimam conversationem, florigera per virginalem conceptionem, per partum vitae aeternae fructifera. Recta per fidem, erecta per spem, procera per charitatem, fragilis per pudorem, gracilis per despectionem mundi, flexibilem per compassionem proximi, frondosa per bonorum operum executionem, florigera per gloriam virginitatis, fructifera per praerogativam fecunditatis. Miranda fecunditatis praerogativa quod talis talem taliter genuit. Gracilis virgo ante partum, et virgo post partum » (*Encomium*, PL 217, 915). — « Castellum illud quod *intravit Iesus*, est virgo Maria, quando « Verbum caro factum est et habitavit in nobis » (Ioan. 1), sicut angelus illi promiserat ... Sane in hoc spirituali castello, quod est Dei genitrix Virgo Maria, murus exterior est virginitas corporis: turris interior est humilitas cordis ... O felix virginitas, quam ornat humilitas; c felix humilitas, quam honorat virginitas! Humilitas ornat virginitatem, ne sit superba: virginitas honorat humilitatem, ne sit despecta. Est ergo virginitas humilis, ne exstollatur: est humilitas virginalis ne contemnatur » (*Serm. 27, in Assumpt. B. M.*, PL 217, 576-578).

« Ipsa est *aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum, acies ordinata*. Luna lucet in nocte, aurora in diluculo, sol in die; nox autem est culpa, diluculum poenitentia, dies gratia. Qui ergo iacet in nocte culpae, respiciat lunam, deprecetur Mariam, ut ipsa per Filium cor eius ad compunctionem illuminet. Quis enim devote invocavit eam, et non est exauditus ab ea? Ipsa est « mater pulchrae dilectionis et sanctae spei » (Eccli 24). Quia vero « militia est vita hominis super terram » (Iob 7) ... quicumque sentit impugnationem ab hostibus, vel a mundo vel a carne, vel a daemone, respiciat castrorum aciem ordinatam, deprecatur, Mariam, ut ipsa per Filium « mittat auxilium de sancto, et de Sion tueatur » (Psal. 19) » (*Serm. 29, in Nativ. Mariae*, PL 217, 584-586).

4. **Bonifacius IX**, qui anno 1390, in Bulla *Superni benignitas Conditoris*, pro institutione festivitatis Visitationis B. M. V., agit de eiusdem praedestinatione ad divinam maternitatem corredeptricem nec non de praerogativis etc. Ait enim:

« Superni benignitas Conditoris, humanam creaturam ad similitudinem suam creatam misericordii pietate respiciens, eam collapsam fore primi parentis lapsu considerans, illam miro decrevit consilio relevandam, ut scilicet Verbum supernum, quod erat in principio, eam a mortis nexibus liberaret. Igitur pii Patris, qua nos dilexit charitas, temporis veniente plenitudine, Verbum ipsum aeternum sub forma servi carnem nostrae mortalitatis assumere, ut eandem mortem nostram moriendo destrueret, ac damnationis sententiam simul et maculam, quam per reatum primi hominis generis humani posteritas incurrisset noscebatur, clemens Verbi aeterni bonitas aboleret. Quapropter de clara stirpe regia Davidica praelegit Virginem, in cuius utero mystico spiramine Verbum ipsum carnem susciperet, ut egrederetur iuxta verbum propheticum, Virga de radice Iesse, et Flos de radice eius ascenderet (Isa. 9, 1), et requiesceret Spiritus Domini super eum, perfectam Reginam inclytam Matrem eligens, quae tanto Regi digna fuit sui corporis thalamum praeparare, de quo tanquam sponsus prae filiis hominum procederet speciosus, locum Nazareth, quae *flos* sive *sanctitas* dicitur, ad suam conceptionem elegit, in quo per angelicae Salutationis eloquia ipsius incarnati Verbi mysteria, miraue fuerunt solemnita celebrata. Ibi enim sumpsimus nostrae redemptionis exordia, ibique primum dies sanctificationis inuixit, qui nobis de salute spem intuit, et de aeternitate laetitiam. In hoc etenim tantae fecunditatis loco Virgo regia venustissima a Domino conservata, Flos sanctitatis, Vas coelestis gratiae mundissimum, omnium virtutum floribus redimita, cuius pulchritudinem sol et luna mirantur, Redemptorem gentium Virgo concepit, datura lucem gentibus sub ortis caligine constitutis ». Et postea: « Haec est enim illa de qua sacra canunt Elogia, Sole amicta, lunam habens sub pedibus stellis coronari meruit duodenis. Haec est enim illa quae in suis castis visceribus coeli terraeque gestavit Opificem, et sola cunctas haereses interemit, et pro Christiano populo ut Advocata strenua et exoratrix pervigil ad Regem quem genuit intercedit » (apud BOURASSÉ, l. c., coll. 30-32).

5. **Eugenius IV** – Anno 1439, in Bulla *Exultate Deo* pro concordia Armenorum cum Ecclesia Romana, declarabat B. Virginem esse vere Theotocos (cfr BOURASSÉ, l. c., pp. 42-43). In Bulla vero *Cantate Domino*, pro concordia Iacobitarum cum Eccl. Romana, docet B. Virginem esse non solum Christotocos sed etiam Theotocos (l. c., col. 44).

6. **Pius V** (1566-1572) damnavit errorem (73) M. Baii (Denz., n. 1073): « Nemo praeter Christum, est absque peccato originali: hinc B. Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque eius afflictiones in hac vita sicut et aliorum iustorum fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis ».

7. **Leo X**. In Bulla *Pastoris aeterni*, a. 1520, docuit *perpetuam* virginitatem Deiparae nec non officium *advocatae* pro nobis apud Christum (Bourassé, l. c., col. 47).

8. **Sixtus V**. In Bulla *Dum ineffabilia*, a. 1585, scribebat:

« Dum ineffabilia meritorum insignia, quibus Dei Genitrix beata Virgo Maria Regina coelorum gloriosa, sedibus praelata sidereis, tanquam stella matutina praeutilat, devotae considerationis indagine perscrutamur, et inter arcana pectoris revolvimus,

quod ipsa utpote Mater misericordiae, Mater gratiae et pietatis, humani generis Amica et Consolatrix; pro salute fidelium qui delictorum culpa praegravantur; sedula Exoratrix, et pervigil ad Regem, quem genuit et maternis lactavit uberibus, intercedit, dignam, quin potius debitum arbitramur, ut ecclesias, et capellas, ac confraternitates in eius honorem erectas et institutas, gratiosis remissionum prosequamur impendiis» (BOURASSÉ, l. c., coll. 106-107).

9. **Paulus V.** In Bulla *Immensae bonitatis*, a. 1615, de Deiparae praedestinatione, praedictione ac praefiguratione et privilegiis haec habet:

« Immensae bonitatis creator omnium Deus, cuius admirabili providentia cuncta reguntur, cum ita dilexisset mundum, ut pro illius redemptione dare decrevisset Filium unigenitum, ad tam magnum et ineffabile implendum mysterium, ex omni creatura Mariam Virginem purissimam atque sanctissimam de regia stirpe praelegit. Hinc Spiritus Sancti virtute et sicut pluvia quae de rore coeli in vellus descendit, obumbrante, fecit Unigeniti sui Genitricem, unaque cum uberrima fecunditate florem virginitatis illibatum perpetuo conservavit, cuius virtutem et pulchritudinem sol et luna mirantur, natura obstupescit, infernus quoque contremiscit. Ipsa enim tot figuris, tot prophetarum visionibus ac vaticiniis antea praemonstrata, et a sanctis Patribus diu exspectata, tandem veniens splendore virtutum et gratiarum omnium ornata, salutifera fecunditate sua liberavit nos a captivitate, ac serpentis capite contrito, sole amicta, lunam habens sub pedibus, victrix et triumphatrix duodecim corona stellarum coronari, ac super choros angelorum exaltata, Regina coeli et terrae appellari promeruit.

« § 1. Igitur dum praecelsa meritorum insignia, quibus ipsa Virgo Dei Genitrix gloriosa sedibus illata sidereis, quasi stella matutina refulget, nos piaae considerationis indagine perscrutamur, dum etiam intra pectoris arcana revolvimus, quod ipsa uti Mater misericordiae pro Christiano populo sedula exoratrix, et pervigil ad regem quem genuit, intercedit, quodque eandem sacratissimam Virginem in omnium rerum difficultatibus ac operibus nostris semper invenimus adiutricem, ac innumera quae largitor Altissimus nobis contulit beneficia, piis illius precibus credimus accepisse, dignum quin potius debitum arbitramur, ut sicuti Redemptor noster et Deus ipsam sacratissimam Virginem sublimavit in coelis, ita eam nos quantum possumus honoremus in terris » (apud BOURASSÉ, l. c., coll. 173-174).

10. **Clemens XIII.** In Bulla *Quantum ornamenti* a. 1760, haec de Deiparae intercessione scribebat:

« Quantum ornamenti ac praesidii semper regnis accesserit ex insigni pietate erga Deum ac beatissimae Virginis Mariae veneratione, ex quibus coelestes omnes benedictiones promanant, optime intelligentes ... » (apud BOURASSÉ, l. c., col. 389).

11. **Pius VII.** In Bulla *Id officii debent* a. 1801, asserit B. Virginem dolores suos acerbissimos, stantem praesertim iuxta crucem, pro fidelium salute aeterno Patri obtulisse (cfr. BOURASSÉ, l. c., col. 495).

In Bulla vero *Tanto studio* a. 1805, haec de Virginis intercessione scribebat:

« Tanto studio, tantaque charitate beatissima Virgo Maria nobis omnibus divinam opem obtinere gestit, ut, quemadmodum per ipsam Deus descendit in terram, ita etiam per ipsam homines ascendant in caelum. Quoniam vero mortalium iniquitas divinam indignationem in se quam saepissime concitat, eadem Deipara est *Arca foederis sempiterni, ut non interficiatur omnis caro*; reliquorum namque coelestium incolarum preces divinae benignitati dumtaxat, Mariae vero preces materno etiam cuidam iuri innituntur. Quare ad divini sui Filii thronum ipsa accedens, Advocata petit, Ancilla orat, Mater imperat » (apud BOURASSÉ, l. c., col. 495).

In Bulla *Quod divino afflatu*, a. 1806, pro ampliacione privilegiorum Ecclesiae Florentinae SS. Annuntiatae O. S. M., haec de B. Virgine dispensatrice omnium gratiarum scribebat:

« Quod divino afflata spiritu beatissima ac gloriosa Dei Genitrix Virgo Maria de se ipsa praenuntiavit generationes omnes beatam illam nuncupaturas, id sane non modo prioribus Ecclesiae saeculis impletum novimus, cum toto terrarum orbe ad eius honorem templa aedificata fuerint, atque arae erectae, verum etiam aucta quotidie magis fidelium pietate erga amantissimam Parentem nostram, ac gratiarum omnium dispensatricem, maiori semper devotionis ardore, alia aliis successerint monumenta pietatis et quaedam praesertim loca inscrutabili Dei consilio, constituta sint, in quibus peculiari Beatae Virginis intercessione quaedam mira eveniunt, quae in aliis haud aequae contigisse novimus » (apud BOURASSÉ, l. c., col. 546).

In Bulla tandem *Praesentissimum sane*, a. 1830, haec de spirituali Maternitate B. M. V. docebat:

« Praesentissimum sane patrocinium nemo unus, qui fiduciae plenus ad Mariam confugit, non expertus est; ipsa enim Mater nostra, Mater pietatis et gratiae, Mater misericordiae, cui nos tradidit Christus in cruce moriturus, ut sicut ille ad Patrem, ita haec apud Filium interpellaret pro nobis. Iure igitur eam variis titulis decoratam vel, mysteriis expressam piorum hominum societates, et sacrae familiae germanae religionis sectatores ferventi pietate coluerunt, in eiusque tutelam ac fidem suppliciter se receperunt: iure etiam illas inter recensendae sunt, quae Mariam Perdolentem peculiari cultu venerantur » (apud BOURASSÉ, l. c., col. 579).

12. **Gregorius XVI.** In Bulla *Praesentissimum sane* a. 1832, idem plus minusve repetit ac Pius VII (cfr. BOURASSÉ, l. c., col. 589).

13. **Pius IX** in percelebri Bulla *Ineffabilis Deus* diei 8 dec. 1854, in qua Immaculatam Conceptionem tamquam fidei dogma definivit, plura ad scientiam Mariologicam spectantia exposuit. Praecipua sunt: 1) *Praedestinatio* B. Virginis, cuius primordia « uno eodemque decreto cum divinae Sapientiae incarnatione fuerunt praestituta », et quidem *post* praevium protoparentum lapsum (cfr Bulla

apud BOURASSÉ, l. c., col. 628); 2) *Immaculata Conceptio*, «intuitu meritorum Christi Iesu Salvatoris humani generis»; 3) *plenitudo perfectionum et gratiae*, ex eo quod «sola tota facta est domicilium universarum gratiarum, et quae, solo Deo excepto, cunctis superior extitit... cui praedicandae caelestes et terrenae linguae minime sufficiunt». Ipsa est «veluti ineffabile Dei miraculum, immo omnium miraculorum apex»; insuper, illam, «tanto (Deus) prae caeteris universis est prosecutus amore, ut in illa una sibi propensissima voluntate complacuerit», et ideo «illam longe ante omnes angelicos spiritus, cunctosque Sanctos caelestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta, mirifice cumulavit»; 4) *Immunitas a qualibet culpa*, seu «ab omni prorsus peccati labe semper libera»; 5) *Principium consortii*: B. Virgo enim «arcissimo et indissolubili vinculo cum Eo (Christo) coniuncta, una cum Illo et per Illum sempiternas contra venenosum serpentem inimicitias exercens, ac de ipso plenissime triumphans illius caput immaculato pede contrivit».

14. **Leo XIII.** Inter omnes Pontifices qui de Beatissima Virgine scripserunt, nemo, sicut Leo XIII, tam multa et praeclara exposuit. Ipse enim, 15 annorum spatio, seu ab anno 1883 ad annum 1898, decem Litteras encyclicas de devotione Rosarii misit «ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios, pacem et communionem cum Romana Sede habentes». Series horum documentorum chronologice sic ordinatur:

- 1) *Supremi Apostolatus*, die 1 sept. 1883.
- 2) *Superiore anno*, 30 aug. 1884.
- 3) *Octobri mense*, 22 sept. 1891.
- 4) *Magnae Dei Matris*, 7 sept. 1892.
- 5) *Laetitiae Sanctae*, 6 sept. 1893.
- 6) *Iucunda semper*, 8 sept. 1894.
- 7) *Adiutricem populi*, 5 sept. 1895.
- 8) *Fidemtem piunique*, 20 sept. 1896.
- 9) *Augustissimae Virginis*, 12 sept. 1897.
- 10) *Diuturni temporis*, 5 sept. 1898.

Encyclicis istis adiungi possunt: Litterae Apostolicae *Parta humano generi* (8 sept. 1902) de consecratione novi Templi B. M. Virginis Lapurdii in Gallia; Constitutio *Ubi primum* (2 oct. 1898) de legibus et privilegiis Confraternitatis SS. Rosarii; Encyclica *Quamquam pluries* (15 aug. 1889) de patrocinio S. Ioseph et B. Virginis Mariae; Litterae Apostolicae *Amantissimae voluntatis* ad anglos (14 apr. 1895). Haec omnia documenta veram aurifodinam pro scientia mariologica constituunt (cfr BITTREMIEUX, *Doctrina Mariana Leonis XIII*, Brugis, 1928).

Praecipui auctores a Leone XIII citati, sunt: S. Anselmus, *Or. XLVII*, S. Augustinus, *De Assumptione B. M. V.* (inter opera non genuina) – S. Bernardus Senensis, *Serm. VI in festis B. M. V. de Annunc.*; S. Bernardus, *Serm. de temp.*

in *Nativ. B. V.* « *De Aquaeductu* »; *De XII Praerogativis B. M. V.*; *Serm. II in Advent. Dom.*; S. Cyrillus Alexandrinus, *Hom. contra Nestorium*; S. Germanus Constantinopolitanus, *Or. II in Dormitionem B. M. V.*; *Or. in Deiparae Praesentatione*; S. Irenaeus, *Contra Valent.*; S. Ioannes Damascenus, *Serm. I de Nativit. Virginis*; *Or. in Annunc. Dei Genitricis*; Liturgia Armenorum; Hymnus Graecorum *Ακάτιστος*; Officium Graecum, VIII Dec., *Θεοτοκίον*; Officium B. M. V.; S. Tharadius, *Or. in Praesent. Deiparae*; S. Thomas, *Summa Theol.* II-II P.; III P.; *Opusc. VIII super Salut. Angelic.*; Trident. Concil. (BITTREMIEUX, l. c., pp. 165-166).

Doctrina vero Mariana Leonis XIII ad haec praecipua capita reduci potest:

1. *Praedestinatio*: Deus B. Virginem, « ab aeterno ordinavit ut Mater Verbi fieret humanam carnem assumpturi, ideoque inter omnia, quae essent in triplici ordine naturae, gratiae, gloriaeque pulcherrima, ita distinxit, ut merito eidem Ecclesia verba illa tribuerit: *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam* » (Eccl., 24, 5) p. 166. (*Augustissimae Virginis Mariae*) t. 5.¹ Illam Deus « ita dilexit, ut unam ex universitate rerum sublimis evectam amplissimisque ornatam muneribus sibi adiunxerit matrem » (*Magnae Dei Matris*, t. 3, p. 138).

2. *Praenuntiatur* in Proto-Evangelio: « Ubi volvi primum coepere saecula, lapsis in culpam humani generis auctoribus infectisque eadem labe posteris universis, quasi pignus constituta est instaurandae pacis ac salutis » (*Augustissimae Virginis Mariae*, t. 5, pp. 166-168).

3. *Excellentia divinae Maternitatis* praeclarissime illustratur. Per divinam Maternitatem Deus Illam in « excelso dignitatis et gloriae fastigio collocavit » (*Augustissimae Virginis*, t. 5, p. 166).

« Certe Matris Dei tam in excelso dignitas est, ut nihil fieri maius queat. Sed tamen quia intercessit Iosephi cum Virgine beatissima maritale vinculum, ad illam praestantissimam dignitatem, qua naturis creatis omnibus longissime Deipara antecellit, non est dubium quin accesserit ipse, ut nemo alius » (*Quamquam pluries*, t. 2, pp. 252-254).

4. *Summa Perfectio* B. M. V.: 1) *Sanctitas* quae resultat: a) ex singulari plenitudine gratiae: « singulariter ab illo (Deo) plenam gratiae, cuius copia ad universos proflueret » (*Iucunda semper*, t. 4, p. 124); « quod sufficeret ad salutem omnium hominum de mundo » (*Magnae Dei Matris*, t. 3, p. 142); b) ex perfectissimis virtutibus: « Ecce autem Maria virtutis omnis exemplar vere bonus et providens Deus constituit nobis aptissimum ... » (*Magnae Dei Matris*, t. 3, p. 150); c) *ex immunitate a concupiscentia, a peccatis et a vitiiis*: « At illa, quae, tametsi nullam in se passa, debilitatem naturae nostrae vitiositatemque pernoscit, quaeque ma-

¹ *Lettres apostoliques de S. S. LÉON XIII, encycliques, brefs* e.c., Paris, Bonne Presse, s. d., volumina 7.

trum omnium est optima et studiosissima, quam nobis opportune prolixèque subveniet, quanta et caritate reficiet et virtute firmabit!» (*Magnae Dei Matris*, t. 3, p. 150). — 2) *Scientia*: B. Virgo enim, est «magistra, quae profundissimum divinae sapientiae, ultra quam credi valeat, penetravit abyssum» (*Iucunda semper*, t. 4, p. 122). — 3) *Gloria et potentia*: «Sic tale fastigium gloriae, ut nemo alius nec homo nec angelus, obtinebit, quia cum ipsa nemo erit virtutum promeritis conferendus» (*Magnae Dei Matris* t. 3, p. 150).

«Eam salutamus, quae gratiam apud Deum invenit, singulariter ab illo plenam gratia, cuius copia ad universos proflueret: eam, cui Dominus quanta maxima fieri possit coniunctione inhaeret; eam, in mulieribus benedictam, quae sola maledictionem sustulit et benedictionem portavit (S. Thomas, op. VIII, super *Salut. Angel.*, n. 8), beatum ventris sui fructum, in quo benedicentur omnes gentes; eam demum Matrem Dei invocamus» (*Iucunda semper*, t. 4, pp. 124-126).

«Ad haec vero dici vix potest quantum amplitudinis virtutisque tunc accesserit, quum ad fastigium coelestis gloriae quod dignitatem eius claritatemque meritorum decebat, esta pud Filium assumpta» (*Adiutricem populi*, t. 4, pp. 238-240).

«Tanta Mariae est magnitudo, tanta, qua apud Deum pollet, gratia, ut qui opis egens non ad illam confugiat, is optet nullo alarum remigio volare» (*Augustissimae Virginis*, t. 5, p. 174). Insuper: «Revera primaevae labis expers Virgo, adlecta Dei Mater, et hoc ipso servandi hominum generis consors facta *tanta apud Filium gratia et potestate valet*, ut maiorem nec humana nec angelica natura assecuta umquam sit, aut assequi possit» (*Supremi Apostolatus*, t. 1, p. 216).

5. *Relatio ad homines*: Ipsa enim est *Mediatrix ad Mediatorem* (cfr BITTREMIEUX, l. c., pp. 132-133).

a) Est *Mediatrix reconciliationis*: «Nemo etenim unus cogitari potest qui reconciliandis Deo hominibus parem atque illa (B. V.) operam vel umquam contulerit vel aliquando sit collaturus. Nempe ipsa ad homines in sempiternum ruentes exitium Servatorem adduxit, iam tunc scilicet quum pacificum nuntium, ab Angelo in terras allatum, admirabili assensu, loco *totius humanae naturae* (S. Thomas, III P., q. XXX, art. 1), excepit; ipsa est de qua natus est Iesus, vera scilicet eius Mater, ob eamque causam digna et peraccepta ad Mediatorem Mediatrix» (*Fidentem*, t. 5, p. 90). Ipsa enim «adlecta Dei Mater, et hoc ipso servandi hominum generis *consors* facta» est (*Supremi Apostolatus*, t. 1, p. 216). Consortii principium apertissime affirmatur. Ipsam enim vocat «reparandi humani generis consortem» (*Ubi primum*, t. 5, p. 292). Ipsa «cum Filio Iesu Redemptionis humanae facta est particeps» (*Pastor humani generis*, t. 6, p. 256). Ipsa «mysteriis nostrae Redemptionis ... non adfuit tantum sed interfuit» (ibid., p. 258).

b) B. Virgo est *Mediatrix vitae supernaturalis* gratiae, per spiritualem hominum maternitatem. «Virgo sanctissima quemadmodum Iesu Christi genitrix,

ita omnium est christianorum mater, quippe quos ad Calvariae montem inter supremos Redemptoris cruciatus generavit; itemque Iesus Christus tanquam primogenitus est christianorum, qui sunt ei adoptione ac redemptione fratres » (*Quanquam pluries*, t. 2, p. 254).

« Stabat iuxta Crucem Iesu Maria mater eius, quae tacta in nos caritate immensa *ut susciperet filios*, Filium ipsa suum ultro obtulit iustitiae divinae, cum eo commoriens corde doloris gladio transfixa » (*Iucunda semper*, t. 4, p. 122).

Maria est mater nostra quia Christus in cruce moriens Eam matrem nostram proclamavit: « Tam carae misericordiae consilium in Maria divinitus institutum et *Christi testamento ratum*, inde ab initio sancti apostoli priscique fideles summa cum laetitia senserunt » (*Octobri mense*, t. 3, p. 98).

« Itaque suppliciter imploramus ... ante omnes sanctissimam Dei Genitricem, *quam humano generi Christus ipse e cruce reliquit atque attribuit matrem*, cui regnum vestrum nobilissimo praecennio, tamquam Dos Mariae, inde a proavis est dedicatum » (*Amantissimae voluntatis*, t. 4, p. 198).

« Per te datus est Christus Salvator mundi, in quo spes nostra consisteret; ab ipso autem tu data es nobis, per quam spes eadem augetur. Eia igitur, ora pro nobis, quos, tibi apud Crucem Domini excepisti filios, perdolens Mater » (*Ad Sanctissimam Virginem pro Anglis fratribus precatio*, t. 4, p. 200).

« Eximiae in nos caritatis Christi mysterium ex eo quoque luculenter proditur, quod moriens Matrem ille suam Ioanni discipulo matrem voluit relictam, testamento memori: ecce Filius tuus. In Ioanne autem, quod perpetuo sensit Ecclesia, designavit Christus personam humani generis, eorum in primis qui sibi ex fide adhaerescerent: in qua sententia sanctus Anselmus Cantuariensis: Quid, inquit, potest dignius aestimari, quam ut tu Virgo, sis mater quorum Christus dignatur esse pater et frater » (Or. XLVII, olim XLVI). (*Adiutricem populi*, t. 4, p. 238).

« ... facere non possumus, quin omnibus et singulis in Christo filiis Nostris ipsius cruce pendentis extrema verba, quasi testamento relicta, iteremus: Ecce mater tua » (*Augustissimae Virginis*, t. 5, p. 168).

c) B. Virgo est *Dispensatrix omnium gratiarum*: « Ut quae sacramenti humanae redemptionis ministra fuerat, eadem gratiae ex illo in omne tempus derivandae esset pariter ministra, permissa ei poene immensa potestate » (*Adiutricem populi*, t. 4, p. 240). Ipsa est « pacis nostrae apud Deum sequestra et coelestium ministra gratiarum, in celsissimo potestatis est gloriaeque fastigio in coelis collocata, ut hominibus ad sempiternam illam civitatem per tot labores et pericula contententibus patrocinii sui subsidium impertiat » (*Supremi Apostolatus*, t. 1, p. 214). « Nihil prorsus de permagno illo omnis gratiae thesauro, quem attulit Dominus, siquidem gratia et veritas per Iesum Christum facta est, nihil nobis, nisi per Mariam, Deo sic volente, impertiri: ut, quo modo ad summum Patrem, nisi per Filium, nemo potest accedere, ita fere, nisi per Matrem, accedere nemo possit ad Christum » (*Octobri mense*, t. 3, pp. 96-98).

« Quod Mariae praesidium orando quaerimus, hoc sane, tamquam in fundamento, in munere nititur conciliandae nobis divinae gratiae, quo ipsa continenter fungitur apud Deum, dignitate et meritis acceptissima, longeque Coelitibus sanctis omnibus potentia antecellens » (*Iucunda semper*, t. 4, p. 120). « Deus autem, Venerabiles Fratres, qui nobis talem Mediatricem benignissima misericordia providit (S. Bernardus, *De XII praerogativis B. M. V.*, n. 2), quique totum nos habere voluit per Mariam (id., *Serm. in Nativ. B. M. V.*, n. 7), eiusdem suffragio et voto, faveat communibus votis cumulet spes » (*Iucunda semper*, t. 4, p. 132). « Ab ipsa enim, tamquam uberrimo ductu, coelestium gratiarum haustus derivantur; eius in manibus sunt thesauri miserationum Domini. Vult illum Deus bonorum omnium esse principium »¹ (*Diuturni temporis*, t. 5, p. 274).

6. *Relationes hominum ad Beatam Mariam V. Cultus*: « Augustissimae Virginis Mariae foveri assidue cultum et contentiore quotidie studio promovere quantum privatim publiceque intersit, facile quisque perspiciet, qui secum reputaverit quam excelso dignitatis et gloriae fastigio Deus ipsam collocavit » (*Augustissimae Virginis Mariae*, t. 5, p. 166).

Iure ergo meritoque, cl. Bittremieux, in fine operis laudati, haec de Mariologia Leonis XIII scribebat:

« Finem hic imponentes his de doctrina mariali Leonis XIII considerationibus, non possumus huius doctrinae ubertatem atque profunditatem non admirari.

« Eloquentissime ac simul theologice omnes B. Virginis dotes munusque Pontifex describit. Maternitatis divinae excellentiam sublimem, potentiae Virginis mensuram singularem exaltat. Quod autem maxime admirationem nostram cogit, est expositio muneris quo B. Virgo fungitur erga genus humanum. Ipsa fuit atque est Consors Christi, tum in ipso Redemptionis opere, tum in applicatione huius operis fructuum. Consortium hoc est universale, est illimitatum, est semper perdurans, fuit in passione, est in gloria. Quia consors, est Mater nostra, de qua maternitate perspicua omnino ac notabilia audivimus. Quia consors est Mediatrix et ideo dispensatrix omnium gratiarum. Intercessio inde B. Virginis est plane singularis, quamlibet aliam aliorum sanctorum mirum in modum exsuperans. Inde etiam invocatio et devotio nostra in B. Virginem singulares sunt, neque in una linea cum invocatione et cultu aliorum Sanctorum ponendae; manet tamen B. Virgo creatura, sed evecta ad fines deitatis, ex quo non potest eius cultus dignitati Dei adversari. Hortatur nos, exemploque praeit, ut B. Virgini honorem debitum tribuamus, atque in omnibus angustiis Eam fiducialiter imploremus.

« Haec omnia abunde probant huius Pontificis mariologiam vere ut auream esse habendam. Nil itaque mirum, quod inde a Leone XIII amplissimum ma-

¹ Invocat hic S. Pontifex auctoritatem S. IOANNIS DAMASCENI, *Serm. 1, De Nativitate Virginis*, ac S. IRENAEI, *C. Valent.*, l. III, 33.

riologia progressum obtinuerit, praecipue quoad omnia haec quae ad B. Virginem spectant in suo erga homines munere.

« Quae diximus, utut incompleta et imperfecta, hanc profecto legitimant conclusionem: si umquam aliquis, Leo XIII fuit verus Doctor Marialis, atque ex eius influxu doctrinali mariologia in dies nova incrementa accipiet, quod ad pietatem fidelium atque vitam gratiae summopere conferet » (op. c., pp. 83-84).

15. **Pius X.** Praesertim in Encyclica *Ad diem illum* diei 2 februarii 1904, occasione Quinquagesimi anniversarii definitionis dogmaticae Immaculae Conceptionis, Pius X plura tradidit quae sunt magni momenti pro Mariologia.

Praecipui Auctores qui a Pio X citantur sunt: S. Ambrosius, *De Virginitate*; S. Augustinus, *Lib. de Virginitate*; S. Beda Vener., *In Lucam*; S. Bernardinus Senensis, *Quadrag. de Evangelio aeterno*, serm. X; S. Bonaventura, *In I Sent.*; Dionysius Carthusianus, *In III Sent.*; Eadmerus, *De Excellentia Virginis Mariae*; S. Leo Magn., *Serm. 2 de Nativ. Domini*; Pius IX, Bulla *Ineffabilis* (BITTREMIEUX, o. c., p. 166).

Praecipua vero capita doctrinae Marianae Pii X haec sunt:

1. *Praedictio et praefiguratio* B. M. V. « In Scripturis sanctis, quotiescumque de futura in nobis gratia prophetatur, toties fere Servator hominum cum sanctissima eius Matre coniungitur ... Mariam utique, serpentis caput conterentem prospiciebat Adam, abortasque maledicto lacrymas tenuit » (*Ad diem illum*, t. 1, p. 74).¹ « Petra deserti, radix Iesse, scala quam vidit Iacob, rubus qui ardebat at non comburebatur quem Moyses miratus est, arca Dei, nubecula ascendens de mari ... » (*Ad diem illum*, p. 74).

2. *Relationes B. M. V. ad SS. Trinitatem*: « Benedice (il vostro servo) l'eterno Padre, che vi scelse in modo particolare per Figlia, benedice il Verbo Incarnato, che vestendosi dell'umana natura nel vostro purissimo seno vi fece sua Madre; benedice il divino Spirito che vi volle sua Sposa. Benedice, esalta e ringrazia la Trinità augusta che vi prescelse e predilesse tanto da innalzarvi su tutte le creature alla più sublime altezza » (Ex prece B. Mariae Virgini, reparationis causa, quam Pius X indulgentiis ditavit, die 22 ian. 1914; *Acta Ap. Sed.*, t. 6, 1914, p. 108).

3. *Immaculata conceptio*: « Nequibat scilicet in christianae plebis intelligentiam id cadere, quod Christi caro, sancta, impolluta atque innocens in Virginis utero de carne assumpta esset, cui vel vestigio temporis labes fuisset illata. Cur ita vero, nisi quod peccatum et Deus per infinitam oppositionem separantur?, Hinc sane catholicae ubique gentes persuasum habuere Dei Filium, antequam natura hominum assumpta lavaret nos a peccatis nostris in Sanguine suo, debuisse in primo instanti suae conceptionis, singulari gratia ac privilegio, ab omni originalis culpa labe praeservare immunem Virginem matrem » (*Ad diem illum*, t. 1, p. 82).

¹ *Actes de Sa Sainteté Pie X*, Paris, s. d.

4. *Exemplar omnium virtutum*: « Divina lex est ut, qui aeternae beatitudinis potiri cupiunt, formam patientiae et sanctitatis Christi, imitando, in se exprimant. Nam quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus (Rom., VIII, 29). At quoniam ea fere est infirmitas nostra, ut tanti exemplaris amplitudine facile deterreamur, providentis Dei munere, aliud nobis est exemplar propositum, quod, quum Christo sit proximum, quantum humanae licet naturae, tum aptius congruat cum exiguitate nostra. Eiusmodi autem nullum est praeter Deiparam. Talis enim fuit Maria, ait ad rem sanctus Ambrosius, ut eius unius vita omnium sit disciplina. Ex quo recte ab eodem conficitur: Sit igitur vobis tamquam in imagine descripta virginitas, vita Mariae, de qua, velut in speculo, refulget species castitatis et forma virtutis » (*De Virginib.*, L. II, c. II). (*Ad diem illum*, t. 1, pp. 82-84). Praesertim vero refulserunt in B. Virgine virtutes Theologicae. « Quamvis autem deceat filios Matris sanctissimae nullam praeterire laudem quin imitentur; illas tamen eiusdem virtutes ipsos fideles assequi prae caeteris desideramus quae principes sunt ac veluti nervi atque artus christianae sapientiae: fidem inquam, spem et caritatem in Deum atque homines. Quarum quidem virtutum fulgore etsi nulla in Virgine vitae pars caruit, maxime tamen eo tempore enituit quum nato emorienti adstitit. Agitur in crucem Iesus, eique in maledictis obiicitur quia filium Dei se fecit (Ioan., 19, 7). Ast illa, divinitatem in eo constantissime agnoscit et colit. Demortuum sepulchro infert, nec tamen dubitat revicturum. Caritas porro, qua in Deum flagrat, participem passionum Christi sociamque efficit; cumque eo, sui veluti doloris oblita, veniam interfectoris precatur, quamvis hi obstinate inquam clamant: Sanguis eius super nos, et super filios nostros » (Matth., 27, 25) (*Ad diem illum*, t. 1, p. 84).

5. *B. Virgo est Corredemptrix*. Die 22 ianuarii 1914 Pius X indulgentiam concessit certam precem B. Mariae Virgini, reparationis causa, recitantibus, in qua haec leguntur; « Benedice (il vostro servo) le vostre sublimi prerogative di vera Madre di Dio, sempre Vergine, concepita senza macchia di peccato, di corredentrica del genere umano » (cfr *Act. Ap. Sed.*, t. 6, 1914, p. 108). « Quoniam universis sanctitate praestat (Maria) coniunctioneque cum Christo, atque a Christo adscita in humanae salutis opus, de congruo, ut aiunt, promeret nobis quae Christus de condigno promeruit » (*Ad diem illum*, p. 80). Tandem: « Ad haec, Deiparae sanctissimae non hoc tantum in laude ponendum est quod nascituro ex humanis membris Unigenito Deo carnis suae materiam ministravit (S. Beda Ven., L. IV, in *Luc.*, XI), qua nimirum saluti hominum compararetur hostia; verum etiam officium eiusdem hostiae custodiendae nutriendaeque, atque adeo, stato tempore, sistendae ad aram. Hinc Matris et Filii numquam dissociata consuetudo vitae et laborum, ut aequae in utrumque caderent Prophetiae verba: Defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus (Ps. 30, 11). Quum vero extremum Filii advenit, stabat iuxta Crucem Iesu Mater eius, non in immani tantum

occupata spectaculo, sed plane gaudens quod Unigenitus suus pro salute generis humani offerretur, et tantum etiam compassa est, ut, si fieri potuisset, omnia tormenta quae Filius pertulit, ipsa multo libentius sustineret » (S. BONAVENTURA, *I Sent.*, d. 48, ad Litt. dub. 4) (*Ad diem illum*, p. 78).

6. *B. Virgo est Mater hominum.* Maria est mater nostra quia est mater Capituli nostri: « An non Christi mater Maria? Nostra igitur et mater est. – Nam statuere hoc sibi quisque debet, Iesum, qui Verbum est caro factum humani etiam generis servatorem esse. Iam, qua Deus-Homo, concretum ille, ut ceteri homines, corpus nactum est: qua vero nostri generis restitutor, spiritale quoddam corpus atque, ut aiunt, mysticum, quod societas eorum est, qui Christo credunt. Multi unum corpus sumus in Christo (Rom., 12, 5). Atqui aeternum Dei Filium non ideo tantum concepit Virgo ut fieret homo, humanam ex ea assumens naturam; verum etiam ut, per naturam ex ea assumptam, mortalium fieret sospitator. Quamobrem Angelus pastoribus dixit: Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus (Luc., 2, 11). In uno igitur eodemque alvo castissimae Matris et carnem Christus assumpsit et spiritale simul corpus adiunxit, ex iis nempe coagmentatum qui credituri erant in eum. Ita ut Salvatorem habens Maria in utero, illos etiam dici queat gessisse omnes, quorum vitam continebat vita Salvatoris. Universi ergo, quotquot cum Christo iungimur, quique, ut ait Apostolus, membra sumus corporis eius, de carne eius et de ossibus eius (Ephes., 5, 30), de Mariae utero egressi sumus, tamquam corporis instar cohaerentes cum capite. Unde, spiritali quidem ratione ac mystica, et Mariae filii nos dicimur, et ipsa nostrum omnium mater est. Mater quidem spiritu... sed plane mater membrorum Christi, quod nos sumus (S. AUGUSTINUS, *L. de Virginitate*, c. VI). Si igitur Virgo beatissima Dei simul atque hominum parens est, ecquis dubitet eam omni ope adniti ut Christus, caput corporis Ecclesiae (Coloss., 1, 18), in nos sua membra, quae eius sunt munera infundat, idque cumprimis ut eum noscamus et ut vivamus per eum (I Ioan., 4, 9) » (*Ad diem illum*, pp. 76-78).

Probat Mariam Matrem esse nostram ex Apoc. XII, 1-2: « Signum magnum, sic Apostolus Ioannes demissum sibi divinitus visum enarrat, signum magnum apparuit in coelo: mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim (Apoc., 12, 1). Nullus autem ignorat, mulierem illam Virginem Mariam significare, quae caput nostrum integra peperit. Sequitur porro Apostolus: Et in utero habens clamabat parturiens, et cruciabatur ut pariat (ibid., 2). Vidit igitur Ioannes sanctissimam Dei Matrem aeterna iam beatitudine fruentem. Quonam autem partu? Nostrum plane, qui exilio adhuc detenti, ad perfectam Dei caritatem sempiternamque felicitatem gignendi adhuc sumus. Parientis vero labor studium atque amorem indicat, quo Virgo, in coelesti sede, vigilat assiduaque prece contendit ut electorum numerus impleatur » (*Ad diem illum*, pp. 86-88).

7. *B. Virgo est Dispensatrix omnium gratiarum;* fundamentum vero huius

officii in officio Corredemptricis Pontifex invenit. Ait enim: « Ex hac autem Mariam inter et Christum communione dolorum ac voluntatis, promeruit illa ut reparatrix perditī orbis dignissime fieret (Eadmer. mon., *De Excell. Virg. Mariae*, c. IX), atque ideo universorum munerum dispensatrix quae nobis Iesus necē et sanguine suo comparavit ...

« Attamen, pro ea, quam diximus dolorum atque aerumnarum Matris cum Filio, communione, hoc Virgini Augustae datum est, ut sit totius terrarum orbis potentissima apud unigenitum Filium suum mediatrix et conciliatrix (PIUS IX, in Bulla *Ineffabilis*). Fons igitur Christus est, et de plenitudine eius nos omnes accepimus (Ioan., I, 16); ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem iuncturam subministrationis... augmentum vero corporis facit in aedificationem sui in caritate (Ephes., 6, 16). Maria vero, ut apte Bernardus notat, aquaeductus est (Serm. de temp., in *Nativ. B. V.*, « *de Aquaeductu* », n. 6); aut etiam collum per quod corpus cum capite iungitur itemque caput in corpus vim et virtutem exerit. Nam ipsa est collum capitis nostri, per quod omnia spiritualia dona corpori eius mystico communicantur (S. BERNARDIN. SEN., *Quadrag. de Evangelio aeterno*, Serm. X, a. III, c. 3) » (*Ad diem illum*, t. I, pp. 78-80).

Maria « est princeps largiendarum gratiarum ministra », « thesauros promeritorum Eius (= Iesu) materno veluti iure administrat » (ibid., p. 80). Ipsa est *aquaeductus* (ibid., t. I, p. 78), *collum* capitis nostri (ibid., pp. 78-80).

8. *Cultus Mariae* honori qui Christo debetur minime opponitur; miseri qui aliter opinantur « ignorant non inveniri puerum nisi cum Maria matre eius » (*Ad diem illum*, t. I, p. 80). Imo « nullum est certius et expeditius iter ad homines cum Christo coniungendos et ad perfectam filiorum adoptionem assequendam »; « quum Dei Filius, factus homo, auctor sit et consummator fidei nostrae; opus est omnino sanctissimam eius Matrem mysteriorum divinarum participem ac veluti custodem agnoscere, in qua, tamquam in fundamento post Christum nobilissimo, fidei saeculorum omnium extruitur aedificatio.

« Quid enim? An non potuisset Deus restitutorem humani generis ac fidei conditorem alia, quam per Virginem, via impertiri nobis? Quia tamen aeterni providentiae Numinis visum est ut Deum-Hominem per Mariam haberemus, quae illum, Spiritu Sancto foecunda, suo gestavit utero; nobis nil plane superest, nisi quod de Mariae manibus Christum recipiamus » (*Ad diem illum* t. I, p. 74).

16. **Benedictus XV**, sat frequenter in suis Encyclicis, in Litteris Apostolicis et in sermonibus veritates quasdam Mariologicas exposuit.

Praecipua vero capita doctrinae Marianae ipsius haec sunt:

1. *Corredemptrix*. Extollit consortium cum Christo in Redemptione. « Ita cum Filio patiente et moriente passa est et paene commortua, sic materna in Filium iura pro nominum salute abdicavit placandaeque iustitiae, quantum ad se pertinebat, Filium immolavit, ut dici merito queat Ipsam cum Christo humanum genus redemisse » (*Inter sodalicia; Acta Ap. Sed.*, t. 10, 1918, p. 182).

2. *Mater hominum*: « quae (Virgo Perdolens), a Iesu Christo universorum hominum Mater constituta, eos tamquam infinitae caritatis testamento sibi relictos (accepit) officiumque tuendae spiritualis eorum vitae materna benignitate (explet) » (ibid., p. 182).

3. *Dispensatio omnium gratiarum*: « Hac plane de causa, quas e Redemptionis thesauro gratias omne genus recipimus, eae ipsius Perdolentis Virginis veluti e manibus administrantur ... » (ibid., p. 182).

« Huius parietes templi votivis tabellis, vexillis, argenteis trophaeis atque innumeris pretiosis donariis circum ornati, benignissimam Dei Genitricis, gratiarum apud Dominum sequestris, potentiam civiumque acceptam tutelam luculenter testantur » (Litt. Ap. *Locarni; Acta Apost. Sed.*, t. II, 1919, p. 67).

« Innumerae votivae tabellae, undique templi parietibus nec non chori subcellis appensae, simulque pretiosa donaria luculenter testantur Virginem Dei Matrem, gratiarum omnium apud Deum sequestram, veluti e maiestatis Suae solio, beneficiorum et charismatum copiam largiri consuevisse » (Litt. Ap. *Illustriores inter; Acta Ap. Sed.*, t. II, 1919, p. 227).

Omnes gratiae, omnia beneficia, omnia miracula interventui B. Virginis debentur:

« Recueillons avant tout la fleur de la gratitude envers Dieu et envers l'auguste Vierge, car nous devons reconnaître que c'est à Dieu seul que nous sommes redevables de deux miracles attribués à la bienheureuse Jeanne d'Arc et dont l'authenticité a été aujourd'hui proclamée. Et si dans tous les prodiges il convient de reconnaître la médiation de Marie, par laquelle, selon le vouloir divin, nous arrive toute grâce et tout bienfait, on ne saurait nier que, dans un des miracles précités, cette médiation de la Très Sainte Vierge s'est manifestée d'une manière tout-à-fait spéciale. Nous pensons que le Seigneur en a disposé ainsi afin de rappeler aux fidèles qu'il ne faut jamais exclure le souvenir de Marie, pas même lorsqu'un miracle semble devoir être attribué à l'intercession ou à la médiation d'un bienheureux ou d'un saint. Tel est l'enseignement que nous croyons devoir tirer du fait que Thérèse Belin a obtenu sa guérison parfaite et instantanée au sanctuaire de Lourdes. D'un côté, le Seigneur nous montrait que, sur la terre même confiée au domaine de sa très sainte Mère, il peut opérer des miracles par l'intercession d'un de ses serviteurs: d'un autre côté, il nous rappelait que, dans ces cas aussi, il faut supposer l'intervention de celle que les saints Pères ont saluée du nom de *Mediatrix mediatorum omnium* ». Ita in *Oratione habita die 6 aprilis* 1919, post solemnem lectionem decreti quo duo miracula per intercessionem B. Ioannae de Arc obtenta, atque ad huius canonizationem proposita, ut authentica declarabantur (cfr *La Documentation catholique*, t. I, 19 avril 1919, pp. 320-325).

Omnium gratiarum mediatrix dicitur: « Confidimus equidem fore ut, perinde ac lyceum (Washingtoniense) sedes erit quo catholicae doctrinae studiosi, quasi

in centrum radii, intendant ac concurrant, ita eam in Aedem Sacram (i. e. in honorem Virginis Immaculatae erigendam), Virgine Immaculata gratiarum omne genus sequestra, non modo qui in discipulorum numerum adlecti vel adlegendi posthac sint, sed catholici quoque omnes e Civitatibus istis, veluti in Sanctuarium peculiare ac proprium, intueantur, et religionis pietatisque causa frequentissimi confluent » (Epistola *Communes Litteras; Acta Ap. Sed.*, t. II, 1919, p. 173).

17. **Pius XI.** Praeter duas Litteras Encyclicas Marianas (*Lux Veritatis* pro XV centenario Concilii Ephesini, et *Ingravescentibus malis* circa SS. Rosarium) Pius XI in pluribus Litteris apostolicis et in pluribus sermonibus doctrinas omnino fundamentales pro scientia mariologica exposuit.¹ Praecipua vero capita doctrinae haec sunt:

1. *Praedestinatio:* B. Virgo praedestinata est a Deo *formaliter* ut *Corredemptrix*. « Ideo Christi Mater delecta est, ut redimendi generis humani consors efficeretur » (Ep. *Auspicatus profecto; Acta Ap. Sed.*, t. 25 (1933), p. 80).

2. *Maternitas divina.* Plura tradit, in Enc. *Lux veritatis*, circa naturam et excellentiam maternitatis divinae (cfr ROSCHINI, op. c., pp. 43-44).

3. *Circa mortem B. M. V.* Pius XI adhaeret sententiae asserenti subiectionem Virginis necessitati moriendi, quia in ipsa fuit « non la Grazia di creazione ma la Grazia di redenzione, la quale non conferiva immortalità vera e propria » (Sermo habitus die 15 augusti 1933; cfr *L'Osservatore Romano*, 1-12-33).

4. B. Virgo est Mediatrix reconciliationis cum Deo, seu *Corredemptrix*. Ob hoc praecise « Christi Mater delecta est » (Ep. *Auspicatus profecto; Act. Ap. Sed.*, t. 25, 1933, p. 80). « Virgo Perdolens redemptionis opus cum Iesu participavit » (Ep. *Explorata res est; Acta Ap. Sed.*, t. 25, 1923, pp. 104-105). Ipsa adstitit « dulcissimo Filio (suo) humani generis Redemptrix ». Gratiae quibus fruimur aequae dicuntur *fructus* « Redemptionis et compassionis » (cfr *L'Osservatore Romano*, 29-4-35).

5. B. Virgo est Mediatrix regenerationis nostrae spiritualis per gratiam seu *Mater hominum*. « S. Giovanni rappresentava noi tutti; e nello stesso Apostolo eravamo ancora noi tutti a raccogliere le parole: Ecce Mater tua » (cfr *L'Osservatore Romano*, 1-12-33). B. Virgo « cum homines universos in Calvaria habuerit materno animo suo commendatos, non minus eos fovet... » (Enc. *Rerum Ecclesiae; Acta Ap. Sed.*, t. 18, 1926, p. 83).

Quemadmodum Pius X, ita et Pius XI maternitatem spiritualem B. Virginis, in maternitate eius divina videt inclusam (Enc. *Lux veritatis; Acta Ap. Sed.*, t. 23, 1931, pp. 10-12).

6. Mediatrix gratiarum seu *Dispensatrix omnium gratiarum*. B. Virginem appellat « gratiarum omnium apud Deum sequestram » (Ep. *Cognitum sane; Acta*

¹ Cfr ROSCHINI G., O. S. M., *La Mariologia di Pio XI*, Roma, 1939. Extractum ex *Marianum* (Ephemerides Mariologiae), t. 1 (1939), fasc. 2.

Ap. Sed., t. 18, 1926, p. 213) et his similibus (cfr ROSCHINI, o. c., p. 49 « Novimus etiam omnia nobis a Deo Optimo Maximo per Deiparae manus impertiri » (*Ingravescentibus malis; Acta Ap. Sed.*, t. 29, 1937, p. 380).

7. *Circa cultum B. M. V.*, et praesertim circa legitimitatem, necessitatem, beneficia etc. plura et praeclara docuit (cfr ROSCHINI, o. c., pp. 50-63), et pluries efficacissime devotionem marianam commendavit: « Con l'assiduità della preghiera si deve fare di Maria la *quotidiana Mediatrice* ... » (cfr *L'Osservatore Romano*, 16-17 aug. 1933).

18. **Pius XII** in variis documentis de B. Virgine haud raro locutus es., eiusque Cordi Immaculato die 31 octobris et die 8 decembris 1942 Ecclesiam et universum genus humanum solemniter consecravit. De B. Virgine praesertim egit in Epilogo Encyclicae « *Mystici corporis Christi* », in quo synthesis quaedam Mariologiae invenitur.

II. DE LITURGIA MARIANA

Ad magisterium Ecclesiae ordinarium pertinet etiam Sacra Liturgia. Ecclesia enim, tamquam sollicita Mater, omnia adhibet media in sua potestate posita ad hoc ut filios suos doctrinam doceat quae ducit ad vitam. Quapropter de solis encyclicis et decretis minime contenta, Liturgiam etiam adhibet, tamquam medium aptissimum, ad magisterium suum in bonum animarum explicandum. Nil igitur mirum si Pius XI, in Litteris Encyclicis *Quas primas* (11 dec. 1925 *Acta Ap. Sed.*, t. 17, 1925, p. 603) haec scripserit: « In populo rebus fidei imbuendo per eosque ad interiora vitae gaudia evehendo longe plus habent efficacitatem annuae sacrorum mysteriorum celebritates quam quaelibet vel gravissima ecclesiastici magisterii documenta: siquidem haec in pauciores eruditioresque viros plerumque cadunt, illae universos fideles percellunt et docent; haec semel, illae quotannis atque perpetuo, ut ita dicamus, loquuntur; haec mentes potissimum, illae et mentes et animos, hominem scilicet totum, salutariter afficiunt ».

Aliquid igitur dicendum de natura et fontibus et de momento dogmatico Liturgiae marianae.

1. **De natura liturgiae marianae.** Liturgia mariana est complexus elementorum positivorum B. Virginem respicientium quae in oratione publica et officiali Ecclesiae, sive universalis sive particularis, continentur. Ecclesia enim, in sua mirabili liturgia, varias exprimit veritates marianas externumque modum dirigit quo Deipara honoranda est. Manifestat igitur, tamquam mater, filiis suis quid ipsa de B. Virgine sentiat.

2. **De fontibus liturgiae marianae.** Liturgiae marianae fontes quamplurimi sunt. Dividi tamen possunt in duplicem classem, primarios videlicet et secundarios. Sunt fontes *primarii* liturgiae marianae libri liturgici officiales Ecclesiae universalis, videlicet, Missalis, Breviarum, Rituale, Martyrologium et Pontificale

Romanum. Fontes isti abundant elementis positivis pro constructione mariologica pretiosissimis. Sunt vero fontes *secundarii* libri liturgici alicuius particularis Ecclesiae (e. g. liturgia Ambrosiana, Mozarabica, patriarchatus etc.; aut alicuius Dioecesis vel Ordinis religiosi etc.). Dum fontes primarii momentum habent absolutum et nullis limitibus circumscriptum, fontes secundarii, e contra, ob eorum characterem localem aut particularem, momentum habent relativum et limitibus quibusdam circumscriptum. Ad fontes secundarios reduci possunt etiam libri liturgici aboliti aut ad liturgias pertinentes quae non amplius in usu sunt in Ecclesia (e. g. liturgia gallicana, iroceltica etc.), qui tamen historicum momentum retinent semper.

Subsidia pro studio Liturgiae Marianae plura sunt. Habentur enim varii tractatus aut monographiae relate ad *festam marianam*,¹ relate ad *benedictiones*² in honorem Virginis impertitas, relate ad *antiphonas marianas*,³ relate ad *hymnos liturgicos*⁴ nec non relate ad liturgiam marianam in genere.⁵ In hisce omnibus monumentis plures divitiarum thesauri pro Mariologia inveniuntur.

3. **De momento dogmatico Liturgiae Marianae.** Momentum dogmaticum liturgiae in genere ex celeberrimo effatu (S. Caelestino I erronee tributo et ad Prosperum Aquitanum ([† c. 455] pertinente)⁶ apparet: *Legem credendi lex statuat supplicandi*. Ecclesia enim, sicut orat ita et credit. Oratio liturgica echo est Ecclesiae sive docentis sive addiscentis. Varia festa liturgica vehiculum sunt

¹ Cfr Card. LAMBERTINI (Benedictus XIV), *De festis B. M. Virginis, libri duo*, in *Opera*, t. 9, Bassano, 1767; K. A. H. KELLNER, *Heortologie oder das Kirchenjahr und die Heiligenfeste in ihrer geschichtlichen Entwicklung*, ed. 3, Freiburg i. B. (versio italica *L'anno ecclesiastico*, ed. 1, Romae, 1906; ed. 2, 1914); PERARDI G., *La dottrina cattolica. Il culto*, vol. IV, Feste principali della Madonna e dei Santi, Torino, L.I.C.E., 1939; VERMEERSCH A., S. I., *Maria Vergine SS.*, III. Le feste. Torino, L.I.C.E., 1912; CAMPANA E., *Il culto di Maria in sè e nelle sue manifestazioni liturgiche*, Torino-Roma, Marietti, ed. 2, riveduta ed ampliata dal P. G. ROSCHINI, 1944.

² Cfr FRANZ A., *Die Kirchlichen Benediktionen im Mittelalter*, 2 voll., Freiburg i. B., 1909.

³ Cfr CAMPANA E., o. c., bibliografia.

⁴ Cfr JULLIAN J., *A Dictionary of Hymnology*, London, 1892; BLUME-DREVES-BANNISTER, *Analecta hymnica medii aevi*, Leipzig, 1886-1922, 55 voll.

⁵ Cfr OPPENHEIM PH., O. S. B., *Maria in der lateinischen Liturgie*, in J. STRAETER, *Katholische Marienkunde I*, Paderborn, Schöningh, 1942, pp. 183-264; id., *Maria nella Liturgia cattolica*, Roma, Ferrari, 1944, in-16, pp. 54; ROSCHINI G., O. S. M., *La Madonna nella Liturgia*, Milano, Ancora, 1942; ENGBERDING H., *Maria in der Frömmigkeit der byzantinischen Liturgie. Ein Leib-ein Geist. Einblicke in die Welt des christlichen Ostens*, Münster i. W., Regensburg, s. a., pp. 37-38; BINKTRINE I., *De cultu B. M. V. in liturgia S. Ioannis Chrysostomi*, in *Ephemerides Lit.*, 45 (1931), 392-396; GUTIERREZ C., *El culto liturgico de la Santísima Virgen*, Madrid, 1933; MENZINGER O., *Mariologisches aus der vorephesinischen Liturgie*, Regensburg, Pustet, 1932, in-8, pp. 183; BOURASSÉ, *Summa Aurea*, t. 3, coll. 590-1895, 1695-1827.

⁶ *De gratia Dei « Indiculus » seu praeteritorum Sedis Apostolicae episcoporum auctoritates*, c. 11: DENZINGER, *Enchir. Symbol.*, Freiburg i. B., 1928, p. 68, n. 139. Cfr CAPPUYNS M., *Les origines des Capitula pseudo-céléstiniens contre le semi-pélagianisme*, in *Rev. bédéd.*, 41 (1929) 156-170, demonstrat quod « Indiculus » ad Prosperum Aquitanum pertinere.

doctrinae Ecclesiae, cuius iugis Spiritus Sancti adistentia debetur, relate ad doctrinae puncta. Eo vel magis quod occasione praesertim festorum Patres Doctores Ecclesiae proprios sermones habuerunt ad eorundem festorum obiectum illustrandum. Liturgia igitur verum *locum theologicum* constituit, et ex ipsa Theologus argumenta sumere potest ad varias theses stabiliendas. Nil igitur mirum si Liturgia definitiones ipsas dogmaticas praeparet et quasi eodem incedat gressu.

Haec in genere. In particulari vero, ad rite determinandum momentum dogmaticum singulorum locorum liturgicorum, necesse est distinguere in quonam sensu e. g., adhibeantur a Liturgia varii textus S. Scripturae, utrum scilicet in sensu scripturistico (litterali vel typico) aut in sensu tantummodo accommodato. In priori casu habemus authenticam interpretationem scripturisticam ex parte magisterii ordinarii Ecclesiae. In secundo casu, e contra, accommodatio nobis manifestat quid de tali argumento sentiat Ecclesia. Ita, e. g., si verba Proverborum (cap. VIII) et Ecclesiastici (cap. XXIII) de Sapientia in sensu accommodato accipiantur, nobis manifestant quid de praedestinatione Mariae sentiat Ecclesia. Idem dicendum de lectionibus secundi et tertii nocturni Officii divini.

Cum monumentis liturgicis intime connexa inveniuntur *monumenta archaeologica*. Circa hanc rem, cfr praesertim LECLERCQ H. in *Dictionnaire d'Archéologie chrétienne et de Liturgie*, art. *Marie*, t. X, col. 1982-2043.¹

Notatu digna est animadversio cl. Leclercq circa hanc materiam: « L'histoire des monuments consacrés à la glorification de la Vierge et relevant de l'archéologie et de l'iconographie a été souvent tentée avec plus de piété que de critique, quoique ces deux conditions, loin de s'exclure, soient appelées à concourir à l'œuvre toujours attendue et toujours retardée parce que presque aucun auteur n'a su résister à la tentation de vieillir systématiquement l'âge des monuments qu'il étudie » (l. c., coll. 2042-2043).

Ad studium hoc peragendum conferri utiliter possunt: DE ROSSI G. B., *Immagini scelte della beata Vergine Maria tratte dalle catacombe romane*, in fol., Roma, 1863; GARCIA VILLADA, *Archeologia mariana*, in *Razon y Fe*, a. IV, n. 38, pp. 191-208; t. 10, pp. 204 sq.; JAMESON A. B., *Legends of the Madonna as represented in the fine arts*, in-8, London, 1903; LEHNER F. A., *Die Marienverehrung in den ersten Jahrhunderten*, in-8, Stuttgart, 1886, pp. 282-342; LIELL H. F. J.,

¹ In hoc articulo agit: I. De nativitate Mariae. II. De praesentatione et institutione in Templo. III. De prophetia Isaiae. IV. De Annuntiatione. V. De Matrimonio et de angustiis. VI. De Visitatione. VII. De itinere Bethlehemitico. VIII. De Nativitate. IX. De adoratione Pastorum et Magorum. X. De Maternitate divina. XI. De praesentatione Iesu in Templo. XII. De fuga in Aegyptum. XIII. De Iesu in medio doctorum. XIV. De nuptiis Canae. XV. De Crucifixione. XVI. De Ascensione. XVII. De Pentecoste. XVIII. De descensu Mariae ad inferos. XIX. De morte Mariae. XX. De loco dormitionis Mariae. XXI. De Assumptione Mariae. XXII. De Virgine in caelo. XXIII. De nomine Mariae. XXIV. De cultu liturgico. XXV. Biographia.

Die Darstellungen der allerseligsten Jungfrau und Gottesgebärerin Maria auf den Kunstdenkmälern der Katakomben, Dogmen -und Kunstgeschichtlich bearbeitet, in-8, Freiburg-im-Br., 1887; ¹ MUNOZ A., *Iconografia della Madonna. Studio delle rappresentazioni della Vergine nei monumenti artistici d'Oriente e d'Occidente*, in-4, Firenze, 1905; ROHAULT DE FLEURY G., *La Sainte Vierge. Etudes archéologiques et iconographiques*, 2 voll. in-4, Paris, 1878; in hoc opere deficit plerumque critica; SCHULTZE V., *Archaeologischen Studien ueber altchristliche Monumente*, in-8, Wien, 1880, pp. 177-211: *Die Marienbilder der altchristlichen Kunst*, cui adiungitur (pp. 211-219) *Verzeichniss der altchristlichen Mariensbilder*; VENTURI A., *La Madonna. Svolgimento artistico delle rappresentazioni della Vergine*, in-4, Milano; WILPERT I. *Madonnenbilder aus den Katakomben*, in *Römische Quartalschrift*, t. 3 (1889), pp. 290-298.

¹ Est opus magni momenti. In prima parte exponuntur textus dogmatici circa B. Virginem ab aevo apostolico usque ad Conc. Ephesinum (431). In secunda parte agitur de monumentis, seu de orante, de mysteriis vitae B. M. V. In tertia parte agitur de imaginibus B. M. V.

DE SACRA SCRIPTURA ¹

Post magisterium ecclesiasticum (quod est fons *directivus*) primus fons constitutivus, ordine dignitatis, ex quo scientia de B. M. V. hauriri debet est S. Scriptura. « Primus locus est auctoritas sacrae Scripturae quae libris canonicis continetur ». Ita MELCHIOR CANUS, *De locis theol.*, I, c. III.

De B. Maria V. — iuxta Patres et Doctores — loquitur continuo S. Scriptura tum Veteris tum Novi Testamenti. Attamen non omnia quae in S. Scriptura de B. Virgine inveniuntur, *eodem modo*, de ipsa dicuntur. Hinc ponimus conclusionem:

« I) *Pluries in S. Scriptura sermo est de B. Maria V.*; at II) *diversimode* ».

¹ Bibliographia: ALAMEDA S., O. S. B., *La Virgen en la Biblia y en la Primitiva Iglesia*, ed. 2 Barcelona, 1939; ALBERTUS MAGNUS S., *Biblia Mariana*, in *Op. Omn.*, Moguntiae, t. 20; ALÈS d', *Marie dans l'Écriture Sainte*, in *Dict. Apol.*, I, III, coll. 117-155; BELLON J. A. *La Mère de Jésus d'après la Bible*, 1864, in-16; BOURASSÉ, *Summa Aurea*, t. 13, coll. 966-1004; BROISE R. M., *La S. Vierge et les livres sapientiaux*, in *Études*, 79 (1899), 289-311; CARLO GIACINTO DI S. MARIA, Ag. Sc., *Bibbia Mariana*, ms. in 20 tom. in fol. Invenitur ms. in Biblioth. Nation., Romae; CONTESSA F. G., *Maria e la Bibbia, ossia il culto della SS. Vergine esposto...*, Torino, 1877, in-16, 120 pp.; CRUYSBERGHSK, *Maria-woorden in het Evangelie*, Mechlen, Het Kompas, 1935, in-8, 116 pp.; D'ISNE Y., *Die Jungfrau Maria in Evangelium*, Strassburg, Le Roy, 1929, in-8, 127 pp.; DILLENCHNEIDER C., *La Mariologie de saint Alphonse de Liguori*, Sources et synthèse doctrinale, Fribourg, 1934, pp. 2-17, *Les « Glorie di Maria » et l'Écriture*; EYKELER I., S. M. M., *Exegetica Mariana*, in *Stand. v. Maria*, t. 29 (1939); KIEFFER S., O. S. M., *La Vierge Marie dans l'Écriture Sainte*, Forcalquier, 1938; JANSSENS A., *Theotokos, Maria in de Schriftuur en de oudste overlevering* (ed.) Bruxelles, 1938; JOSEPH DE S. MIGUEL ET BARCO BURGENS., O. P., *Biblia Mariana* apud BOURASSÉ, *Summa Aurea*, t. 2, pp. 970-1552; LANDUCCI P. C., *Maria SS. nel Vangelo*, Roma, 1945, pp. 518; LESÈTRE H., art. *Marie*, in *Dict. Bibl.*, t. 4, coll. 777-809; LIVIUS T., C. SS. R., *Mary in the Epistles*, London, 1891; MAIA M. D., « *Marie dans l'évangile* » selon le Père Lagrange, in *Vie Spirituelle*, t. 58 (1939) 5-34; MC. NABB, O. P., *Testimonianze del Nuovo Testamento alla Madonna*, trad. di Maddalena De Luca, Roma, 1939; ROHLING A., *La Vierge Mère annoncée dans le livre des Proverbes*, in *La Controverse* (1883), VI, 529-532; ROME R., O. F. M., *Marie dans l'Ancien Testament*, in *Mémoires et Rapports du Congrès Marial de Bruxelles*, 1921, t. 1, pp. 3-29; SANTOS OLIVERA B., *Maria segun el Evangelio, o sea, fundamentos evangélicos de las excelencias y prerogativas de la Madre de Dios* (Congreso Mariano Hispano-americano de Sevilla, Mayo 1929) Madrid, 1930, 609-675; SAURERET P., *Figures bibliques de Marie, mère de Jésus*, 1846, 8; SCHAEFFER, *Die Mutter Gottes in der Heiligen Schrift*, Freiburg, 1887; SMORONSKI, C. S. S. R., *Matha Boska w. swietle Pisma sw. Starego Testam.* (= Mater Dei in Scriptura Sacra Vet. Test.), Tuchow, 1936, in-8, 36 pp. (excerptum ex ephem. bimensili *Homo Dei*); UCCELLO S., *Biblia Mariana*, sive Commentarium biblico-patristicum in litanias Lauretanis necnon in varia B. V. M. nomina ... alphabeticè dispositum, Taurini, 1924; VALENTE F., M. I., *La Madre di Dio nella Bibbia*, Vicenza, 1929.

PROBATUR I PARS (GENERALIS)

I. Auctoritate Patrum et Scriptorum Eccl. *a)* Ita S. Andrea Cretensis: « De te (Maria), cecinerunt Spiritus omnes interpretes » (*In Dormit.* III, PG 97, 1095 A). « Ecce caput illud quod prophetae vaticinando, clamore praedicarunt » (*ibid.*, col. 1105 A). « Veteris Novisque Testamenti obsignatio, totius prophetiae perspicua plenitudo » (*In Nativ.* IV, PG 96, 865 A). *b)* Ps. BERNARDUS: « De hac et ob hanc, et propter hanc omnis Scriptura facta est » (*Sermo III super Salve Regina*, n. 2, PL 184, 1069). *c)* S. HILDEPHONSUS: « Spiritus Sanctus de illa per prophetas praedixit, per oracula intimavit, per figuras intonuit, per praecedentia promisit, per subsequencia complevit » (*Lib. de Virginitate Mariae*, PL 96, 64). *d)* S. VINCENTIUS FERRERI: « Virgo Maria in omnibus libris Sacrae Scripturae, et in omnibus canticis, immo et in singulis versibus directe vel indirecte est mystice contenta » (*Sermo de conceptione Virg.*). *e)* S. ALBERTUS M.: « Multis modis praedicta et praefigurata dicitur Virgo sanctissima in creaturis, in factis, in visis, in generatis, in creatis; quia in principio creavit Deus coelum et terram, idest Beatam Virginem, quae coelum et terra fuit, id est caelestem simul et terrestrem duxit vitam » (*Super Missus est*, c. 162).

II. Ratione. Christus enim est veluti centrum totius S. Scripturae sive Veteris sive Novi Testamenti, ita ut omnia aliquomodo ad ipsum referantur. Atqui B. Virgo inseparabilis est a Christo, sicut Collum a Capite. Ergo et ad B. Virginem ea quae referuntur ad Christum, aliquo modo referri debent.

AD MAIOREM. Quod Christus sit veluti centrum totius S. Scripturae, evidenter apparet sive ex manifesta Dei intentione sive ex constanti Synagogae et Ecclesiae traditione, iuxta quam Biblia est *Liber Messiae, Liber Christi*. « Telle est vraiment l'idée-mère et centrale des écrits inspirés, idée vers laquelle convergent toutes les autres; telle est leur principale raison d'être, en dehors de laquelle disparaît toute leur unité et presque toute leur beauté: Jésus, le Christ, Fils de Dieu. " Jésus-Christ, que les deux Testaments regardent: l'Ancien, comme son attente, et le Nouveau, comme son modèle, tous les deux comme leur centre, " a dit sobrement et magnifiquement Pascal. Ou mieux encore, suivant l'expression de saint Paul commenté par saint Irénée, Jésus-Christ est *lapis summus angularis*, qui unit lex deux Testaments de la manière la plus étroite » (FILLION, *La Sainte Bible*, t. 1, p. 2, Paris, 1903, ed. 4).

Argumenta sive *extrinseca* sive *intrinseca* ad hoc probandum abundant.

ARGUMENTA EXTRINSECA desumuntur *a)* ex testimonio ipsius Christi; *b)* ex testimonio Apostolorum suorum; *c)* ex traditione iudaica et *d)* ex traditione christiana.

a) Testimonium Christi: Pharisaeis incredulis dixit: « Scrutamini Scripturas ... et illae sunt quae testimonium perhibent de me » (Io. 5, 39); ad Scripturas discipulos et

amicos suos remittebat: « Incipiens a Moysse et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quae de ipso erant » (Luc. 24, 27); « Necessè est impleri omnia quae scripta sunt in lege Moysi, et in prophetis, et psalmis de me » (Luc. 24, 44).

b) *Testimonium Apostolorum*. Continuo enim ad scripturas appellant, demonstrantes harmoniam quae inter ipsas Scripturas et vitam Christi invenitur. Saepe enim his dicendi modis utuntur: « Hoc factum est ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam ... », vel « Tunc adimpletum est quod dictum est ... ». *S. Philippus* dixit: « Quem scripsit Moyses in lege, et prophetae, invenimus: Iesum, filium Ioseph, a Nazaret » (Io. 1, 45); *S. Petrus*: « Et omnes prophetae a Samuele et deinceps, qui locuti sunt, annuntiaverunt dies istos (aetatem messianicam) » (Act. 2, 16-21); *S. Paulus*: « Finis Legis Christus » (Rom. 10, 4), et ideo cum Christus apparet, habetur « plenitudo temporis » (Gal. 4, 4); « Lex paedagogus noster fuit in Christo » (Gal. 4, 24) seu ducens nos ad Christum; « Christus heri et hodie, ipse et in saecula » (Hebr. 13, 8).

c) *Traditio iudaica*. Ex Targum, Talmud et Midrasc, evidentissime apparet (cfr FILLION, *La Sainte Bible*, introd., p. 5). Ubique enim Messiam videbant.

d) *Traditio christiana*: « Les Pères et les Docteurs chrétiens des premiers siècles — scribit Fillion (l. c., p. 5) — quand ils étudiaient la Bible, aimaient à regarder toutes les parties qui la composent comme autant de cercles concentriques, ou comme autant de rayons convergents, dont le Seigneur Jésus est le centre réel. A la façon des Apôtres et selon la pressante recommandation du Sauveur, ils scrutaient les Ecritures surtout en vue d'y découvrir le Messie promis ». Ita e. g. *S. Irenaeus*: « Si quis igitur intentus legat Scripturas, inveniet in iisdem de Christo sermonem ... Absconditus in Scripturis thesaurus Christus quoniam per typos et parabolas significabatur » (*Contra Haereses*, c. 26, n. 1); *Origenes*: « Vestimenta sunt Verbi Scripturae dictiones ... Semper in Scripturis Verbum caro fit, ut habitet in nobis » (*Philocal.* c. 15. Cfr *In Levit.* hom. 1); *S. Ambrosius*: « Utrumque ergo poculum bibis Veteris et Novi Testamenti, quia in utroque Christum bibis. Bibe Christum ... quia fons vitae est, quia flumen est, cuius impetus laetificat civitatem Dei, ... bibe Christum ut bibas sermones eius; sermo eius testamentum est vetus, sermo eius testamentum est novum ... Hoc verbum bibe, sed ordine suo bibe, primum in veteri testamento, cito ac ut bibas et in novo testamento » (in Ps. I, n. 33, cfr PETZSCHENIG, *S. Ambrosii opera*, P. 4, Vindobonae, 1919, pp. 29-30). *S. Augustinus* scribebat: « Lex gravida Christo » (Serm. 20 *de Sanctis*). « Prope omnis pagina Scripturae nil sonat quam Christum et Ecclesiam toto orbe diffusam » (Sermo 46, PL 38, 289). Hoc idem ex arte et ex epigraphia christiana, prout in catacumbis apparet, confirmatur. Perennem hanc traditionem christianam pulcherrime resumit Lacordaire dum scribit: « L'Écriture, comme une haute montagne qui serait le phare du monde, se partage en deux versants: le versant de l'antiquité et celui des temps modernes; l'un qui regarde l'occident, et l'autre l'orient de l'humanité. Tous les deux portent le nom de *Testament*, parce que tous les deux renferment le témoignage de Dieu et la charte de son alliance avec l'homme; mais, par le côté qui regarde la préparation de cette alliance, le testament prend le nom d'*ancien*; par le côté qui en regarde la consommation, il prend le nom de *nouveau*. L'un et l'autre, considérés dans leur distribution intérieure, se composent des mêmes éléments: l'histoire, qui dit le passé; la prophétie, qui dit l'avenir; la théologie, qui unit le passé à l'avenir dans le sein de l'éternelle vérité (LACORDAIRE, *Lettres à un jeune homme sur la vie chrétienne*, pp. 177 et ss.).

« Telle est, en effet, la grande division de la Bible; — adiungit Fillion, l. c., p. 11 — l'Ancien Testament, qui prépare, qui montre en quelque sorte du doigt le Nouveau et veut se transformer en lui; le Nouveau Testament, qui se rattache constamment à l'Ancien, qui l'éclaire et le transfigure, l'élevant à des hauteurs sublimes. Mais la préparation est si parfaite, la succession des événements et des concepts si régulière, grâce à l'idée centrale dont il vient d'être question, que l'on pourrait supprimer la division extérieure, puisque tout se suit et s'harmonise si admirablement. Seulement, d'une part, on annonce et l'on attend la venue du Rédempteur; de l'autre, on adore le Verbe incarné, l'Homme-Dieu, qui " a dressé sa tente parmi nous " ».

ARGUMENTA INTRINSECA: ex ipsis libris S. Scripturae clare apparet eorum velut centrum et culmen Christum fuisse. « Ce volume — scribit Fillion, l. c., p. 7 — composé par des auteurs si nombreux et si dissemblables, à des intervalles si écartés les uns des autres, sous des civilisations si différentes, présente une remarquable unité: tout s'y enchaîne d'une manière vraiment étonnante. Or le Christ est le lien moral qui en groupe les diverses parties en un faisceau unique. Chaque écrit spécial présente l'idée messianique sous une forme nouvelle; tous ils s'expliquent, se contrôlent, se complètent mutuellement. Cet axiome que le moyen âge a extrait des écrits de saint Augustin:

Novum Testamentum in Vetere latet,
Vetus Testamentum in Novo patet,

est un parfait sommaire de la pensée que nous avons à développer ». Et Stolberg iure animadvertibat: « Toutes les parties de ce livre sont unies de la façon la plus étroite par une relation unique, la relation qu'elles ont à Jésus-Christ, l'Oint de Dieu, le Sauveur d'Israël, le Sauveur de l'humanité. Sans lui, l'histoire sainte entière n'aurait ni enchaînement ni but. Non, elle n'en aurait pas, puisqu'il est l'objet perpétuel des promesses, des coutumes religieuses, de l'attente nationale, des aspirations ardentes des hommes de Dieu » (J. JANSSENS, *Friedrich Leopold Graf zu Stolberg...* Fribourg Br., 1882, p. 294). Christum ergo est veluti anima totius corporis Scripturarum varia membra ad mirabilem unitatem redigens.

Et revera: quod Christus unicum argumentum sit omnium Librorum Novi Testamenti, omnibus clarissime apparet: Evangelia, Acta Ap., Epistolae, Apocalypsis non nisi de Christo et de regno eius pertractant.

At etiam in Libris Veteris Testamenti unicum fere argumentum Christus est. Libri enim V. T. in triplicem classem distribuuntur, videlicet, historicos, propheticos et didacticos; libri *historici* exponunt historiam Theocratiae, i. e. populi Israël a Deo recti, *quia* ex illo oritur erat Christus; libri *prophetici* sive directe sive saltem indirecte Christum Messiam eiusque adventum, quem praeparant, respiciunt; libri *didactici* intimam membrorum unionem et relationes cum Sapientia Incarnata respiciunt, sive sub forma *psalmorum* (Psalmi), sive sub forma allegorica unionis nuptialis Israelis cum Messia (Cant. Cant.), sive sub forma praeceptorum (Proverbia, Ecclesiastes, etc...). Christus ergo est cor, centrum, anima totius S. Scripturae. Biblia ergo, Liber Christi undequaque apparet, ita ut S. Hieronymus asserere potuerit: « Ignoratio Scripturarum ignoratio Christi est » (*Prolog. in Is.*, PL 24, 17). At nos adiungere possumus: ignoratio etiam Mariae est, *quia* ut mox videbimus, a Christo seu Verbo Incarnato inseparabilis est.

AD MINOREM. Maria enim et Christus intime et indissolubiliter coniuncti inveniuntur *a)* in aeterno Dei consilio, *b)* in manifestationibus huius aeterni consilii per prophetas peractis, *c)* in universa vita terrestri.

a) Inveniuntur indissolubiliter coniuncti in aeterno Dei consilio Incarnationem Verbi, *per mulierem* (Gal. 4, 4) statuente. Ex hoc fit ut Verbum Incarnatum se habeat ad Mariam sicut verbum scriptum ad librum in quo scriptum invenitur; et ideo, quemadmodum verbum scriptum a libro in quo scriptum est separari non potest, ita et Christus, Dei Verbum Incarnatum, a Maria, matre sua, in qua et per quam incarnatum est, separari non potest; necesse omnino est unum legere in alio. Nil mirum, igitur, si ea quae in S. Scriptura de Increata et Incarnata Sapientia dicuntur, etiam ad B. Virginem, quodammodo, ab interpretibus referantur.

b) Inveniuntur indissolubiliter coniuncti inde a prima manifestatione aeterni Dei consilii in Genesi (3, 15) per sic dictum *protoevangelium* ab ipso Deo peractam, cum protoparentibus lapsis semen *mulieris* praedixit, quod de diabolo victore plenum triumphum relaturum esset. Coniuncti etiam postea inveniuntur in pluribus aliis prophetiis (e. g. Is. 7, 14; Mich. 5, 2, 3; Ier. 31, 22).

c) Inveniuntur indissolubiliter, mente et corde coniuncti, in opere redemptionis perficiendo, in tota vita terrestri, prout apparet ex pluribus locis Novi Testamenti.

Hisce positis, iure meritoque IOANNES DRIEDO (alias Neys), Theologus Lovaniensis, hoc veluti exegeticum adagium proponebat: « Ea quae Christo sunt propria sunt participatione quadam communia Ecclesiae et huic gloriosae Dominae, quae eiusdem Ecclesiae constituta est Mater et Regina » (*De regulis et dogmatibus S. Scripturae*, lib. 3, tract. 2, cap. 4, de tropol. locut., ed. 1543, p. 149). Et ALPHONSUS SALMERON: « Quandoquidem omnia dona quae Christi sunt, a Capite in membra diffluunt, potissimum tamen in praecipuum et electum Membrum, Beatam Deiparam illa derivantur. Hinc factum est ut laudes et praeconia quae aeternae Sapientiae aut Ecclesiae eius Sponsae tribuuntur, ob summam coniunctionem inter Caput et Ipsam quae veluti Ecclesiae Collum est, Beatae Mariae adscribuntur » (*Commentarii in N. T.*, Prolegomenon 19, can. 11, Col. Agripp., 1602, t. 1, p. 348).

Saepe ergo, etiam de B. Virgine in S. Scriptura sermo est.

Loci vero Mariani S. Scripturae universae, isti sunt:

a) EX VETERI TESTAMENTO: 1^o *Protoevangelium* seu promissio Redemptoris, et Corredemptricis (Gen. 3, 15); 2^o Prophetia Isaiae *de virga ex radice Iesse* (Is. 11, 1); 3^o Prophetia Isaiae *de Virgine paritura* (Is. 7, 14); 4^o Prophetia Ieremiae *de muliere virum circumdata* (Ier. 31, 22); 5^o Prophetia Michaeae *de pariente paritura in Bethlehem* (Mic. 5, 2-3, hebr. 1-2); 6^o Sponsa Cantici Cantorum; 7^o Laudes Sapientiae (Prov. 8; Eccli 23). — Hisce vaticiniis directis adiungi pos-

sunt varia vaticinia *indirecta* quae habentur per symbola et per figuras. Praecipua *symbola* B. M. Virginis sunt: 1^o *Paradisus terrestris* (Gen. 2, 8); 2^o *Arca Noë* (Gen. 6); 3^o *Columba Arcae* (Gen. 8, ü sq.); 4^o *Iris* (Gen. 9, 11); 5^o *Scala Iacob* (Gen. 28, 12 sq.); 6^o *Rubus Moysis* (Ex. 3, 1-11); 7^o *Arca foederis* (Ex. 25, 10-22); 8^o *Virga Aaron* (Ex. 7, 12); 9^o *Vellus Gedeonis* (Iudic. 6, 37 sq.); 10^o *Templum Salomonis* (III Reg. 6 et sq.); 11^o *Sol* in quo Deus posuit *tabernaculum* suum (Ps. 18, 6); 12^o *Regina* stans a dextris Regis (Ps. 44, 10-13 sq.); 13^o *Tabernaculum Altissimi* (Ps. 45, 5); 14^o *Terra fertilissima* (Ps. 86, 1-7); 15^o *Civitas Dei* (Ps. 45, 5); 16^o *Porta Orientalis* (Ez. 44, 1-2); 17^o *Mons umbrosus* (Dan. 2, 34); 18^o *Civitas refugii* (Num. 35 sq., et Deut. 4, 41, Ios. 20, 7-8); 19^o *Nubecula* (Is. 45, 8; III Reg. 18, 44 sq.). – Praecipuae vero *figurae* B. Virginis fuerunt: 1^o *Eva* (Gen., 2, 21-23); 2^o *Sara* (Gen., 17, 16-19; 18, 10-14); 3^o *Rebecca* (Gen. 24, 12-15); 4^o *Rachel* (Gen. 29, 18); 5^o *Maria* soror Moysis (Ex. 2, 1-10); 6^o *Ruth* (Ruth); 7^o *Anna*, mater Samuelis (Sam. 2, 1-10); 8^o *Esther* (Est.); 9^o *Iudith* (Iudith); 10^o *Debora* (Iudic. 5, 7); 11^o *Iael* (Iudic. 4, 17-22); 12^o *Noemi* (Ruth, 1, 20); 13^o *Abigail* (I Reg. 26); 14^o *Abisag* (III Reg. 1, 2); 15^o *Bethsabea* (III Reg. 1, 11 sq.).

b) EX NOVO TESTAMENTO: 1^o *Annunciatio* (Luc. 1, 26-39); 2^o *Visitatio* et canticum *Magnificat* (Luc. 1, 39-80); 3^o *Desponsatio* cum S. Ioseph (Matth. 1, 20-24); 4^o *Nativitas Christi* (Luc. 2, 1-21); 5^o *Praesentatio* Christi, *Purificatio* Mariae et *prophetia* Simeonis (Luc. 2, 22-38); 6^o *Adoratio Magorum* (Matth. 2, 1-12); 7^o *Fuga in Aegyptum* (Matth. 2, 13-23); 8^o *Amissio pueri Iesu in Templo* (Luc. 2, 41-52); 9^o *Subiectio* Christi Mariae et Ioseph (Luc. 2, 51); 10^o *Impetratio primi miraculi* in nuptiis Canae (Ioan. 2, 1-11); 11^o *Maria* perdurante vita publica Christi (Matth. 12, 46-50); 12^o *Beata* a muliere quadam declaratur (Luc. 2, 27-28); 13^o *Virginis praesentia iuxta crucem* (Ioan. 19, 25-27); 14^o *Virginis praesentia in Caenaculo, in die Pentecostes* (Act. 1, 14); 15^o *Virginis glorificatio* in Apocalypsi, c. 12.¹

PROBATUR II PARS (SPECIALIS)

Quaedam praemittenda sunt. *Duplex* S. Scripturae sensus distinguitur: *litteralis* (si verbis seu litteris immediate exprimitur) et *spiritualis seu typicus* (si immediate *per res*, mediate vero per verba exprimitur). Sensus vero litteralis sub-

¹ Loci isti Mariani S. Scripturae hic tantummodo recensiti, in variis partibus operis nostri, iuxta proprium sensum exponentur.

S. Bonaventura pro certo tenet Spiritum S. in Scripturis B. Virginem sub variis figuris praenuntiasse, eo quod non poterat tam superexcellens creatura una vel paucis figuris comprehendendi. Scribit enim: «Gloriosae Virginis excellens sublimitas adeo transcendit capacitatem humanam, ut non sufficiant verba ad eius explicationem; et ideo Spiritus Sanctus, qui eam replevit charismatibus virtutum, ipse Spiritus sanctus loquens per Prophetas et alios sacrae Scripturae doctores, laudat ipsam multipliciter, non solum per verba expressa, sed etiam per figuras et metaphoras » (Serm. 4, de Assumpt. B. M. V.; op. 9, 695 b). Cfr DI FONZO, *Doctrina S. Bonaventurae de universali mediatione B. Virginis Mariae*, Romae, 1938, p. 263, n. 240.

dividi potest in *primarium* et *secundarium*: primarius ille dicitur quem Spiritus S. primario intendit et quem hagiographus et ipse, intendit; secundarius e contra ille dicitur quem Spiritus S. (auctor principalis) non primario sed secundo, saltem indirecte intendit, quidquid sit de auctoribus instrumentalibus seu de hagiographis. Est ille sensus qui vocari potest consequens et accommodatus.¹ Hisce positis, dicimus: quaedam in S. Scriptura dicuntur de B. Virgine: a) in sensu litterali *primario*; b) quaedam in sensu litterali *secundario* (i. e. consequente aut praegnante); c) quaedam in sensu spirituali seu *typico*.

a) in sensu litterali primario de B. Virgine intelligi debet (saltem iuxta nostram opinionem) *Protoevangelium* seu prophetia de semine mulieris triumphaturo (Gen. 3, 15), prophetia Isaiae de virgine paritura (Is. 7, 14), prophetia Ieremiae de muliere virum circumdatura. Hoc etiam sensu varii loci N. T. intelligi debent.

b) In sensu litterali *secundario* consequenti et quidem *proprio* intelligi debent ea quae de Sapientia Dei dicuntur in cap. 8 Prov. et in c. 24 Ecclesiastici.² In sensu litterali secundario *improprio*, seu metaphorico, Canticum Canticorum etiam Mariae tribui debet. In sensu secundario *accommodato* plures S. Scripturae loci B. Virgini tribui possunt.

c) In sensu spirituali seu *typico* pariter plura B. Virgini tribui debent. Vetus enim Testamentum est umbra et figura Novi Testamenti, praesertim relate ad personas praecipuas eiusdem (i. e. Iesus et Maria). Plures ergo personae V. T., sicut Christi ita et Mariae figurae seu typi fuerunt. Ita, e. g. Abigail (I Reg. 24, 25), Rebecca (Gen. 24, 26), Esther (Esther, c. 4), Iudith (Iudith 7, 6-15; 10) typi seu figurae fuerunt — iuxta Patres et iuxta Liturgiam Ecclesiae — B. Mariae V.

Attamen, hoc animadvertendum est quod plena vis probandi habetur tantummodo ex sensu litterali primario et ex sensu typico (cum tamen certo constat). Sensus litteralis secundarius (consequens et accommodatus) et sensus spiritualis seu typicus incertus, solam vim *illustrativam* (non probativam) sibi vindicare possunt.³

¹ Sensus *consequens* ille dicitur qui ex verbis hagiographi per ratiocinium educitur; aequiparatur proinde conclusioni *theologicae* quae eruitur ex una praemissa *revelata* et ex alia praemissa *rationali*. Sensus *accommodatus* habetur cum verba Scripturae, ratione analogiae, accommodantur rebus diversis ab illis quas hagiographus intendit.

² Ita tenet SCHEEBEN, *Dogmatik*, Freiburg, 1882, t. 3, pp. 461, 464 sq. Ita etiam Auctores op. *Institutiones Biblicae*: « Eadem per sensum consequentem transferuntur ad Mariam Matrem Christi et sedem Sapientiae, ut Ecclesia in Liturgia solet » (vol. II, Romae, 1929, pp. 150, 156). Alii tamen sensum tantummodo *accommodatum* admittunt. Ita LE BACHELET, art. *Imm. Conc.*, in *Dict. Vacant*, col. 865; D'ALÈS, art. *Marie, Mère de Dieu*, in *Dict. Apolog.*, col. 125; SCHAEFFER, *Die Mutter Gottes, in der Heiligen Schrift*, Freiburg, 1887, p. 99; DE LA BROISE, *La Sainte Vierge et les livres sapientiaux*, in *Etudes*, t. 79, 1899, pp. 289-311.

³ Sensus tamen *accommodatus*, si communiter adhibeatur vel ab Ecclesia probetur, traditionem divinam vel doctrinam certam manifestare potest; at argumentum tunc non ex ipsa S. Scriptura sed ex Traditione deducitur.

Duplex animadversio circa argumenta ex S. Scriptura desumpta

I. Animadverti debet argumentum ex S. Scriptura desumptum aliquando esse *vere* et *mere* scripturisticum, aliquando *vere* at non *mere* scripturisticum (seu est scripturisticum-traditionale), et aliquando esse nullimode scripturisticum, seu esse *traditionale* tantum.

1. Argumentum *vere et mere* scripturisticum habetur, cum ad eius robur sufficit invocare *ipsa verba* S. Scripturae. Sic, e. g., plenitudo gratiae B. M. V. scripturistice probatur verbis illis « Ave, gratia plena ».

2. Argumentum *vere sed non mere* scripturisticum habetur cum ad eius robur invocatur traditio, seu modus quo Patres Ecclesiaeque scriptores illud exposuerunt. Sic Protoevangelium (Gen. 3, 15), iuxta Traditionem (prout exponit Pius IX in Bulla *Ineffabilis*) intelligendum est de indissolubili vinculo Mariae cum Christo in *perpetuis inimicitiis* contra diabolum et in plenissimo triumpho supra ipsum. Quia vero ad plenissimum triumphum pertinet sub potestate diaboli numquam fuisse, *immediate* ex illo triumpho eruitur immunitas B. Virginis a peccato originali. Argumentum igitur ex Protoevangelio deductum in favorem Immaculatae conceptionis, *vere* scripturisticum dici debet, non autem *mere* scripturisticum, quia ad intellectionem et vim eiusdem traditio invocatur. Est ergo scripturistico-traditionale.

3. Argumentum vero nullimode scripturisticum, seu traditionale tantum, illud est quod desumitur ex verbis S. Scripturae quae ex se directe et litteraliter alium sensum habent. Sic, e. g. textus quidam Vulgatae versionis, licet in textu originali desit aut non in tali sensu inveniatur, valorem tamen et sensum habent dogmaticum (quamvis *non scripturisticum*) tamquam traditionis argumentum. Hinc et Vulgata iure merito habetur ceu authenticus fons revelationis». ¹ Classicum exemplum habetur relate ad verba illa Protoevangelii « *Ipsa* conteret caput tuum ». Quamvis enim in textu originali inveniatur « ipsum (i. e. semen) conteret caput tuum », non ideo vox « ipsa » valore dogmatico caret, cum argumentum *traditionale* constituat. Habetur itaque argumentum *traditionale* tantum (non vero scripturisticum).

II. Veritas aliqua mariologica (sicut et quaelibet veritas dogmatica vel moralis) diversimode in S. Scriptura *litteraliter* contineri potest, videlicet *explicite* vel *implicite*, prout directe expressis verbis, vel in verbis generalioribus continetur. Sic, e. g., veritas haec « Maria est Mater Iesu » est *explicite* revelata in S. Scriptura. E contra, haec alia veritas « Maria est Mater Dei » est *implicite* tantum revelata.

¹ VOSTÈ I., O. P., *De latina Bibliorum versione quae dicitur « Vulgata »*, Romae, 1927, p. 27.

Veritates autem *implicite* revelatae, dupliciter in S. Scriptura inveniri possunt, videlicet formaliter et virtualiter: *formaliter*, si inveniuntur in S. Scriptura aliis (seu aequivalentibus) terminis expressae, quin necessarius sit concursus aliorum principiorum ordinis pure naturalis; *virtualiter* vero si per ratiocinium ex aliquo textu, ope alicuius principii naturalis, eruitur (ob aliquam connexionem causae et effectus, essentiae et proprietatum eius physicarum). Sic, e. g., veritas haec: « B. Virgo est Mater Dei », dici debet *implicite et formaliter* contenta in S. Scriptura, eo quod aequivalentibus terminis exprimitur et ex *duabus praemissis revelatis* (Maria est Mater Iesu – Iesus est Deus) eruitur; dum e contra veritas haec « Maria est assumpta in caelum » tantummodo *implicite et virtualiter* dici potest contenta in verbis illis « Mater Iesu »; eruitur enim, ope ratiocinii, ex una praemissa de fide et ex alia a ratione tantum posita.¹

¹ Circa quaestionem de definibilitate *conclusionum theologiarum* ex parte Ecclesiae, valde disputatur inter hodiernos theologos. Conferantur praesertim subsequencia opera: M. M. TUYAERTS, O. P., *L'Evolution du dogme*, Louvain, Impr. Nova et Vetera, 1919; R. SCHULTES, O. P., *Introductio in Historiam Dogmatum*, Paris, Lethielleux, 1922; F. MARIN-SOLA, O. P., *L'Evolution homogène du dogme catholique*, 2 ed., Fribourg, Suisse, 1924.

Reicienda tamen nobis omnino videntur, inter alia, verba P. CHARLIER, O. P.: « avant d'accepter la définibilité de la conclusion théologique, c'est sa légitimité même qu'on peut mettre en doute » (*Essai sur le problème théologique*, Ramgal, 1938, p. 34).

APPENDIX I

DE RELATIVO SILENTIO S. SCRIPTURAE
CIRCA B. VIRGINEM

Plures saepe conqueruntur et velut fere scandalizantur quod in S. Scriptura, ac praesertim in libris Novi Testamenti, valde pauca de B. Virgine dicantur. Plura enim de aliis personis minoris momenti ibi relata inveniuntur; de B. Virgine vero, quae post Christum principem locum sane obtinet, non omnia illa quae desiderarentur reperiuntur. Quaestionem hanc iam suc tempore sibi proponebat S. Thomas a Villanova scribens: « Cogitanti mihi, ac diu haesitanti, quid causae est, quod, cum Evangelistae de Ioanne Baptista, et aliis apostolis tam longum fecere tractatum, de Virgine Maria, quae vita et dignitate omnes antecedit, ita summatim percurrant historiam; cur, inquam, non traditum est memoriae, quomodo concepta, quomodo nata, quomodo nutrita, quibus decorata, quibus virtutibus ornata, quid cum Filio in humanis egerit, quomodo cum illo conversata sit, quomodo post eius ascensionem cum Apostolis vixerit: magna erant haec, et memoratu digna, et quae cum summa devotione a fidelibus legerentur, a populis amplecterentur. O, inquam, o Evangelistae, quare nos tanto gaudio vestro silentio privastis? Cur haec tam laeta, tam desiderata, tam iucunda conticuistis? Quis enim dubitat, quin in eius nativitate et pueritia mira multa contingerint, et puella haec in teneris annis stupendum saeculis virtutum omnium monumentum extiterit? De his tamen omnibus nihil in canonicis libris expressum legimus, praeter libellum quendam apocryphum, quem beatus Hieronymus ex hebraeo transtulit, cuius, ut idem asserit, dubia fides est » (*Concio II in Festo Nativitatis B. M. V.*, n. VII). Et S. Laurentius a Brundusio: « Mire enim sobria et parca est Divina Scriptura in Virgine » (*Mariale*, p. 8).

Quae cum ita sint, nil mirum si hodie praesertim de silentio Evangelistarum circa B. Virginem quaestio ab auctoribus saepe moveatur.¹ De facto enim, quod aliquando tamen immerito exaggeratur,² dubium esse non potest: plura, in Evangeliiis desunt, quae cognoscere cuperemus. A. S. Marco illa vix et incidentaliter nominatur. Pauca a S. Matthaeo de ipsa referuntur. A S. Ioanne bis (in nuptiis Canae et iuxta crucem) praesentatur. S. Lucas partes eius in Incarnatione et in infantia Christi describit; at de vita eius sive ante Incarnationem, sive post mortem Filii (si excipiatur eius praesentia in Caenaculo in die Pentecostes) nihil dicit. Remanet igitur ut rationes huius facti, seu huius relativi silentii inquirantur.³

¹ Cfr ALAMEDA S., op. cit., pp. 210-220; BASSI A., M. O., *Studi critici sulla vita della Vergine*, pp. 49-58; CAMPANA, *Maria nel dogma*, vol. IV, 1936, pp. 1144-1156; NICOLAS, *La Vergine Maria secondo il Vangelo*, cap. I; TOSTATUS, in op. *Tratado...*, Salmanticae, 1506, sat fuse quaestionem pertractat.

² Cfr, e. g., NICOLAS, l. c.

³ « Perchè mai la Provvidenza ha tenuto con Maria una simile condotta? Perchè non l'ha

a) *Rationes excludendae*

Ante omnia tamen, quaedam rationes excludi debent, videlicet:

1. Excludi debet quod ita factum sit *casu*, *negligentiae* aut *inadvertentiae causa* ex parte Hagiographorum. Auctor enim *principalis* librorum Sacrorum, Deus est; in ipsum ergo, magis quam in auctores *instrumentales* seu in hagiographos, talis inadvertentia vel negligentia absurde omnino refunderetur. « Accusare enim Evangelistas negligentiae — scribit S. Thomas a Villanova — sicut impium, ita et temerarium iudico » (l. c.).

2. Excludi pariter debet quod id acciderit ex *parva existimatione* erga B. Virginem, prout vellent Protestantes. Ex ipsis enim Evangelisti contrarium prorsus apparet. Exhibetur enim tamquam « Mater Domini », « gratia plena », « benedicta in mulieribus », tamquam creatura cui « fecit Dominus magna » et ideo benedicenda ab omnibus generationibus, etc. ...

3. Excludi tandem debet, iuxta nos, id accidisse ex eo quod conveniens non erat ut in initio Ecclesiae B. Virgo plene cognosceretur ob periculum idololatriae apud gentes ab idolorum cultu conversas. Haec enim ratio parum stringens videtur. Supponere enim videtur cognitionem et amorem Mariae opponi aliquomodo posse cognitioni et amori Christi; dum et contra via aptior et tutior ad Christum cognoscendum et diligendum semper est et fuit Maria. De caetero, ratio ista nullo positivo argumento fulciri potest. Etenim, Collyridianorum haeresis (sacc. iv) a S. Epiphanio denunciata, fuit posterior Evangelistarum tempore, et insuper fuit omnino localis et parvi momenti. Adiungi etiam posset primitivos fideles, ex viva praedicatione Apostolorum, cognoscere potuisse et absque dubio de facto plura cognovisse quam quae in Evangelistiis hodie leguntur.

b) *Rationes probabiles*

Plures sunt rationes quae adduci possunt, quaeque rationi nostrae plene satisfacere valent. Ad duplicem veluti classem reduci possunt, videlicet: I) *ex parte Dei*, II) *ex parte Hagiographorum*.

I. *Rationes ex parte Dei*.

1. Deus ita disposuit ut illam magis magisque glorificaret. « Obumbravit eam Deus in terra, ut multo magis glorificaret in caelo; sicut et Christum quem post humilitatem exaltavit, et *donavit illi nomen, quod est super omne nomen* » (S.

fatta brillare di luce continua e smagliante, sì che ognuno di primo tratto, alla semplice lettura dell'Evangelo, ravvisasse in Lei la cooperatrice della Redenzione, legata da rapporti indissolubili all'opera del Salvatore? Perchè gli avvenimenti non permisero che fin da principio ella si profilasse gigante in mezzo a tutti i personaggi evangelici? Perchè, in una parola, gli Evangelisti sono così sobri e riservati quando parlano di Lei? » (CAMPANA, l. c., pp. 1137-1148).

LAURENTIUS A BRUNDUSIO, *Mariale*, p. 30). « Marie a été très cachée dans sa vie: c'est pourquoi elle est appelée par le Saint-Esprit et l'Eglise *Alma Mater*, Mère cachée et secrète. Son humilité a été si profonde qu'elle n'a point eu sur la terre d'attrait plus puissant et plus continuel que de se cacher à elle-même et à toute créature, pour n'être connue que de *Dieu seul*. Dieu, pour l'exaucer dans les demandes qu'elle lui fit de la cacher, appauvrir et humilier, a pris plaisir à la cacher dans sa conception, dans sa naissance, dans sa vie, dans ses mystères, dans sa résurrection et assumption, à l'égard de presque toute créature humaine ... Dieu le Saint-Esprit a consenti que ses Apôtres et ses Evangélistes n'en parlassent que très peu, et qu'autant qu'il était nécessaire pour faire connaître Jésus-Christ, quoiqu'elle fût son Epouse fidèle » (B. GRIGNION DE MONTFORT, *Traité de la Vraie Dévotion à la Sainte Vierge*, Introd., n. 2-4). Talis est enim modus agendi Dei ad quem ipsamet B. Virgo verbis illis alluisse videtur: « Quia respexit humilitatem ancillae suae, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes ». Eo vel magis quod obscuritas et silentium in terris dum illam ad maiorem gloriam disponebant in caelis, virtutes omnes in ipsa quam maxime fovebant.

2. Deus, insuper, per obscuritatem vitae B. Virginis hisce in terris, nos efficaciter monere voluit de inanitate gloriae quae in hoc mundo haberi potest. « La vita oscura di Maria è il processo più schiacciante fatto in precedenza alla nostra vanità ed alla nostra ambizione » (CAMPANA, l. c., p. 1153).

3. Deus tandem disposuit ut plura de B. Virgine ab Evangelistis silentio premerentur, eo quod minime necessaria erant ad existimationem erga ipsam, fovendam. Ad hoc enim pauca illa verba suffecissent: « de qua natus est Iesus ». Iure enim animadvertit S. Thomas a Villanova: « Sufficit ad eius plenam historiam, quod scriptum est in themate: quia de illa *natus est Iesus*. Quid amplius quaeris? Quid ultra requiris in Virgine? Sufficit tibi quod Mater Dei est. Quenam, obsecro, pulchritudo, quaenam virtus, quae perfectio, quae gratia, quae gloria Matri Dei non congruit? Solve cogitationibus habenas, dilata intellectui fimbrias, et describe apud te in animo Virginem quamdam purissimam, prudentissimam, pulcherrimam, devotissimam, humillimam, mitissimam, omni gratia plenam, omni sanctitate pollentem, omnibus vir uibus ornatam, Deo gratissimam: quantum potes, tantum auge; quantum vales, tantum adde: maior est ista Virgo, excellentior est ista Virgo, superior est Virgo ista » (l. c.). « Il silenzio conservato dall'Evangelo attorno alla sua vita mortale, la reale oscurità in cui di fatto la sua vita si svolse, non diminuiscono d'un jota la gloria e la grandezza di Maria. Col dire che da Lei è nato Gesù, gli Evangelisti annunciavano in compendio tutte le tesi più grandiose della teologia Mariana: lanciavano un seme, che più tardi, alla luce ed al calore della riflessione dei secoli cristiani, sarebbe cresciuto in quell'albero meraviglioso, che noi appunto abbiamo cercato di mostrare al lettore » (CAMPANA, l. c., p. 1155).

4. Iuxta S. Laurentium a Brundusio causa silentii esset etiam singularis Vir-

ginis excellentia et honor, ne quid vile putaretur. Scribit enim: « Sic de Virgine Deipara, inquit Epiphanius (in *Panario*, haeres. 78, n. 11, PG 42, 1043): « Siluit Scriptura propter miraculi excellentiam, et ne in stuporem perduceret hominum mentem ». Hanc ob causam nihil dicit Scriptura de parentibus Virginis, de conceptione et ortu, ut agit in Ioanne; nihil de aetate, vita, moribus, instituto, nec de morte ipsius quidquam loquitur. Sed ex insperato eam introduxit ... Et sicut de Deo ait Regius Vates quod silentio laudatur: *Te decet hymnus, Deus, in Sion*;¹ hebr.: *Tibi si entium, laus, Deus, in Sion*; quia non possumus quidquam de Deo digne loqui, sed cum silentio mirari praestat divina, quam frigide et insulse fari: sic Spiritus Sanctus, cuius afflatu *locuti sunt sancti Dei homines*, sacro hoc silentio honorare voluit Deiparam, et hoc tantum proferre quod digna fuit quae Deo desponsaretur, Deique Unigenitum Filium conciperet pareretque » (*Mariale*, pp. 8-9. Et alibi: « Voluit Spiritus S. in Divinis Scripturis sacro quodam silentio Sanctissimam Virginem honorare, sicut arca Dei in sanctuario semper sub velo manebat abscondita, ne a populo posset videri, sed sic abscondita fidelibus omnibus maximae esset venerationi. Multa tacendo et admirando potius laudantur quam loquendo, quoniam pro dignitate verbis laudari minime possunt. Hinc ait Regius Vates: *Te decet hymnus, Deus, in Sion*; hebr.: *Tibi silentium laus, Deus, in Sion*, hoc est; cum incomprehensibilia et ineffabilia sint Divinitatis mysteria, sacro silentio in mentis admiratione et stupore magis laudantur, quam lingua et pleno ore. Cherubim in sancto sanctorum veluti admirantes divinum propitiatorium perpetuo silentio intuebantur. Timanthes, pictor excellentissimus, cum suo penicillo luctuosissimam Iphigeniae mortem aeternitati consignaret, propinquos omnes demisso vultu flentes et lacrimantes magnumque animi dolorem exprimentes depinxit; Agamennonem vero amantissimum patrem, non flentem aut lacrimantem sed nigro vel vultu capiteque coopertum depinxit, arbitratus quod sic multo melius posset summum patris dolentissimi et afflictissimi dolorem exprimere. Sic Spiritus Sanctus fecit in Virgine, ut eam Deo similem declararet » (*Mariale*, pp. 590-592. .

II. Rationes ex parte Hagiographorum.

1. Prima et praecipua ratio ex parte hagiographorum seu auctorum instrumentalium, ex hoc desumitur quod ipsi occasionaliter et iuxta determinatum scopum scripserunt. Ita, scopus Evangelii S. Matthaei fuit demonstrare Iesum fuisse Messiam, filium David, a Iudaeis expectatum, Ecclesiamque ab ipso institutam esse verum regnum Messianicum in Veteri Testamento praenuntiatum; et ob hanc causam, frequentius quam in ceteris Evangeliiis vaticinia Veteris Testamenti in vita, doctrina et miraculis Christi impleta esse demonstrat. Quare fuse agit de Ioanne Baptista: « Hic est enim, qui dictus est per Isaiam prophetam

¹ Gen., 14, 18.

dicentem: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini: rectas facite semitas eius (3, 2). – Scopus Evangelii S. Marci fuit ostendere Iesum esse filium Dei, et ob hanc rationem plurima Christi portenta enarrat (undeviginti), ipsius supra daemones potestatem quamplurimis exemplis illustrat, et ostendit quomodo Apostoli, qui tunc testes divinitatis Christi erant, non fuerunt creduli, sed debiles, infirmi et tardi in fide. – Scopus Evangelii S. Lucae fuit ostendere Iesum esse redemptorem omnium. – Scopus Evangelii S. Ioannis fuit demonstrare Iesum esse Filium Dei ad christianos Asiae in fide confirmandos et contra insurgentes haereses Ebionis et Cerinthi praemuniendo. ¹ Hisce positis, quisque facile videt quomodo narratio vitae B. Mariae Virginis sit extra scopum ab Evangelistis intentum. Et hac de causa ea omnia quae de B. Virgine ab ipsis narrantur, incidentaliter et subordinate ad proprium uniuscuiusque scopum exponuntur. ² Sed quaeri posset: quare nemo ex Evangelistis vitam aliquam B. M. Virginis descripsit, quemadmodum S. Lucas in Actibus de rebus gestis Petri et Pauli egit?... Huic quaestioni respondet secunda subsequens ratio.

2. Secunda ratio silentii fuit summa difficultas narrandi vitam B. Mariae Virginis, quae fuit *maxime interior*. Agitur de illa eadem difficultate quam invenisset scriptor vitae S. Theresiae ab Infante Iesu, prout ipsamet in sua historia testata est.

3. Tertia demum ratio silentii ex parte saltem trium Synopticorum ex hoc deducitur quod ipsi probabiliter Evangelium scripserunt vivente adhuc Beata Virgine, et ideo humillimae Virginis desideriis adhaerentes, consulto illa omnia omiserunt quae humilitatem eius aliquo modo offenderent. Hoc posito sat bene intelligitur quomodo interventum Virginis in primo Christi miraculo Canae narrato nec non praesentia eius iuxta crucem, pro Virgine maxime honorifica, omissa a Synopticis, relata fuerint a S. Ioanne qui post mortem B. Virginis Evangelium conscripsit.

Silentium igitur hagiographorum nedum sufficienter explicatur sed etiam quibuslibet verbis eloquentior apparet.

¹ Cfr ROSCHINI G., *Introductio Biblica*, Vicenza, 1939.

² Ob hanc etiam rationem Evangelistae de apparitione Christi resurgentis Matri suae nihil dicere dixerunt. Cfr ea quae scripsimus in *Palestra del Clero*, fasc. 14, 1 maggio 1940, *Intorno all'apparizione di Gesù risorto alla sua SS. Madre*.

APPENDIX II

DE APOCRYPHIS MARIANIS

Quid sint. – Sunt « libri qui, utpote a Deo non inspirati, ab Ecclesia extra canonem librorum sacrorum ponuntur, licet ratione tituli aut argumenti, auctoritatem divinam sibi arrogare videantur, vel ut libri inspirati apud quosdam olim habiti sint » (FREY, in op. *Inst. Bibl.*, vol. I, p. 142, Romae 1933, ed. 4).

Quaenam sint. – Apocrypha quae de B. M. V. pertractant dividi possunt — sicut cetera omnia — in apocrypha Veteris T. et in apocrypha Novi T.

A) APOCRYPHA V. T. Aliquid de B. Virgine habetur in sequentibus: 1) Testamentum duodecim Patriarcharum; 2) Ascensio Isaiae; 3) Odae Salomonis; 4) Oracula Sibyllina.

1. *Testamentum duodecim Patriarcharum* refert ultima verba filiorum Iacob, et in sua forma primitiva est saec. II vel I a. C. Varias tamen interpolationes a Christianis passum est. Extat versio graeca. Charles a. 1908, Londini, edidit versionem anglicam.

In hoc apocrypho, II (Ioseph) 19 (PG II, 1140-a) clara mentio fit de *Virgine Matre Agni Immaculati*.

2. *Ascensio Isaiae*, composita est a christiano circa a. 100-150 p. C. Habetur descriptio extasis Isaiae eiusque iter per septem caelos, ubi plura mysteria de Christo eiusque Ecclesia videt. Textus graecus non amplius habetur; extant tamen versio aethiopica et latina. E. Tisserant, Parisiis, 1909, edidit versionem gallicam; Charles vero, a. 1919, edidit Londini versionem anglicam.

In hoc apocrypho extollitur *virginitas in partu*. Summa huius apocryphi ita exhibetur a Neubert: « Le prophète prévoit, dans une vision apocalyptique, le mystère de l'Incarnation » (chap. 11): « Et je vis, de la race de David le prophète, une femme du nom Marie; elle était vierge, et fiancée à un homme du nom de Joseph, charpentier, et lui aussi était de la semence et de la race de David, le juste, de Bethléhem de Juda. Et il vint à ce qui lui était échu. Et quand elle fut fiancée, il se trouva qu'elle était enceinte, et Joseph, le charpentier, voulait la quitter. Mais l'ange de l'Esprit apparût en ce monde, et Joseph ne quitta point Marie, mais il la garda et ne révéla à personne cette parole. Et il ne s'approchait point de Marie, mais il la gardait comme une vierge sainte, quoique ayant conçu. Et il n'habitait point deux mois avec elle, et après deux mois, Joseph se trouvant à la maison ainsi que Marie, sa femme, mais chacun à part, il arriva que, tandis qu'ils étaient seuls, Marie regarda de ses yeux et vit un petit enfant, et elle était effarée; et après que son effarement l'eut quittée, son sein se trouva comme avant qu'elle fût enceinte. Et quand Joseph, son mari, lui dit: D'où vient ton effarement? ses yeux s'ouvrirent, et il vit l'enfant, et il loua Dieu de ce que le Seigneur était venu dans son domaine. Et une voix se fit entendre: Ne racontez cette vision à personne. Mais le

bruit touchant l'enfant se répandit dans Bethléhem. Quelques-uns disaient: La Vierge Marie a enfanté avant d'être mariée depuis deux mois. Et beaucoup disaient: Elle n'a pas enfanté, la sage-femme n'est pas montée, et nous n'avons entendu aucun gémissement. Et ils étaient tous dans l'incertitude au sujet de l'enfant; tous le connaissaient, mais nul ne connaissait d'où il était. Et ses parents le prirent et vinrent à Nazareth en Galilée » (*Marie dans l'Eglise anténicéenne*, pp. 173-175).

3. *Odae Salomonis* sunt cantica, probabiliter gnosticae originis, circa a. 150-200 p. C. in Syria. Versionem syriacam (cum versione anglica) edidit Harris, a. 1909; versionem italicam vero edidit Tondelli, a. 1914.

Etiam in hoc apocrypho extollitur *virginitas in partu*.¹

4. *Oracula Sybillina* 14 libros, graece exaratos et versibus, constituunt. Desunt tamen libri 9 et 10. Maxima pars horum librorum ad christianos auctores pertinent saeculi II vel III p. C.² Liber 6 et 7 videntur gnosticae originis.³

In oraculis istis (in L. VIII, 269-270; 357-358; 456-457) quae magnum inveniunt favorem in initio saec. IV, semel tantum B. Virgo appellatur nomine proprio (457), virgo ex sinu immaculato (461), quae virginaliter parturit (472). « Elle apparaît, non plus seulement avocate d'Eve, comme chez Irénée, V, XIX, 1, mais *médiatrice* du genre humain et la grâce de la pénitence est donnée par ses mains (358). Ceci est nouveau, et très digne d'attention, comme indice de l'orientation des esprits vers l'invocation de la Vierge » (D'ALÈS, l. c., col. 168).

B) APOCRYPHA N. T. qui de B. Virgine pertractant sunt: 1) Protoevangelium Iacobi. – Evangelium Nativitatis Mariae. – Liber de ortu B. M. V. et de infantia Salvatoris; 2) Epistolae B. M. V.; 3) Transitus Mariae; 4) Apocalypsis B. M. V.⁴ Ad singula:

I. *Protoevangelium Iacobi*, vel *Historia Iacobi de nativitate Mariae*, graece primum exaratum, et S. Iacobo Apostolo « fratri Domini » tributum, 25 capituli

¹ Cfr BOVER, in eph. *Estudios Eclesiásticos*, 1931, 949 sq.

² Cfr GEFFCKEN, *Komposition und Entstehungszeit der Oracula Sibyllina*, pp. 38-46, in *Texte und Untersuchungen*, 23, 1, Leipzig, 1902.

³ Editiones: GEBHARDT O., *Corpus Berlinense*, 8 (1902); BATE, London, 1918 (versio anglica); PINCHERLE A., Romae 1922 (versio ital. librorum 3-5).

⁴ Cfr AMANN E., art. *Evangelia apocrypha*, in *Dict. Vacant*, coll. 1635-1638; *Apocryphes du Nouveau Testament*, in *Suppl. ad Vigouroux, Dict. de la Bible*, fasc. II-III, 460-533; JAMES, *The apocryphal New Testament*, ed. 2, 1926; opus istud, iudicio multorum, optimum est inter omnia eiusdem generis opera. LECLERCQ, art. *Apocryphes*, in *Dict. d'Archéol. et de Liturgie*, coll. 2555 sq.; JANSSENS AL., *De Heilige Maagd en Moeder Gods Maria I. Het dogma en de Apocriefen*. (Leerboeken der Dogmatica) Vijfde Traktaat, Antwuerpen, Brussel en Leuven, 1926, v. 314 bl.; HENNECKE E., *Neutestamentliche Apokryphen*, Tubingen, 1904; SCARABELLI A., *I Vangeli Apocriifi*, Bologna, 1867 (versio ital.).

Textus Apocryphorum N. T. inveniri possunt apud FABBRICIUS I. A. (*Codex apocryphus N. T.*, 1-2, Hamburg, 1719-43); apud THILO (*Codex apocryphus N. T.*, T. I. Lipsiae 1832), TISCHENDORF (*Evangelia apocrypha*, Lipsiae, 1853).

bus constat; in 17 prioribus narratur vita B. M. V. ante annunciationem; in aliis 8 posterioribus vero referuntur initia historiae evangelicae i. e. conceptio miraculosa et partus virgineus Redemptoris, adventus Magorum et caedes innocentium nec non occisio Zachariae patris Ioannis Baptistae, iussu Herodis.

De libro Iacobi mentionem faciunt Origenes (*Comment. in Matth.*, t. 10, 17, PG 13, 876-877) et Clemens Alex. (*Strom.*, VII, 16, 93, PG 9, 529); eius tamen vestigia in operibus S. Iustini (*Dial. cum Tryph.*, c. 78, PG 6, 657) deprehenduntur.

Attamen in sua actuali forma, opus hoc non videtur antiquius saec. III. Ars christiana iugiter et copiosissime hausit ex illo.

Summa huius apocryphi haec est: Ioachim, Annae maritus, ob eius sterilitatem a Synagoga una cum eius donis eicitur: ob hoc domum redire renuit, et in montem abiit, ieiunans 40 dies et 40 noctes (c. I). Anna vero, uxor eius, ab ipsa ancilla exprobat, descendit in hortum domus suae et Deum ardentem exorat (II-III). Angelus apparet eis promittens filiam quae percelebris erit in universo mundo, et statim Anna, divina virtute, concipit Mariam (IV), quae post novem menses nascitur eique nomen Maria imponitur (V). In primo anniversario nativitatis fit magnum convivium ad quod invitati fuerunt principes sacerdotum, scribae, senatus et universus populus Israel (VI). Tertio aetatis suae anno, B. Virgo solemniter in templo a suis parentibus offertur et Dei servitio mancipatur (VII). In templo ab angelo nutrimentum accipit. Vix 15 annos nata, quaeritur ei a sacerdotibus sponsus, iussu Dei, inter viduos stirpis ipsius, et divine proponitur electio per probationem virgarum (VIII). Inter virgas super altare depositas, sola efflorescit virga Iosephi senis, vidui, qui ex prima uxore filios susceperat. Virginem accipit, cum expresso tamen pacto illam intactam relinquendi. Et discessit ab ea (IX). Interim, iussu Zachariae, principis sacerdotum, qui mutus fit, B. Virgo in domo sua, lanam tractat pro templo (X). Dum quadam die aquam haurit e fonte, apparet ei Angelus annuntians Incarnationem Verbi (XI). Elisabeth invisit (XII). Cum Ioseph reversus esset, graviditate uxoris comperta, in summam animi anxietatem incidit quae tragice omnino describitur (XIII-XIV). Ioseph una cum Maria accusatur a scriba (XV). Mariae innocentia legaliter probatur per aquas zelotypiae (XVI). Adventante partus tempore, Maria una cum Ioseph Bethlehem, iussu Imperatoris Augusti, se confert; omnia in mundo suspenduntur, cursus astrorum, animalia, flumina etc. (XVII); obstetrix nomine Salome a Ioseph vocatur, quae testimonium reddit de Virginitate Mariae (XVIII-XIX-XX). Narratur adventus Magorum (XXI), persecutio Herodis et alia plura de Elisabeth, Zacharia et Ioanne Baptista (XXII-XXV).

Scopus auctoris, qui christianus¹ fuisse videtur, est evidenter glorificatio Mariae, Virginis et Matris, ad efficaciter defendendas ideas orthodoxas personam Christi respicientes. Illud vero in quo magis insistit, est puritas perfecta et virginitas absoluta Mariae in conceptione et in partu Christi.

¹ « Il est bien difficile d'y trouver des traces de gnosticisme. C'est le christianisme populaire qui s'y reflète ». Ita AMANN, *Suppl.*, col. 482.

Protoevangelium graecum Iacobi, quod magna existimatione gavisum est in omnibus Ecclesiis orientalibus, ubi fuit maxime vulgatum, cum multis additamentis ortum dedit in Occidente, apud Latinos, *Evangelio Pseudo-Matthaei*, seu *liber de ortu B. M. V.* et de infantia Salvatoris, 42 capitibus, cuius epitome latina, 10 capitibus constans, facta est sub nomine *Evangelium Nativitatis Mariae*. Utrumque opus ad finem saec. IV vel ad initium saec. V pertinere videtur.¹

2. *Epistolae B. M. Virginis*. Sunt praesertim tres, videlicet, Epistola ad Messanenses, ad S. Ignatium et ad Florentinos.

a) *Epistola B. M. V. ad Messanenses*. Asservatur religiosissime Messanae in Ecclesia Cathedrali. Mutius Iustinopolitanus (in op. *Historiae sacrae*, l. I, c. 13) aliique tradunt Messanenses, fama Pauli Ap. Regii Calabrum praedicantis commotos, ipsum D. Paulum rogasse ut Messanam se conferret ad Evangelium praedicandum ... Paulus venit atque inter alia de Incarnationis mysterio verba fecit et dixit Virginem per quam Verbum incarnatum est, Hierosolymis morari. Quibus auditis, Messanenses, gaudio repleti, legatos instituerunt qui una cum ipso Apostolo Hierosolymam se contulerunt, et Beatam Virginem rogaverunt ut Patrona propriae civitatis fieri dignaretur. Annuit Virgo et propriis manibus, hebraica lingua, litteram conscripsit in qua suam in Messanenses propensissimam voluntatem testata est. Ita etiam, plus minusve, referunt Constantinus Navarrus (in libro *De oratione et horis canonicis*, c. 21, n. 28), Melchior Inchoefer, etc.

Epistola haec, quae fuisset a S. Paulo in linguam graecam conversa, ita in latinum sermonem a Constantino Lascaris translata est:

Maria Virgo, Ioachim filia, humillima Dei ancilla, Christi Iesu crucifixi Mater, ex tribu Iuda, stirpe David, Messanensibus omnibus salutem, et Dei Patris omnipotentis benedictionem.

*Vos omnes fide magna legatos ac nuntios, per publicum documentum ad nos misisse constat. Filium nostrum Dei genitum, Deum et hominem esse fatemini, et in caelum post suam resurrectionem ascendisse, Pauli Apostoli electi praedicatione mediante, viam veritatis agnoscentes: ob quod vos, et ipsam civitatem benedicimus, cuius perpetuam protectionem nos esse volumus. Anno Filii nostri XLII, III. Non. Iulii, luna 17, Fer. V, ex Hierosolymis. Maria Virgo.*²

¹ AMANN E., *Le Protévangie de Jacques et ses remaniements latins* (textus graec. cum vers. gall.), Paris, 1910 (collection *Les apocryphes du Nouveau Testament*); PISTELLI, Lanciano, 1919 (versio ital.).

Adiungi potest Gnosticos duo alia opera apocrypha possedisse, quibus titulus erat: *Magna et Parvae interrogationes Mariae*, de quibus mentio fit a S. Epiphanio (*Haeres.* 26, § 8, p. 89, ed. a. 1682) qui nobis refert illa turpissimis quibusdam particularibus referta esse. — Apud abyssinos vigeat oratio quaedam magica (vanissima et ineptissima) quae a B. Virgine composita dicitur (cfr LUDOLPHUS, *Historia Aethiopica*, III, 4).

² Cfr BOURASSÉ, *Summa Aurea*, t. 13, col. 600. Circa hanc Epistolam, amplissima habetur literatura. ANDRAEAE (S.), *De epistolis B. Virginis Mariae*, Marburgi, 1682, in-4. 16 pp.; ARGANANZIO D., *Veritiera relazione della s. lettera scritta dalla gran Vergine, madre di Dio Maria, alla città*

Epistola haec, est sat evidenter apocrypha. Etenim: 1) tituli quibus incipit, aegre cum humilitate B. M. Virginis componuntur; 2) Epistola scripta dicitur anno 42 Christi. At anno 42, prout apparet ex Chronologia Actuum Apostolorum, S. Paulus nondum Orientem reliquerat. Insuper, num vivente iam Virgine anni numerabantur a Christo? 3) Si Epistola genuina fuisset, latuisset Eusebium et praesertim Hieronymum qui in illa irrefutabile invenisset argumentum contra Helvidium pro Deiparae Virginitate post partum?... Videtur conficta a quodam Graeco Antistite Lascaris ad gratiam Messanensium sibi conciliandam (cfr MABILLON, *De re diplomatica*, p. 25). Chronista quidam *Dexter* qui illam citat ad a. 860, nunquam vixit, et opus eius compositum fuit saec. XVI a quodam Bivar.

b) *Epistola ad S. Ignatium*¹ sic se habet: « Ignatio dilecto Discipulo humilis ancilla Christi Iesu — De Iesu, quae a Ioanne audisti, et didicisti, vera sunt. Illa credas, et illis inhaereas, et Christianitatis votum firmiter teneas, et mores et vitam voto conformes. Veniam autem una cum Ioanne, te, et qui tecum sunt, visura. Sta in fide, viriliter age, nec te commoveat persecutionis austeritas sed valeat, et exultet spiritus tuus in Deo salutari tuo. Amen ». Epistola haec primum impressa apparuit Parisiis a 1495, in fine op. *Histoire de la vie et de la mort de S. Thomas de Cantorbery*.

di Messina ..., Messina, 1689, in-12; BALSANO O., *Discorso sopra la favorita lettera della Vergine N. S. vivente in terra scritta alla città di Messina*, Messina, 1646; BELLÌ P., *Gloria Messanensium sive de Epistola Deiparae Virginis scripta ad Messanenses dissertatio in II libris distributa ...*, acc. elogium Constantini Lascaris ... et breviarium peregrinationum S. Pauli Apostoli ..., Messanae, 1642, in-fol., 22 f., 177 pp., 8 f., 2 pl.; BONFILIIUS I., *Epistolae b. Virginis Mariae ad Messanenses veritas vindicata*, Messanae, 1629; CAGLIOLA F., *La lettera di Messina in difesa di Maria...*, Messina, 1650, in-4; CORSI P. P., *Bibliotheca Mariana, continens elogium illustrium virorum qui de s. B. V. epistola ad Messanenses scripsere vel in suis operibus meminere*, ms., Messanae; IN-CHOEFFER (MELCHIOR), S. I., *Epistolae B. Mariae V. ad Messanenses veritas vindicata ac plurimis graviss. scriptorum testimoniis ac rationibus erudite illustrata*, Messanae, 1629, in-fol., 312 pp. Volumen hoc Viterbii, a. 1631 iterum impressum, ab Alexandro VII in Indicem librorum prohibitorum relatum est. Ob hanc rem titulus novae impressionis fuit: *De Epistola B. M. V. ad Messanenses coniectatio plurimis rationibus et verisimilitudinibus locuples*, (Romae), 1632, in-fol., 4 f., 478 pp. 242; MENNITI P., *Distinte notizie e tradizioni della S. Lettera cavate da libri e codici antichi in varie lingue orientali*, Roma, 1715, in-4; *L'antica e pia tradizione convalidata con nuovi documenti, ragioni e congetture*, Roma, 1718, in-4, Messina, 1720, 4; PATÈ F., *Censura sopra d'uno scritto promulgato da ... Rocco Pirro contro l'antica tradizione della s. lettera scritta dalla SS. Vergine alla città di Messina*, Venezia, 1652, in-8; *ibid.*, 1655, in-8; PERGAMI M. H., *De Epistola B. M. V. ad Messanenses*, Messanae, 1644, in-4; PERIMEZZI G. H., *Difesa per la s. lettera*, Messina, 1730, 2, v. 4; PISA (BARTOL.), *La lettera provata, ossia ristretto degli argomenti che provano la B. Vergine vivendo avere da Gerusalemme scritto la s. lettera*, Messina 1670, in-4 SAPIOLUS L., *Constantia s. Litterae a SS. Virgine Messanensibus scriptae*, Messanae, 1699

¹ S. Ignatius M. in una suarum *Epistolarum* ad sacratissimam Virginem, eandem enixe rogavit ut, pro consolatione et confortatione sui et plurium Neophytorum ad se venire dignaretur. Cui B. Virgo per *Epistolam* propriis manibus scriptam respondit.

Etiam haec epistola « sine dubio inter apocrypha ab omnibus ponitur. Ecce enim Hieronymus et alii, qui ex professo Ignatii recensuere Epistolas, de Epistola illius ad Virginem, vel Virginis ad Ignatium nec iota commemorant: ut taceam, nihil notam redolens devotionem ... Demum, nihil Virgine dignum reperies; quid quaeso textus Apostoli: *sta in fide, viriliter age?* quid verba ex Virginis Cantico: exultet spiritus tuus in Deo salutari tuo? Nonne vides manum distinctam a Virgine?... » (PLANCH A., O. S. M., *Vita B. M. V., dogmatico-critice conscripta*, Oeniponti, 1762, p. 275). Epistola haec tamquam apocrypha habita est a Baronio (ad an. 48, n. 25; ad a. 109, n. 34); a S. Rob. Bellarmino (*De script. eccl.*), a P. Possevino (*Appar. sacer*), a Theophilo Raynaud (*Erotemata de bonis et malis libris*, p. 148), a C. De Castro (*Hist. Deiparae*, c. 23), a Tillemont (*Memoires*, t. 1, p. [19] etc.

c) *Epistola ad Florentinos*, sic sonat: « Maria Virgo, Florentia Deo, et Domino Iesu Christo Filio meo, et mihi dilecta! Tene fidem, insta orationibus, roborare patientia; his enim sempiternam consequeris salutem apud Deum ». ¹ Epistola haec ² ignota fuit Eusebio, S. Hieronymo etc., et nemo est qui eam inter apocryphas scripturas non reponat.

3. *Transitus Mariae*. Habetur in hoc apocrypho narratio de morte et assumptione B. M. V. Textus primigenius huius narrationis videtur esse graecus; ab ipso autem derivata est duplex recensio latina (quarum prima tribuitur Melitoni Sardicensi, c. a. 170, et alia Ioseph ab Arimathea), quae in pluribus rebus alicuius momenti differt. Textus Melitonis retractatio quaedam esse videtur scripti cuiusdam a Leuco, haeretico saec. II, confecti prout in prologo legitur (cfr CAMPANA, *Maria nel dogma*, p. 851). Campana opinatur textum *Transitus Virginis* a Gelasio damnatum, fuisse Librum Leuci, prout ex prologo Melitonis apparet. ³

¹ Tres istae Epistolae exhibentur a FABRICIO in suo *Codice apocrypho N. T.*, t. 1, p. 843 sqq., latine tantum, ubi etiam videri possunt rationes criticae pro vel contra genuinitatem harum epistolarum, pp. 834 seqq., 844 seqq. Legi etiam possunt Epistolae istae apud MIGNE, *Dictionnaire des Apocryphes*, t. 2, coll. 499-502. Ibidem (coll. 502-503) invenitur etiam alia Epistola, ridicula et fabulosa, a B. Virgine missa « ex caelo empireo in die aeternitatis » ad quemdam Fratrem Antonium de Villa Basilica, Religiosum Italicum, Ordinis — prout videtur — Praedicatorum.

² Epistola haec tamquam dubia habita est etiam ab Antonio Macedo (in 1. *De diis tutelariis orbis christiani*) qui tamen authenticam Epistolae ad Messanenses admittit (o. c., p. 207). Adrianus van der Lyere (in op. *Trisag. Mar.*) asserit Epistolam hanc a Hieronymo Savonarola in quodam sermone, tamquam authenticam habitam esse. Ioannes a Carthage ad veterem traditionem Florentinam appellat.

³ Notatu dignus est *Liber transitus B. M. V.* a S. Ioanne conscriptus, primum editus in textu arabico cum versione latina a Maximino Euger (Elberfeld, R. L. Friderich, 1854, in-8, XIX et 107 pp.), qui textum invenit in Bibliotheca civitatis Bonn (503) Conferri deberet textus iste cum manuscripto Vaticano de quo mentionem facit Assemani (*Bibliotheca Orientalis*, t. 3, p. 287) sub titulo: *Historia Dormitionis et Assumptionis beatae Mariae Virginis Ioanni Evangelistae falso inscripta*.

Textus *Transitus* editus ab Euger, in summa rei cum textu Melitonis convenit sed in singulis diversus apparet. Legi potest apud MIGNE, *Dictionnaire des Apocryphes*, t. 2, coll. 505-532.

Summa huius apocryphi haec est: Dum B. Virgo apud S. Sepulchrum orat, ab Angelo Gabriele nuntium suae proximae mortis accipit. Bethlehem se recipit, ubi invisitur ab Apostolis ibi miraculose in unum congregatis. B. Virgo moritur Hierosolymis, inter plura mirabilia, et Apostoli, funebribus celebratis, illam in horto Gethsemani sepeliunt. Post tres dies corpus B. Virginis in caelum ab Angelis defertur. Iuxta primam recensionem latinam, Apostoli *de visu* disparitionis virginis corporis testes fuissent.

Narratio haec, quoad substantiam identica in omnibus variis recensionibus, magnum exercuit influxum in Ecclesia sive Graeca sive Latina. Communiter narratio ista habetur tamquam partus pietatis popularis saec. iv. Ita Tischendorf (*Apocalypses apocryphae*, Lipsiae, 1866, pp. 124-136) et etiam O. Faller (in op. *De priorum saeculorum silentio* circa Assumptionem B. M. V., Romae 1946, pp. 44-60) contra P. Jugie qui Transitum Ps. Melitonis medio saeculo vi attribuit.

Textus graecus huius apocryphi, qui S. Ioanni Evangelistae tribuitur, editus est a Tischendorf iuxta quinque manuscripta (a saec. xi ad saec. xiv) quibus titulus est: *Sermo S. Ioannis de dormitione Deiparae*.¹

4. *Apocalypses B. M. V.* Duae sunt: a) *Apocalypsis B. M. V. de poenis damnatorum*, et b) *Apocalypsis de visione quadam a B. Virgine habita*.

a) Summa primae ita refertur a P. Frey:

« B. M. V., orans in monte Olivarum, rogat Deum ut sibi mittat archangelum Gabrielem, qui eam edoceat de poenis damnatorum. Venit Michaël et ostendit ei tormenta eorum qui " Patrem et Filium et Spiritum Sanctum non adoraverunt ", Virginem non confessi sunt Dei Genitricem, haec vel illa peccata commiserunt.

« Vehementer commota, B. M. V. supplicat Michaëlem ut intercedat pro christianis in inferno detentis. Respondet archangelus: " Septies per diem et septies per noctem, cum hymnum dominicum offerimus, memoriam peccatorum facimus, at non exaudit nos Dominus ". In coelum sublata, ipsa B. M. V. apud Deum misericordiam pro christianis implorat; intercedunt etiam Moyses, Ioannes apostolus, Paulus, totus exercitus angelorum et archangelorum. Tandem Deus, tot precibus flexus, mittit Filium qui damnatis concedit " per dies Pentecostes habere requiem ut glorificent Patrem et Filium et Spiritum Sanctum " ».

Iuxta James, conscripta est haec Apocalypsis saec. ix circiter (*Institutiones Biblicae*, vol. I, pp. 188-189).²

¹ Textus huius apocryphi inveniri potest apud TISCHENDORF, *Apocalypses apocryphae*, Lipsiae, 1870. Textus Pseudo-Melitonis apud MIGNE, PC, t. 4, coll. 1019-1027.

Cfr etiam PLESSIS, *De la valeur historique des Apocryphes « de Transitu Mariae »*, Congrès Marial de Nantes, 1924; *L'Assomption de la B. M. V.*, Paris, 1925, pp. 59 sq.; VITTI A., S. I, *Libri apocryphi de Assumptione B. M. V.*, in *Verbum Domini*, t. 6 (1926), p. 225.

² Cfr GIDEL, *Etudes sur une apocalypse de la Vierge Marie*, Paris, 1871. Textus graecus huius apocalypsis editus est a JAMES, *Apocrypha Anecdota*, Cambridge, 1893, pp. 115-126. Versio gallica evulgata est a RUTHERFORD, ap. MENZIES, *Recently discovered manuscripts*, Edinburgi, 1897, pp. 167-174.

b) Summa secundae ita pariter a P. Frey exhibetur:

« Dum B. M. V. orat “ in Golgotha, hora sexta, in feria sexta ” (nam iuxta librum de Transitu V. M., “ erat consuetudo eius adire cotidie sepulcrum Golgotha, et ibi orare ”, ibid., p. 19), rapta est in tertium coelum ut ei revelentur secreta mysteria. Videt animam iustam e corpore egredientem et laete ab angelis exceptam, animam quoque peccatoris angelo gehennae, Temliako, traditam; invisit paradysum ubi colloquitur cum Henoch et Elia, quatuor flumina, vini, mellis, lactis, olei ac butyri, et beatos qui eorum ripas incolunt; infernum et flumen ignis ubi variis suppliciis afficiuntur peccatores, et imprimis ministri Ecclesiae et monachi. Etiam hic B. M. V. videtur damnatis obtinuisse levamen quoddam a poenis, nempe “ a vespere feriae sextae usque ad matutinum feriae secundae ”. Totam hanc revelationem Maria Virgo narravit Ioanni Apostolo ut eam scripto servaret ».

Apocalypsis haec pauca habet communia cum priori. E contrario in multis convenit cum *Apocalypsi Pauli* cc. 14-39, ita ut ab hac omnino dependere dicenda sit.

Cum Mahumedanos commemoret, non est anterior saec. VII (l. c., pp. 189-190)¹

ALIA APOCRYPHA in quibus de B. M. V. sermo est, sunt:

a) In apocrypho cui titulus *Evangelium infantiae arabicum* (opus saec. IV vel V), a c. X ad c. XXV, referuntur facta quaedam portentosa quae iter et comorationem S. Familiae in Aegypto illustrarunt, et in quibus B. Virgo partes praecipuas habet. Ipsa enim iam apparet tamquam *mediatrix* beneficiorum a Iesu infante collatorum.²

b) Etiam in *Epistola tertia S. Pauli Ap. ad Corinthios* (conscripta circa a. 190-200) invenitur affirmatio originis Davidicae B. M. V.³

c) In *Evangelio Petri* (c. a. 150 in Syria, a gnostico conscripto) mentio fit de virginitate post partum.

d) In *libro fidelis Sapientiae* (saec. VII-VIII, originis gnosticae) B. Virgo quaestiones plures Iesu Christo proponit (cfr MIGNE, *Dictionnaire des Apocryphes*, t. I, coll. 1200, 1203, 1210, 1222, 1235, 1241, 1258, 1262, 1264, 1273).

De Apocryphorum momento.⁴ Relate ad apocrypha, duplex excessus sedulo vitandus est: absoluta approbatio et absoluta reiectio. Plures enim inveniuntur

¹ Haec apocalypsis, in linguam latinam, ex textu *aethiopico*, translata est a MARIO CHAINE, *Apocrypha de B. M. Virgine* (« Corpus Scriptorum Christianorum Orientalium, Scriptores aethiopici », ser. I, t. 7), Parisiis, 1909, pp. 43-68. Cfr etiam JAMES, *The apocr. N. T.*, pp. 563 s.

² Textus inveniri potest apud THILO, TISCHENDORF etc.

³ Cfr *Actes de Paul*, ed. VOUAUX, p. 258, Paris, 1913. Editiones WEITER P., Wien, 1894 (textus latinus cum germ.); PINK K., *Biblica* 1925, 82 sqq. (textus lat.); HENNECKE, o. c., 207 sqq. (v. german.); JAMES, o. c., 289 sqq. (versio angl.).

⁴ Cfr SAINTYVES, *De la nature des évangiles apocr. et de leur valeur hagiographique*, in *Revue de l'Histoire des Religions*, Paris, 1932, 434 ss.

in ipsis veritates fabulis ineptis et deliramentis commixtae: « In his autem apocryphis — scribebat S. Augustinus — etsi inveniatur aliqua veritas, tamen propter multa falsa nulla est canonica auctoritas » (*De Civ. Dei*, IV, 23, 4, PL 41, 478, Quapropter, scribebat S. Hieronymus (*Ad Laetam de institutione filiae*, ep. 107) 12, CSEL, 55, 303): « grandis esse prudentiae aurum in luto quaerere ».

Apocrypha enim momentum historicum, dogmaticum et artisticum habere possunt.

1. *Momentum historicum*: « Come libri storici — scribit James — gli apocriphi mirano a supplire gli scarsi dati degli Evangelii e degli Atti; ed in ciò assomigliano ai Midrascim e agli apocriphi giudaici. Al par di quelli spesso rendono testimonianza della tradizione corrente » (Apoc., p. 12). Ita, e. g., nomina parentum B. M. V. (Ioachim et Anna), praesentatio B. M. V. ad Templum, nativitas Iesu in spelunca, primo leguntur in Protoev. Iacobi; Iesum recenter natum collocatum fuisse inter bovem et asinum, primum legitur in Evangelio Pseudo-Matthaei; antiquissimum testimonium Assumptionis B. M. V. primum legitur in apocrypho *Transitus B. M. V.*

2. *Momentum dogmaticum*. Referunt enim, aliquando, traditionem antiquissimam populi christiani circa veritates quasdam B. Virginem respicientes, praesertim circa divinam Maternitatem, Virginitatem, Assumptionem, Mediationem et altissimam ideam quam de B. Virgine primi Christiani possidebant. Ita, e. g., in Protoevangelio Iacobi B. Virgo exhibetur tamquam illa « in qua Deus manifestabit pretium redemptionis filiorum Israel », « admiratio saeculorum », « benedictione maxima » benedicta, « filia praedilectionis Domini ». Conatus qui iugiter apparet in auctoribus Apocryphorum glorificandi hanc singularissimam, signum est evidentissimum maximae existimationis et devotionis primorum christianorum erga Deiparam.

Iure scribebat Le Hir: « Essi stessi (apocrypha), hanno non solo diretto ma anche seguito il corso dell'opinione. Niente, meglio delle numerose leggende messe in circolazione fin dai primi tempi, a riguardo delle epoche più oscure della sua vita, serve a mostrare qual concerto di lodi sia per tempo risuonato attorno al nome benedetto di Maria, quale aureola di rispetto, di venerazione e di amore abbia sempre circondato la sua memoria » (*Etudes bibliques*, sect. III, art. 4).

3. *Momentum artisticum*. Iure scribebat MALE: « Nous avons le droit d'affirmer que sans les apocryphes, la moitié au moins des œuvres d'art du M. A. deviendrait pour nous lettre close » (*L'Art religieux au XIII^e siècle en France*, 4 ed., Paris, 1919, p. 314. Cfr *Dict. d'arch. chrét. et de lit.*, t. 1, coll. 2555-2579; JERPHANION, *La voix des monuments*, Paris, 1930, pp. 213-215; 222-225.

DE TRADITIONE

I. DE DOCTRINA MARIANA PATRUM¹

Vox *Patres* sensu stricto et sensu lato accipi potest:

Sensu *stricto*, Patres (post S. Vincentium Lirinensem † c. 450) vocantur scriptores Ecclesiae qui *a*) antiquitate, *b*) doctrinae orthodoxia, *c*) vitae sanctitate et *d*) approbatione ecclesiastica excellunt. Hoc sensu stricto Tertullianus, Origenes, Eusebius Caesariensis etc. Patres appellari non possunt.

Sensu *lato* per vocem *Patres* significantur « scriptores Ecclesiae antiquae qui, saltem aliquo tempore per vinculum fidei et caritatis Ecclesiae adhaeserunt testesque sunt veritatis catholicae » (STEIDLE, *Patrologia*, p. 9.). Hoc sensu lato Tertullianus, Origenes, Eusebius Caesariensis, etc. nomine Patrum appellantur.

Hoc sensu lato hic vox *Patres* accipitur. Summa vero esse debet nostra veneratio erga Patres, eo quod, ad ipsum Christum viciniore, ipsius doctrinam nobis servarunt, testati sunt, defenderunt et tradiderunt. Qui Patres legit, fontem ipsam Mariologiae adit. Scite scribebat Bossuet: « Quiconque veut devenir un habile théologien et un solide interprète (des Ecritures), qu'il lise et relise les Pères. S'il trouve dans les modernes quelquefois plus de minuties, il trouvera très souvent dans un seul livre des Pères plus de principes, plus de cette première sève du christianisme, que dans beaucoup de volumes des interprètes nouveaux » (*Défense de la Tradition et des saints Pères*, I P., l. 4, c. 18 sg.).

Periodus Patrum inter Latinos clauditur cum S. Gregorio M. (a. 604), cui adiunctus est S. Isidorus Hispanensis (a. 636). Inter Graecos vero periodus Patrum clauditur cum S. Ioanne Damasceno (a. 754).

¹ BARBIER, *La Sainte Vierge d'après les Pères*, 4 voll. Lyon, 1867, Girard; BOURASSÉ J. J., *Testimonia Mariana SS. Patrum ordine temporum digesta*, in *Summa Aurea*, t. 5, coll. 539-1389; t. 6, coll. 9-1502. Attamen plura alia testimonia habentur quae ibi non inveniuntur; plura vero quae ibi inveniuntur, apocrypha sunt; CAMPANA E., *Maria nei Padri e nei Dottori della Chiesa*, in ephem. *L'Assunta*, a. 1921-1922; D'ALÈS A., *Marie dans l'ancienne Tradition Patristique*, in *Dict. Apol.*, t. 3, coll. 155-209; KEUPPENS J., *Mariologiae compendium*, vol. III, Florilegium mariale, Documenta sacrae Traditionis, pp. 182-237; LIVIUS T., C. SS. R., *The Blessed Virgin in the first six centuries*, London, 1896; MISLEI, *La Madre di Dio descritta dai Santi Padri e Dottori della Chiesa*, Torino, 1868; PATÈ F., *Patristicum Mariae praeconium*, seu selecti textus in quibus Sancti Patres beatam M. Dei matrem venerantur et concelebrant, Paris, 1886, 32, IX-202 pp.; ORTIZ DE URBINA, *La Mariologia nei Padri Siriacci*, in *Orientalia Christ. Period.*, Romae, 1935, 100 sq.; *Lo sviluppo della Mariologia nella Patrologia Orientale*, in *Orientalia Christ. Period.* v. VI (1940), 40-82.

Circa VALOREM THEOLOGICUM doctrinae Patrum haec tenenda sunt:

1. Consensus *moraliter* unanimes Patrum, etiam *unius aetatis*, asserentium doctrinam aliquam esse de fide, est *certum* divinae Traditionis argumentum. Tunc enim Patres referunt doctrinam universalis Ecclesiae quae, in rebus fidei et morum, quolibet tempore infallibilis est.

2. Testimonium *unius aut plurium* Patrum circa res fidei et morum, vim habet argumenti probabilis tantum, eo maius quo maior est numerus et auctoritas Patrum.

3. Cum Patres vere inter se circa aliquam rem dissentiant, eorum auctoritas nullum praebere potest firmum argumentum.

Hisce positis tempus Patristicum in triplicem aetatem subdividi potest, videlicet: a) *Aetas antenicaena* (saec. I-IV), b) *Aetas patrum maiorum* (a Conc. Nic. ad S. Leonem M., 325-461); c) *Aetas patrum minorum* (saec. VI-VIII).

A) *Aetas Antenicaena*¹

Ad hanc aetatem pertinent: 1) S. Ignatius M. († 107), 2) S. Iustinus M. († 165-166), 3) S. Irenaeus M. († c. 202-203), 4) S. Hippolytus († 235), 5) Tertullianus († 222 aut † 240-250), 6) Origenes (185 6-254 5).

I. S. IGNATIUS Ep. Antiochenus et Martyr († 107).²

S. Ignatius, tertius Ep. Antioch., ab urbe Antiochena Syriae Romam delatus est, ubi a. 107 ad bestias damnatus martyrii palmam obtinuit. S. Ignatius est veluti echo Apostolorum et praesertim S. Ioannis.

In suis Epistolis, in quibus textus Mariologici omnium antiquissimi inveniuntur, docet:

1. B. Mariam esse Dei Genitricem: asserit enim quod Deus in carne existens provenit ex Maria et ex Deo *καὶ ἐκ Μαρίας καὶ ἐκ θεοῦ* (Ep. ad Eph. VII, 2; FUNK, *Patres Apostolici*, I, 218); asserit insuper Christum ex Maria *ἐκ Μαρίας* vere genitum fuisse (*Ad Trall.* IX, 1, ioid. 248¹³).

2. B. Mariam fuisse *Virginem ante partum et in partu*: « Filius autem Dei, qui ante saecula natus est et omnia dispositione patris constituit, ipse in utero portatus est a Maria secundum dispensationem ex semine David et Spiritu Sancto » (*Ad Ephes.* XVIII, 2; ibid. 226-228). Et paulo post: « Et latuit principem huius saeculi virginitas et *partus* eius; similiter et mors Domini. Tria mysteria clamavit

¹ Cfr LEYSSEN, *Marie dans l'Eglise Anténicéenne*, in *Mémoires et Rapports du Congrès Marial tenu à Bruxelles*, vol. I, pp. 45-54; NEUBERT E., *Marie dans l'Eglise anténicéenne*, Paris, 1908; NAUWELAERTS M. A., *De Maria, nova Eva*, Doctrina Patrum antenicaenorum, in *Div. Thom.* (Pl.) 1931, pp. 480-491; DE GRUYTER, *De Nieuwe Eva*: Mar. dag., pp. 153-172.

² BELLON L., *De Marialeer van Ignatius, Iustinus, Irenaeus en Origenes*. Handelingen van het Vlaamsch Maria-Congres te Brussel 1921, I, 161-184.

in silentio ... » (Ibid., FUNK, I, 228³⁻⁴). S. Ignatius, omnium primus, asseruit sponsalia B. Virginis cum S. Ioseph causam fuisse cur Mariae virginitas diabolo abscondita permanserit.

2. S. IUSTINUS Martyr († 165-166)

Ex parentibus graecis et gentilibus ortus et in variis scholis philosophicis suorum temporum educatus, ad Christum conversus est circa a. 130. Multa scripsit, sed remanent tantummodo duae apologiae et Dialogus cum Tryphone (cfr PG 6).

Praecipua capita doctrinae Marianae sunt haec: 1) Maria, genuit « Filium Dei » (*Dial. c. Tryph.*, 100, PG 6, 709-712); 2) Deum ex Virgine conceptum et natum probat ex prophetia Isaiae (ibid., PG 6, 709-712); S. Iustinus, primum omnium B. Mariam simpliciter *Virginem* appellat: *διὰ τῆς παρθένου* (ibid., PG 6, 712): quod appellativum postea commune evasit; 3) Eva, virgo, sermone serpentis concepto, inobedientiam et mortem peperit; Maria virgo, e contra, sermoni angelico credens, illum concepit et peperit qui nos a morte et a peccato liberat (*Dial. c. Tryph.*, n. 100, PG 6, 709-712).

S. Iustinus primus est qui Mariam comparat Evae, antithesim hanc instituendo:

- | | |
|---|---|
| 1) Eva Virgo. | 1) Maria Virgo. |
| 2) Eva credit et obedit serpenti. | 2) Maria credit et obedit angelo. |
| 3) Eva ob suam credulitatem fit mater peccati et mortis omnium. | 3) Maria ob suam oboedientiam, fit Mater Eius qui destruit operam diaboli et homines credentes a morte liberat. |

3. S. IRENAEUS Lugdunensis (c. 140 - † c. 202-3)¹

S. Irenaeus — maximus Theologus et Mariologus saec. II — natus est in Asia Minori circa a. 140, et discipulus fuit S. Polycarpi [Ep. Smyrnensis et S. Ioannis Ap. discipuli. Marci Aurelii temporibus (161-180) morabatur Lugduni

¹ ALÈS (D') A., *Marie, Mère de Dieu*, in *Dictionnaire Apologétique de la Foi Catholique*, III (1916), 159-160, 201-202; BARDENHEWER O., *Zur Mariologie des heiligen Irenäus*, in *Zeitschrift für katholische Theologie*, VI (1931), 600-604; BOVER J., *S. Irenaeus Lugd. universalis mediationis B. M. Virginis egregius propugnator*, in *Analecta Sacra Tarraconensia*, I (1925), 225-241; CAPPELLE B., « *Adhuc virgo* » chez S. Irénée, in *Recherches de Théologie ancienne et médiévale*, II (1930), 388-395; GARCON J., *La Mariologie de Saint Irénée* (Thèse de Doctorat), Lyon 1932; GALTIER P., *La Vierge qui nous régénère* (S. Irénée, *Adv. haer.* IV, 33, 4 et 11), in *Recherches de Science religieuse*, V (1914), 136-145; *La Maternité de grâce dans S. Irénée*, in *Mémoires du Congrès Marial de Bruxelles*, 1921, vol. I, 41-45; GENEVOIS M.-A., O. P., *La maternité universelle de Marie*, in *Revue Thomiste*, Nouvelle série, t. 19, nr. 93 (1936), 26-51; JOUASSARD G., *Le premier-né de la Vierge chez S. Irénée*, in *Revue des Sciences Religieuses*, XII (1932),

in Gallia, ubi circa a. 170 Presbyter Ecclesiae Lugdunensis apparet. Circa a. 179 Episcopus consecratus, Ecclesiae doctrinam, stylo potius inculto at ardentissimo fervore, contra Gnosticos defendit in opere *Adversus haereses*, quod 5 voluminibus constat (cfr PG 7; PO 12), et in opere *Demonstratio praedicationis apostolicae*. Momentum Mariologiae S. Irenaei patet a) ex eius antiquitate, b) ex eius fideli adhaesione traditionibus apostolicis et praesertim, c) ex eius universalitate: est enim testis non unius tantum Ecclesiae particularis sed plurium et quidem praecipuarum, videlicet, Asiae Minoris, Romanae et Galliae, ob successivam eiusdem commorationem in illis diversis locis. Ipse est « le fidèle et le plus complet représentant » Theologiae saeculi II (TIXERONT, *La Théologie anténiceenne*, 2 ed., Paris, 1905, p. 261).

Eius doctrina mariana (cfr BOURASSÉ, l. c., coll. 545-558) ad haec praecipua et fundamentalia capita reduci potest:

a) **Maternitas Divina.** Quamvis S. Irenaeus B. Virginem nec « Matrem Christi » nec « Matrem Dei » appellet, rem tamen per tales titulos significatam, explicite docet, ita ut tituli illi bene, iuxta S. Irenaeum, B. Virgini tribui possint. Docet enim Iesum Christum fuisse verum Deum, ab altissimo Patre genitum, et verum hominem, ex virgine *vere* genitum et natum, Emmanuelem ex Virgine (*Contra haereses*, l. III, c. 20, HARVEY, II, 104). Christus *veram* carnem ex Virgine conceptam et natam sumpsit (ibid., l. III, c. 22).

b) **Virginitas Mariae.** 1. Nemo, inter veteres scriptores, sicut S. Irenaeus virginitatem Mariae *ante partum* tam explicite docuit. Argumentum hoc evolvit « perpulchris explicationibus Veteris Testamenti atque per longum et latum claris textibus Novi Testamenti » (PRZYBYLSKI, l. c., p. 110). B. Virgo, iuxta ipsum, concepit manens Virgo iuxta Isaiae prophetiam; sicut Adam ex terra virgine formatus fuerat ita Christus ex Virgine Maria carnem assumpsit (*Contra haereses*, l. III, c. 21). « Recapitulationis denique nisus principio, Irenaeus ostendit Christum non potuisse esse Deum simul et hominem, id est verum Salvatorem, nisi ex Virgine natus esset » (PRZYBYLSKI, o. c., p. 110).

2. Relate ad virginitatem *in partu*, haec certe a S. Irenaeo *non negatur*, prout contendunt quidam acatholici (HERZOG G. (Turmel), HARNACK, et recenter KOCH,

509-532; KOCH H., « *Adhuc Virgo* ». *Mariens Jungfrauschaft und Ehe in der altkirchlichen Ueberlieferung bis zum Ende des 4. Jahrhunderts*, Tübingen 1929, in *Beiträge zur historischen Theologie*, 2; LUKMAN F. K., *Sv. Irenej o Marijinem devistvu*, in *Bogoslovni Vestnik*, X (1930), 105-120; PRZYBYLSKI B., O. P., *De Mariologia S. Irenaei Lugdunensis*, Romae, 1937; RIGUAT A., *La théologie mariale de S. Irénée*, in *Annales de philosophie chrétienne*, VI (1905), 121 sqq.; SCHERER W., *Zur Mariologie des heiligen. Irenäus*, in *Zeitschrift für katholische Theologie*, XLVII (1923), 125-129; VERNET F., *Irénée*, in *Dictionnaire de Théologie Catholique*, VII (1923), 2465-2466.

o. c., pp. 12-13).¹ Quidam vero Catholici (e. g. D'ALÈS, BARDENHEWER, NEUBERT) censent S. Irenaeum illam *explicite affirmasse*. PRZYBYLSKI, vero, post diligentem inquisitionem textuum S. Irenaei, tenet illum *expresse* talem virginitatem non docuisse. « Sermo est quidem quandoque de miraculosa atque pura nativitate Christi, sed huiusmodi expressionibus virginitas in partu apodictice probari non potest » (l. c., p. 110). Sic e. g. S. Irenaeus scribit: « Et de nativitate etiam eius dicit alio loco idem propheta: « Priusquam advenerint dolores partus, liberatus est (et) exivit masculus » (Is. 66, 7), « inexpectatum et inopinatum *per virginem partum* eius annuntiavit ... ».

« Notandum est: 1) Irenaeum in hoc textu distinguere partum a conceptione; 2) hunc partum fuisse sine doloribus ac miraculosum (“ inopinatum et inexpectatum ”). Ex hoc tamen nondum sequitur illum fuisse *virginalem*. Cum vero Irenaeus a se addat: “ inopinatus per virginem (textus armeniacus melius vertitur gallice “ par le moyen de la Vierge ”) partum eius annuntiavit ”, verba haec optime explicantur ac illa in Adv. haer.: “ Inopinatus partus virginis fiebat, Deo dante signum hoc, sed non homine operante illud, — id est, in sensu conceptionis virginalis. Utrum vero Irenaeus aliquid amplius his verbis significare intendat, nescimus; et explicatio a nobis data conformis esse videtur iis quae ipse Irenaeus in hac re alibi dicit, praesertim si attendatur eius doctrina relate ad divinitatem Christi et conceptionem, virginalem » (PRZYBYLSKI, l. c., p. 93).

3. Iuxta Koch, S. Irenaeus virginitatem *post partum* certe negasset. Argumenta vero ad hoc probandum, desumit ex duobus dicendi modis S. Irenaei, videlicet « *Adhuc virgo* » (dictus de *Eva*, in parallelismo cum Maria) et « *primogenitus virginis* ». Verbum « *adhuc* » innueret — iuxta Koch — virginitatem « ad tempus tantum » (o. c., pp. 8-9). Pariter, illud « *primogenitus* » significaret — iuxta ipsum — Christum fuisse *primum* inter filios naturales Mariae et Ioseph » (o. c., p. 8).

¹ Difficultas praecipua desumitur ex verbis: « Verbum ... purus pure puram *aperiens vulvam* » (Adv. haeres., l. IV, 51). « Aperire vulvam », si in stricto sumatur sensu, amissionem corporalis signi virginitatis certo secumfert. At eadem expressio accumulatis circumdata determinationibus aliam videtur in contextu induere significationem. Etenim: « purus » certo certius ad Christum hominem refertur, « puram » ad corpus Mariae, quae Verbum Dei in utero suo virginaliter (« purum ») concepit; « pure aperiens » iterum terminative refertur ad Mariam. Christus ergo, qui est « purus » (quia est Deus) in utero Virginis virginaliter conceptus (*καθάρᾳ γενεᾷ*) « puram vulvam » Mariae, (quae virginaliter) « purum » Christum concepit, « pure aperuit ». Pura ergo aperitio purae vulvae in contextu indicat hanc nativitatem, *qua nativitatem*, esse extraordinariam et miraculosam; nondum tamen dicit eam esse virginalem, quia quod est « purum », non necessario debet esse virginaliter. — In hoc¹ ergo textu, sicut et in praecedentibus, virginitas Mariae « in partu » ab Irenaeo nec *expresse* assertitur, nec *explicite vel implicite negatur* (l. c., pp. 94-95).

Ceterum recolendum est quod verba illa (*aperiens vulvam*) etiam ab illis Patribus adhiberentur *pro* virginitatem *in partu* explicite docent. Eodem dicendi modo usi sunt a S. Luca (2, 23) con-

Attamen, « Irenaeus — prout iure animadvertit Przybylski — necessarium censuit pro virginitate Evae apponere « adhuc virgo », cum pro Maria hanc determinationem prorsus esse superfluum arbitratus est. De « cessatione virginitatis Mariae vel de “ posteriore vita matrimoniali ” cum Ioseph, et similibus conceptibus Koch, ne vestigium quidem in Irenaei textibus invenies. Immo, Irenaeus, in ceteris omnibus locis magis cautus quam in III, 21, 10 (“ adhuc virgo ” Maria), — consulto omisisse videtur illud adverbium, quia forte male sonaret relate ad virginitatem Mariae, quam perpetuam dicere eum intendisse, haud impossibile est » (o. c., p. 103). Melius forsán diceretur locutionem illam « *adhuc* » parallelam esse locutioni S. Matthaei « *donec* ».

Pariter, vox « primogenitus » a S. Irenaeo opponitur « protoplasto » relate ad universum genus humanum, non vero relate ad filios naturales Mariae et Ioseph. In duobus enim textibus (*Adv. haer.*, IV, 21, 3; V, 19, 1) de sensu huius vocis « primogenitus » « nec dubitari potest, ideo KOCH eos simpliciter omittit. Methodus ergo eius « scientifica » — prout concludit Przybylski — in eo consistit, ut textus Irenaei propriae thesi contrarios prorsus omittat vel in [parvula notula tantum ponat uti « alium sensum » habentes; ubi vero aliquatenus dubius textus inveniatur, statim eum in favorem suae sententiae explicat, etiam si contextui contradicat » (l. c., p. 109).¹

S. Irenaeus igitur, virginitatem Deiparae *post* partum neque explicitè neque implicite negavit. E contra, innuit S. Irenaeus Mariam, etiam post partum, virginem iugiter permansisse. « Etenim S. Doctor Lugdunensis quandoque haud inconsulto, maxime ubi vi parallelismi inter virginitatem Evae ad tempus et virginitatem Mariae hoc exigeretur, omittit omnia quae virginitatem Mariae ad tempus tantum lectoribus suggerere possint » (l. c., p. 111).

c) **Cooperatio ad redemptionem.** Parallelismum inter Evam et Mariam, a S. Iustino iam incoeptum, S. Irenaeus repetit et complet. Iuxta ipsum, Maria Virgo obediens invenitur, Eva vero inobediens; Eva sibi et universo generi humano facta est causa (universalis et immediata) mortis, cum Maria sibi et universo generi humano facta est causa (universalis et immediata) salutis; quod alligavit virgo Eva per incredulitatem, solvit virgo Maria per fidem (*Contra haeres.*, l. III, c. 22, n. 4; l. V, c. 19, n. 1; *Epideixis*, in *Texte und Unters.*, 31, p. 66). Principium retroversionis-consortii clare ibid., l. v. c. 19, exprimitur ubi cum Eva inobediens et praevaricatrice, B. Virgo, illius advocata comparatur: « quemad-

¹ « Recenti indagini — scribit P. Ortiz de Urbina — hanno messo in chiaro che l'espressione “ primogenito ” di Maria nelle penne di S. Ireneo (*Adv. haer.* II, 16, PG 7, 923 A B) e di Ippolito (*Comm. in Dan.*, ed. Bonwetsch, pp. 212-214 e in *Elcanam et Annam*, Fragm. II ed. ACKELIS, p. 121) non sono da interpretarsi in senso contrario alla verginità dopo il parto... Il senso non è che *un* primogenito ma che *il* primogenito eterno del Padre è nato dalla Vergine » (l. c., p. 49).

modum adstrictum est morti genus humanum per virginem, salvatur per virginem, aequa lance disposita, virginalis inobedientia per virgineam obedientiam». Deinde redarguuntur « Indocti omnes haeretici, et ignorantes dispositiones Dei ... quippe caecutientes circa veritatem ». Idem asserit Irenaeus in op. *Demonstratio praedicationis Evangelicae* (WEBER-HERDER, 1917, 33, p. 59): « Et quomodo per virginem quae non obediebat, percussus est homo et lapsus est mortuus, eo modo et per virginem, quae obedivit verbo Dei, in rursus excitato homine vita accepit vitam ». « Nam, necesse et dignum erat rursus perficere Adam in Christo, ut submersum absorberetur mortale ab immortalitate, et Evam perficere in Maria, ut virgo virginis advocata facta, solveret et destrueret virgineam inoboedientiam per virgineum obsequium ».

Iure animadvertit D'Alès: « Par le soin très particulier qu'il prend de rattacher Marie à l'ensemble du plan divin et de marquer son rôle essentiel à côté du nouvel Adam dans l'œuvre de notre Rédemption, saint Irénée l'emporte sur ses contemporains et ouvre à la pensée chrétienne des voies fécondes; il est vraiment, en même temps que le premier théologien de la Rédemption, le premier théologien de la Vierge mère » (l. c., col. 160).

Przybylski vero haec scribit: « Nec Maria nec Eva appellantur "initium" generis humani lapsi vel regenerati, sicut expresse S. Auctor de Adam et Christo dicit: "ipse (Christus) initium viventium factus, quoniam Adam initium morientium factus est". Attamen, licet Eva non vocetur "protoplasta", certe est *causa universalis et immediata* mortis omnium hominum ("et sibi et universo generi humano causa facta est mortis"), similiter et Maria, licet non appelletur "primogenita", certe est *causa universalis et immediata salutis hominum* ("et sibi et universo generi humano facta est causa salutis").

« Haec est S. Irenaei doctrina explicita; quae vero ultra dicuntur non sunt nisi theologorum modernorum conclusiones personales, nullum vel incertum tantum fundamentum habentes in operibus S. Doctoris. Irenaei doctrina indubia his exprimi potest verbis: Adam et Evam fuisse causas universales et immediatas mortis generis humani Christum vero et Mariam esse causas universales et immediatas salutis generis humani ».

d) **Maternitas spiritualis B. M. V.** Quamvis B. Virgo a S. Irenaeo explicite « Mater hominum » non vocetur, tamen *rem* totam (primus inter omnes) per talem titulum significatam in duobus textibus explicite docet. Dicit enim: « purus pure puram aperiens vulvam, quae REGENERAT homines in Deum » (*Adv. haer.*, IV, 33, 11). Insuper: « Quemadmodum (i. e. quomodo) autem relinquet [homo] mortis generationem, si non in novam [transierit] generationem mire et inopinante a Deo, in signum autem salutis datam, quae est virgine, per fidem, regenerationem » (*Adv. haer.*, III, 21, 6). Ideo Maria, iuxta S. Irenaeum, universum genus humanum, generando Christum (caput morale generis humani) regeneravit. Ideo enim Christus « primogenitus Virginis » vocatur, quia est primus in nova familia spirituali a Virgine generata. Iste est sensus obvius verborum. Quare

frustra Massuet O. S. B. conatus est in *virgine* de qua loquitur S. Irenaeus *Ecclēsiā* videre (PL 1074, B-C, in nota, sub n. 29, par. 4).¹

Iure Przybylski scribit: « Ne iterum Irenaei argumentationis tramitem libri tertii inde a cap. 18 usque ad cap. 24 repetamus, sufficiat sequentia notare principalia: homo a seipso salvari non potuit, ideo Deus incarnatus est et homo factus in vera carne humana; si enim verus homo non esset, nec salvare nos potuisset. Quoniam in Adam capite generis humani et initio morientium omnes mortui sumus, ideo et Christus factus est primogenitus novi generis humani regenerati et initium viventium. Quando quidem incarnatus est, omnes homines in se recapitulavit "in compendio nobis salutem praestans". Proinde et Maria, generans Christum, generavit simul et omnes in Christo recapitulatos; porro ipse natus est ex Virgine; ergo et nos omnes in Virgine Maria regenerati sumus ad novam vitam spiritualem.

« En textus IV, 33, 4-5 interpretatus in suo pleno contextu christo-mariologico Si nunc IV, 33, 4-5 cum IV, 33, coniungimus (de eadem enim doctrina in utroque agi supra iam demonstravimus), sequens doctrina Irenaei in paraphrasi horum textuum statui potest: homo generatus ad mortem peccati, non potest transire ad vitam salutis. seu in "novam generationem", nisi crediderit in signum Virginis seu inopinatam partum eius, id est in Salvatorem natum ex Virgine Maria. Verbum enim quando incarnatum est, recapitulavit in se omnes homines, et eadem vulva Mariae quae generavit Christum, haec et nos homines "regenerat in Deum", id est simul cum Christo generavit nos ad vitam, quam perdidimus in morte peccati per inobedientiam Adae et Evae.

« Generare aliquem certe est esse matrem eius qui generatur; at Irenaeus sicut relate ad Christum Mariam explicite "matrem Christi" vel "Matrem Dei" non vocat, ita nec relate ad generationem nostram spiritualem "Matrem hominum" explicite eam nominat » (o. c., pp. 85-86).²

¹ S. Irenaeus, enim, de Verbi Incarnatione ibi agens, non aliam significare potuit vulvam nisi illam in qua Verbum carnem sumpsit, id est B. Virginem, non vero Ecclesiam. Textus et contextus id exigunt omnino.

² Digna sunt quae recolantur etiam verba P. BOVER: « Dei hominumque Mediator est Christus, ut Novus Adam: qui sua oboedientia prioris inoboedientiam reparavit, quique totum hominum genus in se uno comprehendens atque adunans, novae humanitatis factus est caput. Pari modo, B. Virgo, Nova Eva, quae sua etiam oboedientia antiquae inoboedientiam compensavit, quaeque novae humanitatis mater existit, hoc duplici titulo est Dei hominumque Mediatrix. Nova Eva Novo Adae consociata, est eo ipso una Mediatrix uni Mediatori addita comes et consors. Una utriusque mediatio est universalis simul et directa.

« Haec duplex Virginis actio: redemptionis cooperatio, spiritualis maternitas, non est quidem formaliter ipsa physica Filii Dei generatio seu divina maternitas, eam tamen supponit in eaque fundatur. Nam redemptionis cooperatio habetur potissimum in fideli oboedientia qua B. Virgo in Redemptoris maternitatem libere consensit; spiritualis autem maternitas non est nisi divinae maternitatis ampliatio quaedam seu extensio. Hinc recte dici potest praecipuam B. Virginis cooperationem in hominum redemptione, radicaliter quidem non formaliter, in ipsa Redemptoris maternitate consistere. Radicaliter quidem, quia in ista maternitate innititur

e) **Intercessio B. M. V.** Habetur etiam apud S. Irenaeum explicita allusio ad *intercessionem* Deiparae: appellatur enim *advocata* Evae (*Epid.* c. 31-33). Hoc ipsemet Massuet admisit. « Exponens illa Irenaei verba: “ uti virginis Evae Virgo Maria fieret *advocata* ”, contendebat Grabius hoc vocabulum *advocata*, ex *παράκλητος consolandi*, non *intercedendi* significationem habere. Huic Grabii interpretationi duo opponit Massuetius: 1) non istud verbum *παράκλητος* sed “ aliud quid vis scripsisse Irenaeum, quod *deprecatricem, mediatricem ac sequestrem* ” significaret; 2) hoc etiam permissio, verbum istud apud ipsum Irenaeum non *consolationem*, sed *advocationem* significare ». Unde concludit: « Igitur *advocationem* alicui praestare, seu, quod idem est, alicuius *advocatum* esse, Irenaeo est alicuius non tantum consolatorem esse, ut perperam interpretatur Grabius, sed eius patrocinium ac defensionem suscipere, hunc in clientelam suscipere, huic praesidio esse atque opitulari. Quae proinde B. Virgo Evae ac totius generis *advocata* apud Deum ab eodem dicitur; non alias eo munere fungitur, quam Deum fide et oboedientia placando, humanum genus in gratiam cum Deo reducendo, hunc precibus sollicitando, pro susceptis in tutelam clientibus interpellando, deprecando, preces fundendo, ut Dei accersat opem ac beneficentiam eliciat. Hae illius, qui apud Deum pro aliis *advocatum* agit, partes, hoc munus: quod pluribus confirmari posset, si necesse videretur. Sed dicta sufficiunt ad Grabianae adnotationis vanitatem demonstrandam » (PG 7, 318-319). Iure igitur S. Irenaeus « primus Mariae Theologus » appellatur. ¹

non vero formaliter, quia alia munera seu praedicata importat, quae non sunt ipsa nude sumpta maternitas.

« Haec animadversio praecipuam explodit difficultatem, qua nonnulli turbati verentur, ne totum Virginis munus in hominum redemptione ista Redemptoris maternitate concludatur. Certe, potissima Virginis cooperatio est Redemptoris maternitas; verum in eiusmodi maternitate, praeter nudam generationem physicam, quae quidem remota tantum esset in redemptionem cooperatio, duo alia munera seu elementa reperiuntur: unum morale, alterum spirituale seu mysticum. Morale: id est, oboediens fidei consensus. Spirituale: scilicet, hominum, in Deum regeneratio. Ista autem duo quae in morali hominum aestimatione, causalitatem directam important, sunt quae vere B. Virginem universalem gratiae Mediatricem constituunt. Quod autem de Irenaeo dicitur, de ceteris est Patribus dicendum. Qui, dum Mariam cum Eva conferunt, saepe quidem Virginis oboedientiam aut spiritualem maternitatem extollunt: quibus textibus plena et integra eorum sententia detegitur; cum autem, quod nonnumquam faciunt, solam Redemptoris maternitatem memorant, tum, ex eorum mente, ista maternitas et praevia oboedientia et consensione est declaranda, et consequenti spirituali maternitate complenda. Ita et difficultas omnis evanescit, et universalis B. Virginis mediatio recte statuitur. »

« Multa itaque docuit Irenaeus de Virginis in redemptione consortio deque spirituali eiusdem maternitate; quae sunt duo prima universalis mediationis elementa » (l. c., p. 140).

¹ Dolendum tamen est S. Irenaeum, primum omnium, imperfectionem aliquam moralem, in nuptiis Canae, B. Virgini tribuisse (*Adv. haer.*, III, 17); quae peregrina opinio haud raro apud auctores usque ad saec. VII repetita invenitur.

4. S. HIPPOLYTUS Romanus (c. 160-235)¹

Hippolytus, Photio teste, S. Irenaei discipulus, et fortasse Origenis magister, vir fuit eruditissimus et inter maiores theologos saeculi tertii annumerandus. Eius operis litterarii fragmenta tantum supersunt (cfr PG 10). Ipsi a quibusdam (Hergenröther, Döllinger, Volkmar, De Smedt, Bardenhewer, Mannucci etc.) tribuuntur *Philosophumena*, seu omnium haeresum refutatio. Fuit Episcopus (nescitur cuiusnam loci) et Martyr. Est unus ex praecipuis Patribus Marianis.

Praecipua capita doctrinae Marianae, prout ex fragmentis erui potest, haec sunt:

a) **Maternitas divina.** In quibusdam fragmentis editis a Renaudot (Ed. ACHELIS, *Fragm.* I, p. 281) quae iamdiu S. Hippolyto attributa fuerunt rinvenitur (et esset prima vice apud Patres) vox ipsa *Theotocos*; attamen, attributio haec (iuxta Bardenhewer et Neubert) in errore fundatur. — Nihilominus, in fragmento aliquo slavico eiusdem Hippolyti, cuius authentia a nemine negatur, vox *Mater Dei* invenitur (*Fragm. slave* XVIII, ed. Bonwetsch, 359). Legitur enim: « Maria Virgo, *Mater Dei* Verbum in suo utero concepit. Oh nova mysteria! ». ²

Quidquid sit de voce *Theotocos*, S. Hippolytus certissime rem per titulum illum significatam admisit. Dicit enim, e. g. quod « in sinu Virginis Verbum Dei fuit conceptum » (*De Antichristo*, 45, ed. ACHELIS, 29); ita pariter in *Fragm.* II, ed. ACHELIS, 121, in *De Daniele*, IV, 39, ed. Bonwetsch, 288.

b) **Virginitas Deiparae.** S. Hippolytus apertissime docet conceptionem Virginalem Deiparae, de qua, per transennam, in suis operibus, argumenta profert (cfr, e. g. *De Antichristo*, VIII, ed. ACHELIS, 9; *fragm. ad Genes.*, XVIII, ACHELIS, 59). Saepe, sive in haereticis refutandis sive in expositionibus exegeticis S. Hippolytus utitur simplici voce *Virgo* ad designandam Mariam (Virgo per antonomasiam). Ipse enim loquitur iugiter de « Virgine », de « sancta Virgine », raro vero de Maria. Verbum indutum est humanitate desumpta ex *Virgine* (*De Daniele*, IV, 39; ed. Bonwetsch, 347); Iacob proclamat benedictiones *Virginis* (*Fragm. XLVIII ad Genes.*; ACHELIS, 69); Verbum primum-natum, venit ad succurrendum Adam, primum-creatum, in *Virgine* (ACHELIS, 83); Verbum accepit instrumentum humanum (= corpus) ex *Virgine* (*De pascha*, *fragm.* Nicetae, ACHELIS 267) etc.

¹ JOUASSARD, *Le premier-né de la Vierge chez Hippolyte*, in *Revue des Sciences Religieuses*, 1933, 25 sqq.; RAHNER M., *Hipp. als Zeuge für den Ausdruck Theotokos*, in *Z. Kat. Theol.*, 1935, 73 sqq., 1936, 57 sqq.; D'ALÈS, *La théologie de S. Hippolyte*, Paris, 196.

² NEUBERT, o. c., p. 132, de authentia verborum « Mater Dei » dubitat; scribit enim: « cette expression, Mère de Dieu, placée en apposition aux mots: Vierge Marie, a l'air d'être une interpolation postérieure, et l'on ne saurait par suite affirmer que saint Hippolyte ait déjà employé le mot *Theotocos* ». At ratio haec, ut patet, non omnino cogit.

c) **Sanctitas} Deiparae.** Nomini *Virgo*, S. Hippolytus iugiter unit appellativum « sancta », etiam ubi de sanctitate Deiparae nullus est sermo (cfr. ACHELIS, 121, 267, 7 etc.). « Verbum indutum est *sancta carne ex sancta Virgine* desumpta » (De *Antichristo*, IV ed. ACHELIS, 7). In arca facta ex lignis *incompactibilibus* S. Hippolytus videt figuram B. M. V. — Ita enim scribit (*In Ps. XXII* apud THEODORETUM, *Eranistes*, ed. ACHELIS, p. 147, MG 10, 610): « Porro autem arca ex lignis quae putrescere non poterant, erat ipse Salvator. Per hanc enim, putredinis et corruptionis expers, eius tabernaculum significatur, quod nullam peccati putredinem genuit ... Dominus autem peccati expers erat, et de lignis putrefactioni non obnoxiiis secundum hominem *hoc est ex Virgine et ex Spiritu Sancto intus et foris tamquam purissimo Verbi Dei auro circumtectus* ». In op. *De Antichristo*, PG 10, 732: « Dei enim Verbum, cum esset carnis expers sanctam carnem ex sancta Virgine induit tamquam sponsus sibi ipsi in crucis patibulo vestem contextens ... ».

Incompactibilitas iuxta S. Hippolytum est symbolum immunitatis a peccato. Probat igitur incompactibilitatem (seu carentiam peccati) Arcae (i. e. Christi) ex incompactibilitate (seu carentia peccati) ligni (i. e. B. Virginis) ex quo arca (i. e. Christus) facta est. Ergo B. Virgo fuit absque culpa, incompactibilis, tota sancta. Iure circa hoc animadvertit Bardenhewer (*Les Pères de l'Eglise*, t. 1, p. 227): « Son témoignage sur l'absence de toute faute en Marie est remarquable, d'autant plus remarquable que, venant comme une simple observation incidente, il exprime plus naïvement la foi de l'époque ... Il reconnaît ici l'exemption du péché en Marie, et cela sans la moindre réserve ». Implicite ergo etiam immunitatem a culpa originali admittit.

d) **Cooperatio ad opus redemptionis.** « Le docteur romain Saint Hippolyte — scribit D'Alès ¹ — non content d'insister fréquemment sur le rôle maternel de Marie, aime à en détailler les conséquences pour la rédemption du genre humain, et présente à ce sujet plusieurs vues originales. Il décrit l'Incarnation comme les noces du Verbe avec l'humanité: le Verbe divin, pur esprit, revêt une robe nuptiale (*Demonstratio de Christo et Antichristo*, IV éd., ACHELIS, p. 6; PG 10, 732 B). Il ramène assidûment la conception de deux avènements successifs du Verbe: l'un qui se fait par la création, l'autre qui se fait par l'Incarnation; il établit même un lien inattendu entre ce dernier avènement et la dénomination de Fils, affirmant que le Verbe ne devient fils au sens plénier qu'en s'incarnant au sein de la Vierge. *Adv. Noetum*, XV, PG, 10, 823 B C; *Comment. in Daniele*, passim. Cfr D'ALÈS, *Théologie de Saint Hippolyte*, pp. 25 et 180, Paris, 1906. Un fragment d'Hippolyte sur le *Cantique de Moïse* (Deut., 33, 26), *conservé* par Théodoret, *Eranistes*, II, éd. ACHELIS, p. 83, PG 83, 173, met en lumière ce rôle de la Vierge ».

¹ *Dict. Apol.*, t. 3, col. 163.

Insuper S. Hippolytus, sicut S. Irenaeus eius magister, videt « in Incarnatione ipsa exordia regenerationis nostrae. Iesus Christus est novus homo; in sua persona ipse veterem Adam reformavit ». (TIXERONT, o. c., 3251). Ipse magis insistit in adventu Christi in mundo quam in eius morte redemptrice. Iuxta S. Hippolytum, redemptio operatur iam in ipso sinu Virginis qui ministravit Verbo carnem a primo Adam transmissam (cfr ed. ACHELIS 83; 121; 267; 61; *Philosoph. X*, 33).¹

In duobus ultimis capitibus Epistolae ad *Diognetum* (quae S. Hippolyto tribuuntur),² invenitur solita oppositio inter Evam et Mariam. Probabilissime S. Hippolytus, magistrum suum S. Irenaeum secutus, in operibus deperditis (*Tractatus contra haereticos, Sermo contra Marcionem et Comment. in S. Matth.*) celebrem parallelismum evolverat.

5. TERTULLIANUS (c. † 222-233).³

Natus est c. a. 160 Carthagine, ubi litteras, philosophiam, iurisprudentiam et oratoriam didicit; circa a. 30 vitae suae (a. c. 197), factus est christianus, et quamvis coniugatus, sacerdotio initiatus est. Vir ingenii vere admirabilis, sed indolis durae⁴ et volubilis, ad rigorismum propensus, ad sectam Montanistarum transiit (c. a. 207-8) et postea ad sectam quae ab ipso nomen desumpsit. De ipso Lerinensis asseruit: « Quot poene verba, tot sententiae ».

De B. Virgine agit Tertullianus praesertim circa finem operis *De carne Christi* (PL 1-3), eiusque doctrina Mariana (cfr BOURASSÉ, I. c., coll. 557-578) ad haec capita reduci potest:

a) **Maternitas divina:** contra haereticos valentinianos tenentes Iesum per uterum Virginis tamquam per aquaeductum, pertransisse quin aliquid ex eius substantia accepisset, Tertullianus fortiter asserit veritatem physicam huius maternitatis. Demonstrat quod maternitas haec expostulatur a) ab ipso Evangelio (Matth., 1, 20), b) a S. Paulo (Gal. 4, 4), c) a prophetia Isaiae (Is. 7, 14) sub luce Novi Testamenti considerata. Dei Filium de Virgine natum esse dicit. (*De carne Christi*, c. 17). Fuse in L. *Adv. Praxeam* c. 27 demonstrat B. Virginem Christum Deum edidisse et ideo vere Deiparam praedicari. Formulam gnosticam « per virginem » reicit et assumit formulam « ex virgine » (*De carne Christi*, c. 20).

¹ Hoc bene notari debet a recentioribus illis qui exaggerate distinguunt inter cooperationem *remotam* et *proximam* ad redemptionem.

² BONWETSCH, *Göttinger Nachr. Phil. hist. Kl.*, 1902, pp. 621-634. HARNACK, *Chronol.*, II, 232 s. Textus epistolae ad Diognetum legi potest apud Migne, PG 2, 1167-1186.

³ Cfr D'ALÈS, *La Théologie de Tert.*, Paris, 1905; ROBERTS E. R., *The Theology of Tert.*, London, 1924; ZAMA P., *Il pensiero di Tertulliano*, Lanciano, 1921.

⁴ Sufficiant, e. g. haec verba: « Plane facilius invenias hominem natum cor non habere vel cerebrum, sicut ipsum Marcionem, quam corpus, ut Christum Marcionis » (Lib. IV, *Apv. Marcion.*, c. 10).

b) **Virginitas B. M.** Tenet, contra Ebionitas, Matrem Verbi Virginem fuisse in Conceptione (*De Virgin. velandis*, c. 6); negat tamen virginem fuisse in ipso partu;¹ imo affirmat illam, post partum i. e. post nativitatem Iesu, alium sponsum cognovisse; « fratres Iesu », iuxta Tertullianum, videntur fuisse Filii Mariae (*De carne Christi*, VII; *IV adv. Marcionem*, XIX; cfr *De virginibus velandis*, VI; *De monogamia*, VIII). Iuxta Tertullianum Maria « magis non virgo dicenda est quam Virgo » (*De carne Christi*, 23).

c) **Cooperatio ad opus redemptionis.** Assertit quod « Deum imaginem et similitudinem suam, a diabolo captam, *aemula operatione recuperavit*. In virginem enim adhuc Hevam irrepererat verbum aedificatorium mortis; in virginem aequae introducendum erat Dei verbum extructorium vitae: ut quod per eiusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Heva serpenti: credidit Maria Gabrieli. Quod illa credendo deliquit, haec credendo delevit. Sed HEVA nihil tunc concepit in utero ex diaboli verbo. Imo concepit, nam exinde ut abiecta pareret et in doloribus pareret, verbum diaboli semen illi fuit. Enixa est denique diabolium fratricidam. Contra, MARIA eum edidit, qui carnalem fratrem Israel, interemptorem suum, salvum quandoque praestaret. In vulvam ergo Deus Verbum suum detulit, bonum fratrem, ut memoriam mali fratris eraderet. Inde prodeundum fuit Christo ad salutem hominis, qua homo iam damnatus intraverat » (*De carne Christi* 17, PL 2, 827-828).

6. ORIGENES (c. 185-254)²

Natus est Alexandriae probabiliter circa a. 185-186, et a patre ipso Leonida (qui postea, filio cohortante, martyrium subiit) sacris litteris imbutus est. Anno 205, scholae Alexandrinae a Demetrio Episcopo praefectus, illam ad summum splendorem perduxit. Sacerdos, ab amicis Episcopis, licet invitus, ordinatus, ob hanc rem et ob errores quosdam ab Episcopo Alexandrino Demetrio a. 231 et 232 in duobus synodis, e cathedra eiectus est, nec non suspensus ab ordinibus et ecclesiastica communione Alexandrina privatus. In hanc condemnationem probabiliter consensit Roma.³ In persecutione Decii Imp., Tigri Phoeniciae in vin-

¹ Scribit: « Virgo quantum a viro, non virgo quantum a partu » (*De carne Christi*, 23). PAMELIUS (in *Paradoxa Tertulliana*, 22; MIGNE, PL 1, 198 s.) conatus est verbis Tertulliani sensum orthodoxum tribuere. Attamen, textus Tertulliani sat clari videntur. Ad summum dici potest quod virginitas in partu non erat tunc doctrina tam clare definita sicut virginitas ante partum, eo quod nulla haereticorum lucta id requisiverat.

² Cfr VAGAGGINI C., O. S. B., *Maria nelle opere di Origene*, in *Orientalia Christ. Analecta*, 131. Roma, Pont. Inst. Orientalium studiorum, 1942, in-8, pp. 226.

³ De hac damnatione S. Hieronymus scripsit: « In damnationem eius consentit urbs Romana; ipsa contra hunc cogit Senatum, non propter dogmatum novitatem, nec propter haeresin, ut nunc adversus eum rabidi canes simulant; sed quia gloriam eloquentiae eius et scientiae

culis coniectus est et dire tortus, ibique, ob duram custodiam, c. a. 254 vel 255 diem supremum obiit.

« Immortale eius ingenium » (S. Hier., *Vir.*, 54) innumerabilia fere opera protulit, quae magnum exercuerunt influxum in omnes fere Patres Graecos multosque Latinos, ita ut recte « pater theologiae Graecae » appelletur. Inter Patres antenicaenos nullus, sicut Origenes, tam multa opera scripsit, quorum tamen maxima pars saeculis IV-VI, controversiae origenianae temporibus, interiit.

In catalogo ab Eusebio confecto numerantur 2000 opera; a S. Hieronymo vero 800 opera numerantur.¹ Verum quidem est plures errores in operibus Origenis inveniri; at Origenes, prout fert hodie communis opinio, bona fide erravit, eiusque intentio optima semper fuit, iuxta illud: « illa sola credenda est veritas, quae in nullo ab ecclesiastica et apostolica traditione discordat » (*De principiis*, praef. 2). Ipsemet dolebat opera eius ab haereticis corrupta fuisse (*Epist. ad amic. Alex.*, op. I, 5-6; RUFINUS, *Prol. in libr. De Princ.*).

Relate ad Mariologiam Origenis iure scribit D'Alès (l. c., col. 169): « Son œuvre renferme les éléments d'une mariologie très vaste et aussi très inégale. Diffus dans ses livres contre Celse et dans les traités exégétiques, ces éléments manifestent le fond chrétien de l'âme d'Origène, et quelque chose aussi des regrettables chimères qui marquent sa pensée d'un stigmate inquiétant ». Haud parvus fuit influxus Origenis in SS. Hieronymum et Ambrosium. *Homiliae eius in Evangelium sec. Lucam* praecipuum videtur documentum marianum ante Concilium Ephesinum compositum.² Translatæ fuerunt in linguam latinam a S. Hieronymo. En praecipua capita Mariologiae Origenianae:

a) **Maternitas Divina.** Pluries in operibus Origenis, adhuc exstantibus, affirmatur. Maria enim ab ipso appellatur « Mater Domini » (*In Luc.*, hom. VII, PG 13, 1818), « Mater Salvatoris » (ibid., hom. VIII, 1821); dicit Ipsam in utero gestasse Filium Dei (ibid., hom. VIII, 1821), peperisse Emmanuelem, nobiscum Deum, et quod hoc non nisi virgini purae et sine labe convenire poterat (*C. Celsum* I, 35; ed. cit., I, 86). Vox *Theotocos* adhibetur in *Luc.* VI (M. RAUER, 44¹⁰: 50).

Iuxta Socratem (*Hist. Eccl.*, VII, 32; PG 67, 812), Origenes *primus*, adhibuisset et etiam explanasset (in libro I Comm. in Ep. ad Romanos) vocem *Theotocos*. Attamen, in versione *latina* (quae sola superest) commentarii Origeniani vox illa

ferre non poterant, et illo docente, omnes muti putabantur » (*Ad Paulam*, ep. 33). Vera igitur causa damnationis non fuit haeresis.

¹ Opera Origenis inveniuntur: *Contra Celsum*, ed. KOETSCHAU, G. C. S.; *Comment. in Ioannem*, ed. PREUSCHEN, G. C. S. Alia scripta, ed. MIGNE, PG 12, 13, 14. Cfr etiam BOURASSÉ, l. c., coll. 577-580.

² Ita VAGAGGINI, o. c., p. 9, qui animadvertit (p. 10) quod in editione critica homiliarum Origenis in Ev. Lucae a Max Rauer edita (*Die griechischen christlichen Schriftsteller, Origenes Werke*, IX, 1930), plures textus marianos inveniri dubiae authenticitatis.

non invenitur. Probabiliter Socrates (qui verax invenitur dum idem, eodem loco, de Eusebio asserit) circa titulum operis erravit, aut textus de quo agitur, interiit vel ab interprete latino omissus fuit. Origenes enim qui theoriam communicationis idiomatum formulaverat, sat probabiliter demonstravit etiam B. Virginem *Theotocos* appellari posse. Eo vel magis quod titulus *Theotocos*, iuxta Philippum Sidensem, apud Pierium, Origenis discipulum, invenitur in titulo sermonis *circa Theotocos* (cfr *Texte und Unters.*, V, 2, pp. 171 ss.). « Si Origène — iure animadvertit Neubert — a fait la théorie du mot *Theotocos*, il est bien possible qu'un de ses successeurs ait mis ce mot en tête de son homélie » (l. c., p. 135).

Pulchre tandem insistit Origenes in intimo et singulari nexu quo Christus Mariae, tamquam filius Matri, iungitur (*In Rom.*, l. III, 10, PG 14, 956 D).

Divina maternitate mulieres omnes nobilitatae fuerunt (cfr VAGAGGINI, o. c., pp. 110 s.).

b) Perpetua virginitas Deiparae. Invicte asseritur ab Origene, et quidem:

a) sive *ante partum* (*C. Celsum* I, 23 sqq., ed. Koetschau, pp. 83 sq.; PG 11, 721 sq.) iuxta prophetiam Isaiae (ibid. V, 41, ed. Koetschau, t. 2, p. 65; PG 11, 1277); sive *b) in partu* (*Comment. in Matth.*, t. 10 n. 17; *in Levit.*, hom. 8, n. 2),¹ sive *c) post partum* (in *Matth.*, t. 10, XVII, PG 13, 876 B-877 A). Dementem putat — prout videtur — Tertullianum (cfr A. DURAND, *L'Enfance de Jésus-Christ*, p. 233) ob negationem virginitatis post partum (*In Luc.*, hom. VII, PG 13, 1818). In *Com. in Ioannem*, fragm. XXXI, ed. cit., 506 sq., dicit quod fratres

¹ In *Comment. in S. Lucam* (circa a. 233 conscripto), Origenes quaerit quomodo Maria potuisset se subicere *legi purificationis*. Et respondet declarando quomodo nedum Maria sed etiam Iesus purificatione indigebat, eo quod Evangelium in plurali de diebus purificationis *matrum* loquitur. Citat etiam Iob (XIV, 4, 5) affirmans neminem hic immunem esse a sorde. Adiungere tamen festinat talem immunditiam non esse peccatum. (*In Luc.*, homil. XIV, PG 13, 1834). Attamen 12 annis postea, in homiliis *in Levit.* (hom. VIII, 22, PG 12, 493), legem *purificationis matrum* examini rursus subiciens, declarat Mariam immunem fuisse, et reicit quamlibet ideam cuiuscumque immunditiae sive in Iesu sive in Maria (*In Lev.*, hom. XII, 4, PG 12, 539).

Hisce positis, NEUBERT (o. c., p. 184) putat Origenem negasse in hom. *in Luc.* virginitatem *in partu* sed postea illam affirmasse in hom. *in Levit.* D'Alès, e contra, — et forsitan melius — putat assertionem homiliae *in Lucam* (retractatam in homiliis *in Levit.*), indubie connecti cum theoria generali origeniana circa relationes inter spiritum et materiam: materia se habet ad spiritum tamquam locus temporanae detentionis et purificationis. In comm. enim *in Lucam*, homil. XIV, asserit quod quaelibet anima, corpore humano induta, proprias immunditias habet et hanc generalem legem statim applicat Christo. Iamvero, assertionem hanc Origenes retractat, sive relate ad Christum, sive relate ad Matrem eius in homilia XII in *Levit.* Non negabat igitur in homilia in *Lucam* carentiam virginitatis in partu, sed immunditiam ordinis generalis resultantis ex contactu inter spiritum et materiam. P. VAGAGGINI, (o. c., pp. 88 ss.) asserit Origenem negasse *integritatem physicam* Mariae in partu; cum igitur loquitur de virginitate Mariae « postquam genuit Salvatorem », agit de virginitate *quoad virum*.

Domini erant fratres non naturales sed *legales*. Maria fuit virgo « usque in finem » (*In Matth.* X, 17, Klostermann 21).

Dignitas maternitatis divinae postulabat ut corpus eius usque in finem purum remaneret (*In Ioann.* I, 4, ed. cit., pp. 184 s.). Origenes *primus* est qui de Virginitate Mariae *post partum* explicite loquitur.

c) **Sanctitas Deiparae.** Iuxta Origenem B. Virgo est mulier perfectissima (la donna ideale). Maria haberi debet tamquam prima virgo inter feminas, quemadmodum Iesus erat primum exemplar puritatis perfectae inter viros (*Comm. in Matth.*, X, 17; ed. cit., XIII, coll. 876 s.). Iamvero, pro Origene exercitio virginitatis connectebatur exercitium omnium virtutum (*In Levit.*, hom. III, 4; *in Num.*, XXIII, 3; *in Ierem.*, XIX, 7 etc.). In B. Virgine, simul cum humilitate et ob humilitatem, recognoscit iustitiam, temperantiam, fortitudinem et patientiam. (Homil. VIII *in Luc.*, ed. cit., XIII, col. 1821). B. Virgo in vita sua est exemplar feminarum (*ibid.*, col. 1819). Origenes *primus* videtur qui B. Virgini tribuat titulum *παραρτία* (*in Luc.* VI, RAUER, 50, 7).¹

Attamen, B. Virgini tribuit defectum aliquem in fide verbis Angeli (cui non statim credit) et tempore Passionis, sicut alii, iuxta illud: « vos *omnes* scandalum patiemini in me in ista nocte » et etiam « et tuam ipsius animam pertransibit gladius ». Etiam B. Virgo scandalum passa fuisset. Ratio est quia Christus pro *omnibus* mortuus est, cum sit omnium Redemptor; debuit ergo et Virgo in aliquo peccare ad hoc ut et ipsa a Redemptore redimeretur (Homil. 17, *in Luc.*; ed. cit., XIII, col. 1845).² Animadvertendum tamen est quod haec opinio invenitur in *Comm. in Lucam* in quo non continetur certe ultimum verbum Origenis circa Mariam.

Origenes admittit etiam in B. Virgine singularissimam *scientiae* perfectionem videlicet profundam Legis cognitionem; insuper « prophetarum vaticinia quotidiana meditatione cognoverat » (homil. 6, *in Luc.*, PG 13, 1815 A), etiam ante Incarnationem. In momento vero Incarnationis nova periodus progressus in perfectione coepit, eo quod Spiritus S. dum in suo utero Christi corpus efformabat, animam suam suis gratis replebat (homil. *in Luc.*, PG 13, 1817).

¹ Attamen, codex *a* in quo continetur talis modus dicendi notus est ob amplificationem textuum (cfr VAGAGGINI, o. c., p. 25).

² Ex *modo* ipso quo Origenes peregrinam hanc sententiam profert, patet sententiam illam ab auditoribus suis minime admissam fuisse. Persentit enim veluti necessitatem accumulandi argumenta ad illam probandam, videlicet: 1) *omnes* debebant scandalum pati, et de facto passi sunt; 2) si non peccasset, Iesus non fuisset mortuus pro ipsa; 3) Simeon infidelitatem illam Virginitis praedixit. Iure animadvertit Neubert: « Il est curieux d'observer que cette même raison de l'universalité de la rédemption de Jésus qui mettra à la torture les plus grands théologiens de l'Occident à propos de l'exemption de Marie de la faute originelle, avait déjà arrêté, dix siècles plus tôt, le plus grand théologien de l'Orient à propos de son exemption de toute faute actuelle » (l. c., p. 224).

d) **Cooperatio ad opus redemptionis.** Principium *retroversionis-consortii* ita enuntiari videtur: « Et quomodo peccatum coepit a muliere, et deinceps ad virum usque pervenit, sic et principium salutis ¹ a mulieribus habet exordium ». Paulo ante scripserat: « Ante Ioannem prophetat Elisabeth, ante ortum Domini Salvatoris prophetat Maria » (Hom. 8, in *Luc.*, PG 13, 1819). Quamvis ergo Origenes Mariam cum Elisabeth uniat et Evae opponat, non definit tamen partem uniuscuiusque propriam. Hoc probabiliter fecit (relate ad B. Virginem) in comm. in Ioannem (c. XIX) et in homil. circa Annuntiationem; attamen Comm. in Ioannem pervenit usque ad c. XIII, et homiliae de Annuntiatione deperditae sunt.

In Comm. in Ev. Lucae 1, 42, explicite asserit B. Virginem « absolutionem a maledictione portasse » (cfr VAGAGGINI, o. c., p. 111).

Attribuit insuper Origenes partem aliquam Mariae in sanctificatione Praecursoris. Propter ipsum enim abiit festinanter in montana et mansit in domo Elisabeth mensibus tribus: « Indignum est ... per tres menses, nec Ioannem, nec Elisabeth, ex vicina matris Domini et ipsius Salvatoris *praesentia* profecisse » (Hom. 9 in *Luc.*, PG 13, 1822).

e) **Spiritualis maternitas B. M. V.** « Origène — scribit D'Alès ² — pose en termes admirables la loi de cette maternité spirituelle qui commença de s'exercer au Calvaire ». Etenim, in Comm. in Ioannem (I, VI, ed. Preuschen, p. 8, PG 14, 32 AB) scribit:

« Ecce, Evangeliorum autem primitias, Evangelium a Ioanne traditum cuius sensum percipere nemo potest, nisi qui supra pectus Iesu recubuerit, *vel acceperit a Iesu Mariam, quae etiam ipsius Mater fiat*: adeo talem tantumque necesse est, qui Ioannes alius sit futurus, ut quemadmodum Ioannes, itidem etiam et iste a Iesu Iesus existere ostendatur. Nam, si nullus est Mariae filius, iudicio eorum qui de ipsa sane senserunt, praeterquam Iesus, dicitque Iesus Matri: Ecce filius tuus, et non, ecce etiam hic est filius tuus, perinde ac si dixisset: Ecce hic est Iesus quem genuisti. Etenim, *quisquis perfectus est*, non amplius vivit ipse, sed in ipso vivit Christus, *Cumque in ipso vivat Christus, dicitur de eo Mariae*: Ecce Filius tuus Christus ». ³

* * *

Praeter Patres de quibus hucusque egimus, quaedam de B. Virgine, in aetate antenicaena, scripserunt sequentes:

1. **Aristides** (c. 125) in sua apologia, conceptionem virginalem B. M. V. profitetur (PG 96, 1121 B).

¹ Textus graecus habet: « bona salutis ». Iuxta Vagaggini haec « bona salutis » nihil aliud essent, ratione contextus, quam *gratia prophetica* qua Maria et Elisabeth, in momento visitationis, quum novus ordo initium sumebat, participes fuerunt (o. c., p. 113).

² L. c., col. 172.

³ Circa varias interpretationes huius textus cfr VAGAGGINI (o. c., pp. 114 ss.)

2. **Clemens Alexandrinus** (c. 150-215), virginitatem Mariae *in partu* contra « multos » adversarios docet (*Stromatum*, PG 9, 529); asserit fratres Domini fuisse filios Ioseph (ZAHN, *Forschungen*, III, 83); insuper, Auctor Apocalypsis, iuxta ipsum, lineamenta a Maria desumpsit ad Ecclesiam pingendam (in cap. XII), in una eademque imagine has duas virgines et matres confundendo (*Paedagogus*, PG 8, 300 B). Asserit « Filium Dei » carnem sumpsisse et gestatum fuisse a Virgine (*Strom.* VI, 15 STAHLIN, II, 194⁴⁻⁶).

3. **Abercius** Ep. Hierapolytanus (circa finem saec. II) in suo celeberrimo epitaphio ad divinam B. Virginis maternitatem alludit, et B. Virginem in sua relatione ad Eucharistiam considerat.

4. **Hegesippus** († post a. 180), traditionibus Palaestinensibus innixus, in « fratribus Domini » consobrinos Christi videt, iuxta opinionem inde a saec. v in Ecclesia Latina communem (cfr NEUBERT, o. c., pp. 198-208).

5. **S. Gregorius Thaumaturgus** († 270) Ep. Neocaes., in quadam homilia quae ipsi tribuitur, loquitur de *perpetua* virginitate tamquam de re communiter admissa; virginitatem in partu modo vere novo et praeciso explicat, parallelismum instituendo inter generationem divinam Christi et suam generationem humanam (*Sermo in nativitate Christi*, VIII, XIII, XIV, XV, apud PITRA, *Analecta sacra*, t. 4, pp. 136-137, lat. 388-392).¹ Cooperationem B. M. V. ad Redemptionem exprimit per notum parallelismum inter Evam et Mariam (*Sermo in Nativ. Chr.*, ed. cit., p. 394). S. Gregorius Nyssenus in vita *S. Gregorii Thaumaturgi* (PG 46, 902-912) narrat quomodo B. Virgo eidem apparuit una cum S. Ioanne Ev., cui onus commisit illum in rebus fidei erudiendi.²

6. **S. Petrus Alexandrinus** († 311) conceptionem virginalem extollit (PG 18, 512 A), et asserit quod nativitas Emmanuelis beatam virginem Dei Matrem reddidit (PITRA *Analecta sacra*; t. 4, versio lat., p. 426, fragm. D). S. Petrus, *primus* videtur qui titulum *ἀειπαρθένος* clare in sua plena significatione adhibet (PG 18, 517).

7. **S. Methodius Olympiae** († 312) parallelismum evolvit inter primum et novum Adam, inter primam et novam Evam (*Conv. X virginum*, Thalia 4, PG 18, 68-A).

¹ Attributio haec reicitur ab HARNACK, *Chronologie der Altchristlichen. Litt.*, t. 2, p. 101; admittitur tamen a LOOFS, *Theol. Litt. Zeitung*, 1884, coll. 551 sqq., a NEUBERT, o. c., p. 186 et a BARDENHEWER, *Patrologie*, p. 152.

² Narratio haec citatur ab Episcopo Anglicano Georgio Bull et a card. Newman in op. *Du Culte de la Sainte-Vierge dans l'Eglise Catholique*, trad. 1908, p. 115. Apparitio haec veluti initium signat mirabilem et innumerabilem apparitionum B. M. V. saeculorum decursu, et maternam sollicitudinem Virginis ostendit pro tutela fidei catholicae.

S. Gregorio Thaumaturgo attribuuntur etiam tres homiliae in *Annuntiatione B. M. V.* (relatae a BOURASSÉ, l. c., coll. 601-618), sed ut genuinae non agnoscuntur.

8. **Adamantius** (initio saec. IV) fidem suam in Verbum in *immaculata* Virgine incarnatum profitetur (*De recta fide in Deum*, PG II, 1844 B).

9. **Lactantius** († post a. 317) conceptionem virginalem testatur tamquam argumentum divinitatis Salvatoris, a prophetis tamen (e. g. Isaia) praenuntiatum (*Divin. Inst.*, IV, XII, PL 6, 478 B).¹

* * *

Ex hucusque expositis patet quomodo (etiam praescindendo ab apocryphis, a monumentis catacubarum, a symbolis etc.) in solis scriptis Patrum Antenicenorum maxima pars elementorum actualis Mariologiae clarissime posita inveniat, ex quibus, tamquam ex principiis, saeculorum decursu, conclusiones deductae fuerunt, videlicet:

a) MATERNITAS DIVINA (S. Ignatius, S. Iustinus, S. Irenaeus, Tertullianus, S. Hippolytus, Origenes, Pierius etc.).

b) PERPETUA VIRGINITAS, sive a) *ante partum* seu in conceptione (S. Ignatius, S. Iustinus, S. Irenaeus, Tertullianus, S. Hippolytus, Origenes, Aristides, S. Petrus Alex., Lactantius) sive b) *in partu* (S. Ignatius, S. Iustinus, S. Irenaeus, Clemens Alex., Origenes, S. Gregorius Thaumaturgus), sive c) *post partum* (Clemens Alex., Origenes, Hegesippus).

c) SANCTITAS DEIPARAE. Carentia cuiuslibet moralis imperfectionis ab omnibus, Tertulliano et Origene exceptis, ex modo ipso loquendi affirmatur. Huius vero sanctitatis principium in sua praerogativa Matris Dei fundatur, et generatim occasione suae virginitatis de ipsa fit mentio. S. Hippolytus praesertim, immunitatem a peccato absque ullo vel minimo limite ponit et ideo *implicite* Immaculatam Conceptionem admittit. B. Virgo, insuper, exhibetur tamquam exemplar virtutum, et inter omnes alios sanctos perfectione elevatur. Origenes admittit etiam in Deipara singularissimam scientiae perfectionem.

d) COOPERATIO AD OPUS REDEMPTIONIS. Huic operi B. Virgo particulari modo sociata apud omnes apparet prout eruitur ex S. Iustino, S. Irenaeo, S. Hippolyto, Tertulliano, Origene, S. Gregorio Thaumaturgo, S. Methodio Olympiae. Huius communis sententiae plures rationes a Neubert assignantur: « La liaison qui, dès l'Évangile, rapprochait l'idée de Marie de celle de la Rédemption, a été

¹ *Convenientiam* conceptionis virginalis ex *similitudine* Filii cum Patre deducit: « Ipse enim Pater Deus, et origo et principium rerum, quoniam parentibus caret ἀπάτωρ atque ἀμήτωρ (absque patre et absque matre) a Trismegisto verissime nominatur, quod ex nullo sit procreatus. Idcirco etiam Filius bis nasci oportuit, ut et ipse fieret ἀπάτωρ atque ἀμήτωρ. In prima enim nativitate spirituali ἀμήτωρ (absque matre) fuit, quia sine officio matris a solo Deo generatus est. In secunda vero carnali ἀπάτωρ (= absque patre) fuit, quoniam sine patris officio virgini utero procreatus est, ut mediam inter Deum et hominem substantiam gerens, nostram fragilem imbecilleque naturam quasi manu ad immortalitatem posset educere ».

de bonne heure mise en lumière: 1) parce que la lutte contre les négateurs de la maternité de Marie amenait leurs adversaires à la Rédemption; 2) parce que la naissance virginale de Jésus était considérée comme la figure de la nouvelle naissance qu'il nous avait méritée; 3) parce que le parallélisme qu'on voyait entre Notre-Seigneur et Adam exigeait qu'on opposât à l'œuvre d'Eve l'œuvre de Marie. Cette œuvre de Marie était plus qu'un concours passif prêté au Sauveur, pour tous ceux qui voyaient en Marie autre chose qu'un instrument matériel de l'Incarnation. Le côté actif de cette coopération, déjà marqué par saint Justin, a été mis en relief surtout par saint Irénée, dont la doctrine sera acceptée par les générations suivantes » (op. c., p. 274).

e) *MATERNITAS SPIRITUALIS*, seu cooperatio ad nostram regenerationem vitae supernaturali, sat clare exprimitur a S. Irenaeo et ab Origene.

f) *CIRCA CULTUM*, haec scribit Neubert:¹ « Marie ne semble pas avoir été honorée d'un culte liturgique pendant les trois premiers siècles, ce qui n'est pas pour étonner si l'on se reporte à la conception liturgique des premiers temps; mais elle fut certainement un objet de vénération pour les fidèles. Cette vénération s'est traduite dans les récits sur la conception et l'enfantement virginal, dans l'art des catacombes, dans les homélies des Pères et surtout dans ce travail de glorification qui a fait d'elle un personnage à part à côté de Jésus. On ne peut citer aucun témoignage certain établissant qu'on ait prié la Mère de Dieu dès cette époque; mais le silence des documents s'explique aisément, et la comparaison avec les autres bienheureux qu'on invoquait au moins à partir de la seconde moitié du II siècle, ainsi que le pouvoir spécial d'intercession attribué à Marie ne permettent pas de douter qu'à elle aussi aient été dès lors adressées les prières des fidèles » (op. c., p. 275).

Principia igitur Mariologiae iam in aetate antenicaena sunt posita; quaedam praecipuae conclusiones (magis immediatae) ex ipsis iam deductae apparent: remanet ut aliae conclusiones (magis remotae) deducantur: quod in subsequentibus aetatibus, prout videbimus, factum est.

Prima et praecipua ratio huius doctrinalis evolutionis reponenda est in vinculis omnino singularibus quibus Iesus et Maria indissolubiler uniuntur, ita ut universa historia Mariologiae nihil aliud sit nisi extensio et defensio Christologiae.

¹ Cfr pp. 256-258.

B) *Aetas Patrum Maiorum*

(a Conc. Nic. ad S. Leonem M., 325-461)

I. **Patres Orientales**I. **S. EPHRAEM Diaconus (306-373)**¹

S. Ephraem natus est Nisibi in Syria anno, probabilissime, 306 vel 307 ex patre pagano et sacerdote Idolorum, a quo, ob eius erga christianos benevolentiam, anno circiter 15 aetatis suae, e domo eiectus est. A Iacobo Episcopo Nisibeno humaniter receptus, anno 18 aetatis suae baptismum recepit, et postea Diaconus ordinatus est. S. Scripturae et Theologiae studia maxime coluit. Anno 363, Edessam petiit ubi celebrem scholam Edessenam condidit eique praefuit.

Plurima scripsit opera (circiter 3.000.000 stycæ), praesertim exegetica ita ut fecundissimus, inter omnes syriacos, scriptor evaserit. Laus Ephraemi per totum Orientem divulgata est (S. Hier., *De Vir. ill.*, 115). Scripta eius publice in Ecclesiis, post S. Scripturam, legebantur, et ipso adhuc vivente, in alias linguas magna ex parte conversa fuerunt. Quarta pars horum scriptorum, soluta oratione, reliqua vero forma metrica, stricte sillabica, composita fuerunt. Etiam sermones in forma metrica compositi sunt. Ob haec plurima scripta, S. Ephraem a Syris « Sol Syrorum », « Doctor mundi », « Columna Ecclesiae », « Cithara Spiritus Sancti » appellatus est (Enc. *Principi Apostolorum*).

EDITIONES PRAECIPUAE operum S. Ephraem sunt:

1. Opera omnia, edita a MOBAREK-ASSEMANI, 6 vol., Romae, 1742-1746: *S. P. N. Ephraem Syri opera omnia quae extant, graece, syriace, latine*. Opera quae in hac editione continentur, « pleraque quidem, non autem omnia authentica haberi possunt, hoc ordine: *syriaca* plerumque authentica sunt; *graeca* plura aut non genuina aut liberius retracata; *latina*, valde quidem pauca, vix possunt authentica prorsus haberi » (BOVER, l. c., p. 161).²

2. LAMY TH., J., *S. Ephraem Syri hymni et sermones*, 4 vol., Mecnliniae, 1882-1902. Scripta quae in hac editione continentur, authentica habentur.

3. AUCHER-MOESINGER, *Evangeliæ concordis expositio facta a S. Ephraemo*, Venetiis, 1876. Etiam scripta in hac editione contenta, authentica habentur.

¹ Bibliographia: BOVER J., *S. Ephraem Doctoris Syri, testimonia de universali B. M. V. Meditatione*, in *Ephem. Theol. Lov.*, t. 4 (1927), pp. 161-179; GINNETTI M., *Un precursore di Efeso: Sant'Efrem e la sua Mariologia*, estratto da « La Scuola Cattolica », 1931; HAMMERSBERGER L., *De Mariologie der Ephremischen Schriften*, Innsbruck, 1938, in-8, p. 87; LANTSCHOOT A., O. Pr., *Ephrem en de H. Maagd*, in *Handelingen van het Vlaamsch Maria-Congres te Brussel 1921*, pp. 185-189; LEBON J., *La doctrine Mariale Ephrémienne*, in *Mémoires et rapports du Congrès Marial tenu à Bruxelles 8-11 sept. 1921*, t. 1, pp. 54-64.

² Ob hanc rationem — prout animadvertit Lebon (l. c., p. 54) — non est hodie possibile certamnam Marianam S. Ephraem modo praeciso, adaequato et definitivo exponere.

4. RICCIOTTI, *Inni alla Vergine*, traduzione integrale dal siriano, Roma, Editrice F.I.U.C., 1925. Sunt 20 hymni desumpti ex vol. II editionis Lamy.

In variis textibus citandis, adhibebimus siglas: AS (Assem. syr.), AG (Assem. graec.), AL (Assem. lat.); LA (Lamy); MOES (Moesinger); RI (Ricciotti).

Afferemus etiam, identidem, dubia testimonia,¹ eo quod et ipsa testantur S. Ephraem in suis sententiis circa B. Virginem multos alios vel assecclas vel imitatores habuisse, ita ut non unius viri tantummodo, quamvis praestantissimi, sed integrae scholae testimonium circa Virginis privilegia habeamus.

In variis suis operibus saepe, S. Ephraem, data occasione, de B. Virgine loquitur eius prerogativas celebrat, ita ut testimonium sese exhibeat validissimum traditionis catholicae circa privilegia et cultum B. M. V. « B. Maria Virgo — scribit Steidle — summis extollitur laudibus » (*Patrologia*, p. 138). « S. Ephrem — iuxta Ricciotti — è uno dei Padri che abbiano più parlato di Maria in qualunque secolo siano essi fioriti, ed è assolutamente il più abbondante in questa materia fra i suoi predecessori e contemporanei » (G. RICCIOTTI, *Sant'Efrem Siro*, Torino-Roma, 1925, p. 169). P. Ortiz de Urbina scribit: « Lo si può chiamare il primo dottore Mariano che troviamo nella schiera dei SS. Padri » (l. c., p. 103).

P. Bover asserit: « Vix ullus inter antiquissimos Ecclesiae Patres potiore iure quam S. Ephraem "Marianus Doctor" potest appellari » (l. c., p. 161). Et Benedictus XV qui illum universalis Ecclesiae Doctorem declaravit, in Litteris Encyclicis *Principi Apostolorum* 5 octobr. 1920 scribebat: « Huius erga Deiparam Virginem pietatem, quisnam satis dicendo explicet?... Omnino haec *Spiritus Sancti cithara* numquam suaviores reddidit sonos, quam cum propositum est Mariae concinere laudes, vel integerrimam virginitatem, vel divinam maternitatem, vel misericordiae plenum in homines patrocinium celebrando » (*Acta Ap. Sed.*, 1920, p. 467).

In quodam ex suis hymnis ita S. Doctor incipit: « La Vergine mi ha chiamato perchè io canti le sue gesta che ammiro. — Dammi la tua ammirazione, o figlio di Dio, — ed io arricchirò la mia cetra del tuo dono — sì che alla tua Genitrice io *dipinga una immagine piena di bellezza* » (RI, p. 11). Et revera S. Ephraem imaginem Deiparae pulchritudine plenam depinxit, prout ex paucis sequentibus textibus erui potest.

a) DE B. VIRGINE CONSIDERATA IN ORDINE AD DEUM.

I. **Deiparae praedestinatio:** « Egli, invero, si scelse la Madre che lo portasse » (RI, p. 85); « Il Padre aveva scritto una lettera — per mezzo dell'Angelo, inviandolo a Nazareth — alla Vergine pura: — poichè aveva eletto e prescelto essa — perchè fosse la Madre del suo Unigenito — quando sarebbe sceso a salvare il mondo » (RI, p. 89). Gratuitam praedestinationem Deiparae ita exprimit: « La

¹ Sunt dubiae authenticitatis *Sermo de laudibus B. Virginis* (ASSEMANI, t. 3, 575) et *Precatio ad Dei Genitricem* (ibid., p. 540).

Vergine io voglio celebrare — che diventò *per grazia* — la Madre del Signore di tutti » (RI, p. 23).

« Divenni *per grazia* — Madre di Dio » (RI, p. 55).

2. **De Deiparae prophetiis et figuris.** « Beata es Maria, quia *omnes prophetae* in libris suis te depinxerunt » (LA, II, 588). « Gaudet in Maria totus ordo prophetarum, quia in ea suum terminum habuerunt visiones, et complementum vaticinia, suamque confirmationem et robur oracula » (LA, II, 522); « In Maria adimpletae sunt omnes similitudines; signa et oracula in ea terminum habuerunt » (LA, II, 542); « In Maria explicationem nanciscuntur omnia arcana in libris prophetarum abscondita » (LA, II, 540).

Inter prophetas laudantur: *a) Isaias* 7, 14 (cfr RI, pp. 26-27; 319-66); *b) Ezechiel*, 44, 2 (cfr RI, p. 21; p. 63); *c) Verba Protoevangelii* (3, 15) B. Virgini applicantur: « Salve Pura, quae draconis nequissimi caput contrivisti et in abyssum proiecisti vinculis constrictum » (AG, III, 547).

Pulchre de symbolis agit: « I tuoi simboli, o Vergine, — furono depositati nell'arca [della Alleanza, cioè nell'Antico Test.], — perchè la profezia delineò — le tue decorose immagini, — e le pose nelle Scritture — per colui che intende. — Per mezzo di quella nuova urna esse predicarono di te » (RI, p. 23).

Inter haec symbola vero eminent: *a) virga*: « Esse (le Scritture) ti prefigurarono in quella verga — depositata nell'arca — la quale benchè non piantata fiori — per celebrare la tua generazione. — La verga, senza irrigazione, — fu coronata di foglie — per essere simbolo della vergine, — la quale il frutto prodigioso — fè germogliare e dette a noi. — La figura di Lei fu adombrata — e resa nota nella verga dei leviti » (RI, pp. 23-24) — *b) vitis*: « La vite della Vergine produsse un grappolo il cui vino è dolce — e per esso furon consolati dalle tristezze — Eva ed Adamo che erano mesti » (RI, p. 13); *c) navis*: « Ella è la nave onusta — del tesoro dei tesori — e portò ai poverelli — le ricchezze del cielo: i morti s'arricchirono da lei — ch'era onusta di vita » (RI, p. 15); « La nave dei gaudii — resa onusta dal Padre — del carico delle buone novelle » (RI, p. 29); *d) petra Horeb* (Ex., 17, 6): « La pietra dell'Horeb — rappresentò un simbolo tuo (o Maria); — poichè essa non era scavata — eppur partorì somministrando — la bevanda all'accampamento — che moriva di sete. — Il tuo mistero raggiunse la pietra e l'arricchì: — poichè da te uscì zampillando — la celeste bevanda, — cui bevendo rimane saziato — il mondo per grazia » (RI, p. 55); *e) rubetum incombustum* (Ex. 3, 1): « Beata te, o Maria, che fosti — figura del rovetto veduto da Mosè » — (RI, p. 66) *f) velamen* (Ex. 34, 33): « Beata te, o Maria, che fosti — come un velame e occultasti lo splendor di Lui. — Beata te, o Maria, perchè spuntò da te — un sol raggio che occultò il sole » (RI, p. 66); *g) limus terrae*: « Beata te, o Maria, perchè fosti raffigurata — nel simbolo della terra che partorì Adamo: — e tu partorisci il Signore di Adamo » (RI, p. 66).

3. **De divina maternitate.** — Dogma maternitatis divinae nec non Deiparae dignitas, pluries effertur. Ipsa est « La Madre del Signore di tutti » (RI, p. 23),

« Madre del Signore dei Re » (R1, pp. 35, 66); « Divenni per grazia — *Madre di Dio* » (R1, p. 55); « O Vergine piena di meraviglia — che ci hai partorito il Figlio di Dio » (R1, p. 57). « Un tesoro pieno d'ogni bene — emanante vita a quei che lo posseggono — ci hai tu trasmesso ... — Da te spuntò umilmente — l'Eccelso, che s'impicciolì per esaltare (gli uomini) » (R1, p. 57); « In te si compiacque — l'Eccelso di abitare » (R1, p. 69); « giovinetta, ringrazia Colui che ti stimò degna — che tu fossi sua madre ed egli tuo figlio » (R1, p. 72); « Ed ella è la madre di Dio — e pur la sua ancella — opera della sapienza di Lui » (R1, p. 82). « Il gran Sole è contratto e raccolto — dentro a una nube rifulgente; — essa, la giovinetta, è divenuta madre di Colui — che ha generato Adamo e il mondo ». — « Nel seno di Maria divenne bambino — Colui ch'è uguale a suo Padre dall'eternità — dette a noi la sua grandezza, — e si prese la nostra piccolezza; — divenne insieme con noi mortale, — e mescolò in noi la sua vita perchè non morissimo » (R1, p. 80).

Dignitatem vero maternitatis divinae ita celebrat: « Virgo est et Mater et quidnam non est? » (LA, II, 520). « Piccola è la mia bocca per narrare le sue beatitudini — nelle quali tutte è ammirabile (questa) beata » (R1, p. 34). « Il cielo non è più sublime di te » (R1, p. 59) « In Te che sei un secondo cielo, esulta la terra, perchè nel tuo figlio fu pacificata » (R1, p. 73).

« Sublimior es omnibus caelestibus potestatibus » (AG, III, 528); « Supra omnem creaturam *regali* et prope divina dignitate collocata es » (AG, III, 551) « Veluti secundas partes tenens post divinitatem » (AG, III, 529); « Omnium post Trinitatem Domina » (AG, III, 528). « Dei mater » est « maior omni cogitatione et eloquio » (AG, III, 537).

Vi divinae maternitatis, B. Virgo, nedum Mater Verbi, sed etiam facta est *affinis* Patris et *Sponsa* Spiritus S. « Figlio del Padre, tu sei figlio di Maria — e un solo tu sei — o Verbo di Dio, soprannaturalmente dalla madre — e naturalmente dal Padre » (R1, p. 41). « Salve puer, cuius Mater Sponsa Spiritus Sancti facta est » (AS, II, 420).

b) DE B. VIRGINE CONSIDERATA RELATE AD HOMINES.

1. De *Mediatione B. M. V.* In graecis translationibus, titulus *Mediatricis* septies apparet. Vocatur enim « Mediatrix mundi » (AG, III, 525), « post Mediatorem Mediatrix totius mundi » (AG, III, 528), « Mediatrix erga Deum », in qua « genus humanum felicitatem suam ponit » (AG, III, 532), « Praestantissima Mediatrix » (AG, III, 539), « in omni re Mediatrix » (AG, 552). Praeter titulum insuper, *res* per titulum significata clarissime exprimitur. Dicit enim: « Tu ... mortalium cum Deo coniunctio » (AG, III, 525).

Mediatio B. M. V., sub triplici particulari respectu, *corredemptionis* nempe, *maternitatis spiritualis* et *distributionis omnium gratiarum*, sat clare a S. Ephraem exponitur.

a) *B. Virgo est CORREDEMPTRIX*. Ipsam enim Deus « ex universo coetu virginum elegit *ut nostrae esset salutis instrumentum* » (AS, III, 607). Iuxta S. Ephraem, B. Virgo opponitur Evae; et sicut Eva fuit consors praevaricationis generis humani, ita B. Virgo fuit consors redemptionis. Haec innumeris fere locis S. Doctor exponit.¹ Pauca exempla sufficiant: « Due vergini — ebbe l'umanità — una, cagion della vita, — l'altra, cagione della morte: — da Eva spuntò la morte, — ma la vita da Maria » (RI, p. 15). « Eva e il serpente scavarono la fossa e vi fecero cadere Adamo: — ma si oppose Maria insieme col Re (suo figlio); — ed estrasse (il caduto), facendolo risalire dal baratro, — per mezzo di un ascoso mistero, che quando fu rivelato diè vita ad Adamo » (RI, p. 13). B. Virgo « *causa fuit omnium bonorum* » (LA, II, 526).

« Pro amaro illo fructu quem Eva ex arbore decerpit, Maria dulcem dedit hominibus fructum. Ecce totus mundus Maria delectatur » (LA, II, 522). « Soror vestra Maria evertit arborem, quae mortem intulerat, et dedit fructum omnes vivificantem » (LA, II, 530). Eva peperit occisorem, ideo Maria peperit vivificantem » (MOES, p. 21). « Per Evam homo invenit sepulchrum: per Mariam in coelum vocatus est. Duo legati missi sunt ad Evam et Mariam: satanas et angelus, serpens et Gabriel: et in medio horum [duorum mors et vita inventae sunt] » (LA, III, 986). « Gladius ... qui sepivit paradysum, tollebatur per Mariam » (MOES, pp. 28-29).

Pluries S. Ephraem (cfr BOVER, l. c., pp. 167-169) vividissime agit de *consensu* novae Evae in *incarnationem redemptivam* seu in ipsam redemptionem. « Deus constituit *intercessores* (= *mediatores*, iuxta vim syriacae vocis) angelum et puellam, ut suis verbis rem converterent, *reconciliatio* fieret inter supernos et infimos... *Mysterium* concreditum est duobus, *uni ex utraque parte*, nempe, e supernis uni angelo, ex infimis uni virgini, ut *rem tractarent* et reconciliationem inirent. Descendit angelus ex alto, et locuta est cum eo virgo, et coeptum est agi de reconciliatione, et initum est *foedus pacis*... » (LA, III, 976),

B. virgo *Redemptorem* noois, libero suo consensu, dedit. « Ei (Filio) ministra *basi* regenerationis ad redemptionem » (AG, III, 531); « Tu quae Reparatorem *mando* genuisti » (AG, III, 536); « Maria beneplacito et consensu Christum *concepit* » (AG, II,

B. Virgini, insuper, aequae *immediate* (quamvis dependenter et subordinate) ac Christo (cuius fuit socia seu *instrumentum* in integro reparatiois opere) *efficitur* redemptionis S. Ephraem tribuit. Illam enim vocat, e. g. « Peccatorum *meorum* redemptio » (AG, III, 530), « pretium redemptionis captivorum » (AG, III, 530), « revocatio Adami, Evae pretium redempticnis » (AG, III, 547), « nostrum, *procuratorium* » (AG, III, 525), « delictorum remissio » (AG, III, 530), « mce-

¹ Cfr. BOVER, l. c., I, pp. 164-169; LA, I, 154-156; LA, II, 468, 522, 456, 524, 526, 530, 612-614; LA, I, 594; AS, II, 32, 321, 318, 329, 396, 424, 430, 454; MOES, 21, 23-24; ibi, III, 507.

roris solutio, captivitatis liberatio » (AG, III, 525 et 529), « delictorum solutio (AG, III, 547-548), « propitiatio aberrantium et liberatio » (AG, III, 534), « Liber divina manu scriptus, per quem Adami chirographum scissum est » (AG, III, 529) etc. ... Tandem, B Virgo, iuxta S Ephraem, est *Sponsa Dei* in regeneratione, per *reconciliationem*, filiorum Dei. Scribit enim: « Domina mea sanctissima Dei genitrix et gratia plena ... *Sponsa Dei*, per quam ipsi reconciliati sumus » (AG, III, 528). « Sta Maria, tua madre, tua sorella, tua SPOSA ... » (RI, p 45). « Appellabo te *sponsum* ..., ratione tuae sanctitatis » (ed. RAHMANI, t. 5, pp. 429-430). « Liberer a flamma sempiterna per te DEI SPONSA » (AG, III, 533).

b) *B. Virgo est mediatrix vitae* seu MATER SPIRITUALIS HOMINUM. Etenim: « Initio, protoparentum delicto in omnes homines mors pertransiit: hodie vero, per Mariam translati sumus de morte ad vitam. Quod ergo mortis fuit, simul et vitae extitit instrumentum » (As, III, 607). « Eva, mater omnium viventium, fons mortis effecta est omnibus viventibus. Floruit autem Maria, nova vitis prae vite antiqua Eva, habitavitque in ea Vita nova Christus » (LA, I, 154-156). « Per Evam orta est mors, et vita *per Mariam* » (LA, II, 526). « Cumctarum refugium *totiusque mundi vita* » (AG, III, 539-540). « Virgo Domina, Dei Genitrix, salus communis generis christianorum: tu quidem *veluti mater* nobis prospicere non desistis; verum, tamquam filiorum amans atque ad amandum propensa, ita tua beneficia nobis *distribuis semper*, salvans, defendens, custodiens ... » (AG, III, 543). Tandem B. Virgo ita salutatur: « Salve, OMNIUM PARENS » (AG, III, 576).

c) *B. Virgo est DISPENSATRIX OMNIUM GRATIARUM*. Etiam veritas ista sat aperte a S. Ephraem exponitur. Legem enim secundum quam nulla gratia hominibus impertitur quod per manus Mariae non pertranseat, ita aequivalentibus verbis enunciare videtur: « Genus humanum ... a tuo semper *pendet* patrocinio, teque *solam* habet perfugium ac defensionem, utpote quae confidentiam habes apud ipsum (Deum). Ecce ipse quoque ad te venio ferventi animo, *minime audens se-secure accedere ad tuum Filium*, sed supplex consequar. Noli igitur despiciere famulum tuum, qui *omnem spem* meam repositam habeo in te post Deum; noli aversari prorsus periclitantem et in maximis aerumnis exercitum; verum, miseratrix et misericordis Dei mater, tui famuli miserere ... Multum enim potest materna precatio apud Filium, qui facile flectitur » (AG, III, 532-533).

Insuper, B. Virgo dicitur « bonorum omnium suppeditatio » (AG, III, 529), « bonorum omnium erogatio » (AG, III, 528). *Actualem* vero distributionem *omnium bonorum* extollit asserens quod B. Virgo nobis *distribuit semper* sua beneficia (AG, III, 543). « Per te omnis gloria, honor et sanctitas, ab ipso primo Adam et usque ad consummationem saeculi, Apostolis, prophetis, iustis et humilibus corde, sola immaculatissima *derivata est, derivatur ac derivabitur*, atque in te gaudet, gratia plena, omnis creatura » (AG, III, 532). Variis imaginibus (fluminis, maris, fontis, nubis, mensae) eandem veritatem illustrat. « Misericordiae flumen inexhaustum, omnium charismatum caelestium ac miraculorum mare *indefi-*

ciens » (AG, III, 551); « *nubes fundens caelestem rorem in terram* » (AG, III, 529); « *fons signatus, cuius rivi purissimi irrigant totum mundum* » (AG, III, 529); « *fons vivificus, pelagus inexhaustum divinarum secretarumque largitionum ac munerum* » (AG, III, 527); « *mundo fons facta es, omnia fundens bona* » (LA, II, 548); « *mensa mysticarum gratiarum* » (AG, III, 535).

Asserit quod B. Virgo *omnia potest*; « *penes te, posse est, utpote quae es vera Mater Dei et omnia potens* » (AG, III, 526); « *omnia potes, tamquam Dei Mater; omnia vales, veluti quae superas omnes creaturas; nihil tibi, si vis, impossibile est* » (AG, III, 549). « *Habes enim cum voluntate potestatem* » (AG, III, 544). Hanc omnipotentiam supplicem in multis aliis locis extollit (e. g. AG, III, 551, 545, 536, 531). Quapropter exclamat: « *In te spem meam omnem repono* » (AG, III, 526). Ipsa est « *spes omnium finium terrae* » (AG, III, 549).

Virginis *universale patrocinium*, seu protectio a malis, pluries a S. Ephraem effertur. « *Tu, omnium patrocinium* » (AG, III, 545); « *Non enim est mihi alia spes aut perfrugium nisi tu, et sola mea consolatio ac cita defensio* » (AG, III, 525-526). Idem in aliis pluribus locis asserit (e. g. AG, III, 526, 527, 528-529, 531, 534, 545-546, 547-534, 539, 547, 532, 533 etc.). Omnes et singulas gratias necessarias a B. Virgine fervidissime impetrat (AG, III, 529-532; 535-536; 555, 551-552, etc.).

2. **De munere Regio B. M. V.** S. Ephraem primus est qui doctrinam de munere regio B. M. V. magis explicite proposuit. B. Virgo enim, iuxta ipsum, « *omnium est post Trinitatem Domina* » (AG, III, 528), « *Regina omnium* » (AG, III, 575).

Pluries se « *Servum Mariae* » (AG, III, 536), « *famulum Mariae* » (AG, III, 532-533 etc.) profitetur.

c) DE B. VIRGINE CONSIDERATA IN SEMETIPSA.

Fuit perfectissima sive quoad animam, sive quoad corpus. « *Maria di prodigio era ripiena — nell'anima sua era sapiente, — nel corpo suo era santa; — nei suoi pensieri era pura: — la Fiamma ella recava* » (RI, p. 20).

« *Sanctissima Domina ... etiam ipsas incorporeas virtutes sine ulla comparatione antecellens puritate ac sanctitate animae et corporis* » (AG, III, 524).

I. De pertinentibus ad animam.

1. *Carentia cuiuslibet imperfectionis:*

a) IMMUNITAS A PECCATO ORIGINALI. S. Ephraem primus est, inter omnes Patres, qui de Immaculata Conceptione modo satis explicite, et quidem tamquam de re communiter tunc admissa, loquitur. In ore enim Ecclesiae Nisibeneae haec verba ponit: « *Tu revera et Mater tua soli estis, qui ex omni parte pulchri*

estis; in te enim, Domine, nulla est labes, nec ulla in matre tua macula » (*Carmina Nisibena*, edita Leipzig a. 1866 a Bickell, p. 40).¹ Si in hisce verbis ageretur tantummodo de immunitate a peccato *actuali*, B. Virgo — prout iure animadvertabat Bickell — non fuisset in hoc *sola cum Christo*: pueri enim statim post baptismum mortui (quibus pluries S. Ephraem primum locum, inter Sanctos, concedit) eadem puritate ornati fuissent. Nec valet obicere cum Hammersberger (l. c., pp. 57 ss.) S. Ephraem ignorasse naturam peccati originalis, prout est macula animae. Dato enim et non concessio² S. Ephraem hoc ignorasse, propositio eius *affirmativa* excludit *omnem maculam* a Virgine. Ita si quis, e. g., scribat: Caius immunis fuit ab *omni* infirmitate, ex hoc excluditur a Caio etiam phthisis, etiamsi natura huius morbi a scriptore ignoretur aut male cognoscatur.

Insuper S. Ephraem statum Mariae statui Evae ante lapsum comparat asserens duas tantummodo mulieres *puras*, simplices fuisse, Evam nempe et Mariam (*Sermo exeg. in Genes.*, 3, 6, As, II, 327).

Tandem B. Virginem explicite eximit ab *effectibus peccati originalis*, i. e. a doloribus partus (*Hymni de Virginitate*, Beryti, 1906, 24, II, pp. 69-70).

Immunitas haec a S. Ephraem tribuitur Christo eiusque amori et sanguini. Maria enim dicitur filia « sanguinis et aquae » (allusio manifesta ad Calvarium, ed. RAHMANI, t. 5, pp. 429-430); « l'amore di Lui (il gran Re) è un muro (di protezione) per la tua bellezza » (Ri, 24).

b) Immunitas a FOMITE CONCUPISCENTIAE deduci posse videtur ex verbis: « Santo è il suo corpo, pia l'anima sua, pura la sua mente — la sua intelligenza nitidissima — nel suo senso è compiutissima, — casta, mite, soave, esimia, e piena di bellezza » (Ri, 12).

c) Immunitas a QUOLIBET PECCATO ACTUALI apparet ex omnimoda puritate quam persaepe B. Virgini tribuit. E. g. « È incapace a tuo riguardo la mia bocca — di parlare della tua purità! — I cherubini dal quadruplice viso — non sono santi quanto sei tu: — i serafini dalla settupla ala — non son decorosi più della tua bellezza. — Non sono pure più della tua purezza — le legioni degli angeli eccelsi » (Ri, 57-58). Vocatur Deipara « Omnino immacolata » (AG, III, 525) « sola immaculatissima » (AG, III, 532).³

¹ Genuinitas horum Carminum nedum eruitur ex notitiis historicis in ipsis contentis, sed etiam ex vetustate codicum (saec. VI) in quibus aut integre aut ex parte continentur (British Mus. Add. 14.572 et 17.214).

² Certe admisit S. Ephraem hereditatem originalem rationem peccati et maculae habuisse. Cfr *In Diatess.* (AUCHER-MOESINGER 227; 42); *In Epp. Pauli* (ed. Mekitaristae, 14).

³ In *Comm. ad Diatessaron* legitur quod B. Virgo in nuptiis Canae fuit « praeproperans » et quod iudicavit Filium suum miracula patrare voluisse « ut gloriam et honorem apud turbam Iudaeorum pararet » (*In Diatess.*, AUCHER-HOESINGER, 52). Insuper legitur quod « Post victoriam ab eo de inferis reportatam, cum mater eum videret, qua mater eum amplexari voluit » (ibid., pp. 53-54) et in Cruce Iesum amplexum eius repulisse dicens: « Ecce filius tuus ». Attamen, animadvertendum est praedicta omnia inveniri tantummodo in versione *armena* Diatessa-

2. *Plenitudo perfectionis*. B. Virgo, iuxta S. Ephraem, est « Vergine piena di meraviglie » (RI, 57), « piena di bellezza » (RI, 11): iamvero *pulchritudo* et *mirabilia* effectus sunt gratiae, cuius B. Virgo *plena*, a S. Ephraem, post Angelum Gabrielem, dicitur. Ipsa est « la Vergine piena di grazie » (RI, 59): « *sola tota facta domicilium universarum gratiarum sanctissimi Spiritus* » (AG, III, 524), « totius sanctitatis et gratiae receptaculum » (AG, III, 551), « Trinitatis gratiarum plenitudo (pleroma) » (AG, III, 329).

II. De pertinentibus ad corpus.

B. Virginem regium sanguinem habuisse, seu ex Davidica stirpe ortum duxisse S. Ephraem saepe commemorat. Ipsa est « la figlia di David » (RI, 28, 48). « Dalla tribù di Giuda è la tua provenienza — e dal seme della famiglia di David è la tua discendenza; — il tuo genere è illustre — perchè verginalmente divenisti — madre del Figlio di David » (RI, 35).

S. Ephraem primus est inter Patres qui de MORTE B. M. V. explicite loquitur. Dicit enim: « Muore, ma i segni verginali non sono disciolti! » (RI, 62). Habetur insuper in his verbis manifesta allusio ad *incorruptionem* corporis virginalis Deiparae, et ideo ad anticipatam resurrectionem eiusdem. Mors enim, iuxta S. Doctorem, non solvit (per corruptionem) signa corporea virginitatis Deiparae.

III. De pertinentibus ad animam simul et ad corpus.

Ad animam simul et ad corpus Deiparae pertinet praesertim PERPETUA VIRGINITAS, cuius S. Ephraem strenuus assertor fuit. Deipara fuit virgo:

a) ANTE PARTUM seu in conceptione Christi: « Canterò per le tue grazie » (o Signore), — inni eletti — alla vergine la quale divenne — madre in modo prodigioso, — la quale è vergine e pur madre. — Lode a Colui che la prescelse! » (RI-14). « Concepito senza amplesso — e generato senza dissolvimento: — nell'ecceleso senza Madre — nel basso senza padre » (RI, 54). « Ella è il campo che giammai — non ebbe chi lo seminasse, — eppur da essa germogliò — il manipolo di benedizione — ed ella dette senza seme — il frutto al mondo » (RI, 14-15).

« Beata Colei che concepì, senza uomo, — e gioi di prole, senza seme! » (RI, 3).

Possibilitatem huius miraculi contra incredulos ita ostendit: « Chi è che dentro alle viti — ha immesso la cesellatura delle uve, — pur senza (l'opera di) scalpello — o dita di artefice? — Come diventano esse gravide — del vino, senza padre? — Una specie di figlio esse contengono, e risultano — gravide ma sigillate,

non S. Ephraem, quae versio, prout apparet ex recentioribus inquisitionibus Zahn (*Tatianus Diatessaron*, pp. 44 ss.), Euringer (*Der locus classicus des «Primates und der Diatessarontext des Ephräm*, Festgabe A. Ehrhard, Bonn, 1922, pp. 144-179), et Peters (*Das Diatessaron Tatians*, Rom, 1939 = *Or. Chr. An.*, 123, pp. 94 ss.) dubie refert textum primigenium S. Ephraem. Eo vel magis quod talis versio probabiliter peracta est Edessae, quae civitas erat Nestorianismo infecta (Cfr ORTIZ DE URBINA, l. c., p. 61).

ripiene ma non lacerate. — Che ciò sia di confusione — bastevole per gl'increduli!» (RI, 54). Parallelismum inter Adam et Christum ita instituit: « Nella formazione dell'Adamo antico — coniugio e dolore non si richiesero — perchè Id-dio prese — della polvere nel suo pugno: — e così da solo formò Adamo, — mostrando in ciò la sua possanza e sapienza. — È evidente che in tal modo anche il Verbo — prese corpo da Maria Vergine — e non apparve coniugio — nel mistero della sua venuta: — poichè egli fu corpo nel modo che volle, — e s'incarnò e venne al mondo » (RI, 81).

Iuxta S. Ephraem, virtus Spiritus S., in conceptione Christi, per *Mariae aures* intravit: « Dall'orecchio Egli entrò — e dimorò nell'utero segretamente » (RI, 50).¹ Alia etiam testimonia in variis locis habentur.

b) IN PARTU. « In Maria avvenne il prodigio — che partorì verginalmente » (RI, 19). « Uscì dal ventre — non disciogliendo i sigilli della verginità di lei — come neppur i sigilli — del sepolcro egli disciolse uscendo » (RI, 50). « Dentro all'utero di carne — un talamo stava preparato: — giacendo se ne stava in esso — lo sposo celeste, — e segni verginali custodivano — le porte con diligenza. — Quando poi quel glorioso vo le uscire, — lasciò i segni verginali immersi nel sonno, — sì che non si avvidero dell'uscita di Lui: Ma i Vigili e gli Angeli — cantavano laude » (RI, 55). Contra vero *scrutatores* seu *gnosticos* (*rationalistae illius temporis*) scribit: « Che la Vergine partorisca — sente (dire) e non crede — lo scriba e l'investigatore, — perchè vede che naturalmente — non è affatto possibile — che partoriscono le vergini. — In Maria la natura fu superata e vinta: — ella infatti concepì vergine — e vergine partorì. Per tale via non è possibile — che la natura proceda. — Il bambino apparve ed uscì — per la via dei bambini. — E sua madre fu vergine, — e di prodigio fu ella ammantata; — il frutto ella portò, — e il suo grembo restò sigillato. — Nuova fu quindi la via per cui procedette — conoscendo il miracolo, concedendo — alla vergine il parto: la qual cosa non concede — la natura alla femmina » (RI, 22).

c) POST PARTUM. « Vergine ella lo ha partorito — e nei suoi segni verginali Ella fu incolume: — si curva e lo partorisce — ed Ella è vergine; — si leva e lo allatta — ed Ella è vergine; — MUORE, MA I SUOI SEGNI VERGINALI NON SONO DISCIOLTI » (RI, 62). Iure igitur exclamat: « Chi è che potrà, chi è che riuscirà — chi è che ardirà scrutare? — Ella porta Lui nel proprio grembo — e conserva i sigilli della sua verginità. — E a colui che la rimira — che altro resta dire — se non esclamare: “ Ecco l'ammirazione! ” — come disse Isaia? » (RI, 49-50). Cum virginitate perpetua S. Ephraem coniungit verum et virginale *matrimonium* cum S. Ioseph (RI, 67). Solvit difficultates desumptas ex vocabulo « donec » (cui contraponit verba: « donec ponam inimicos tuos ») et ex verbis « fratres » Iesu. Si

¹ Haec eadem idea repetitur, postea, a *Theodoto Ancyrensi* (Homil. 4 in Deip., PG 7 1392) et a *S. Proclo* (PG 65, 692).

fuisent *veri fratres Iesu, Mariae Filii, cur Deipara a Iesu commendata non fuisset istis potius quam Ioanni?* (*In Diatess.* AUCHER-MOESINGER, 23-24).

d) *DE CULTU B. M. V.*

Cultus B. M. V. S. Ephraem strenuus assertor et testis antiquissimus apparet.

Saepe ad cultum sive venerationis, sive invocationis fideles vehementer hortatur. Sic, e. g.: « Venite, proclamiamola beata, quella Maria — (quella) poverella che divenne ricca pel figlio del Re » (RI, 33). « La Madre che lo ha partorito — è degna di (gloriosa) memoria — il ventre che lo ha portato — è degno di benedizione » (RI, 64). « Venite, o stuolo di vergini, — battete le mani, cantate inni di gloria, — perchè la Vergine ha partorito un prodigio grande, — ed è l'ammirazione delle compagne » (RI, 26). « Maria disse: " Mi proclameranno — tutte le generazioni beata per Colui che ho partorito " — Pur io la proclamerò beata avendomi Ella invitato, — perchè anche questo è (segno d') amore, o eletti » (RI, 33). Et de facto illam continuo summis laudibus effert, ad ipsam continuo supplicationes suas fervidissimas dirigit (e. g. AG, III, 575-577).¹

Testatur insuper S. Ephraem, cultum fervidissimum quo, tempore suo, fideles omnes B. Virginem prosequerentur: « Grande è la sua beatitudine, e duplicata la sua memoria — e tutti i popoli ne moltiplicano la lode » (RI, 33).

« Nos autem pro his gratias agimus, praedicamus munera, non celamus beneficia, cantamus elata voce tua mirabilia, curam laudamus, providentiam extolimus, praesidium hymnis prosequimur, misericordiam commendamus: et quoad praeterita, memores magnorum tuorum munerum, et ex quantis periculis erepti sumus per te, hoc canticum eucharisticum tamquam debitum offerimus, tuis beneficiis par minime futurum. Quid enim esse potest correspondens? » (AG, III, 549).

Ex omnibus hucusque expositis luculenter patet revera S. Ephraem « formosam Dei Genitricis effigiem » vividissimis coloribus depinxisse; et ea omnia quae in hodiernis Mariologiae tractatibus exponi solent pertractasse (si excipias B. Virginis Assumptionem, de qua nihil apud ipsum habetur). Iure igitur meritoque « Doctor Marianus » per excellentiam vocari potest.

Mariologia vero S. Ephraem CHARACTERES sequentes praesefert:

I. Est eminenter CHRISTOCENTRICA. S. Ephraem, enim, B. Virginem cum Christo, iugiter coniunctam exhibet, et numquam ab illo divisam considerat. Tota eius ratio essendi est Christus, humani generis Redemptor, cuius est indissolubiliter Mater et Socia. Ex hoc fundamentali principio omnia Virginis privilegia deducit.

¹ Hisce inspectis, omnino probare non possumus verba illa scripta, bona quidem fide, a P. Dieu: « notre dévotion (à la Vierge) est plus expansive, notre culte est plus enthousiaste que celui des premières générations chrétiennes » (*Congrès Marial de Bruxelles 1921, t. I, p. 83*). Devotio nostra cum devotione S. Ephraem vix comparari potest.

2. Est POSITIVA potius quam speculativa. Saepe enim S. Ephraem contra *scrutatores* insurgit, qui mysteria intelligere et solvere praesumebant. Ipse est potius *traditionalista*, qui — iuxta suum dicendi modum — venenum graecae sapientiae gustare non vult, quique ab Apostolorum simplicitate seiungi nequit (Sermo 8, *Adversus Scrutatores*, in Op. Syr., p. 4 etc.). Dogmata enim exponit prout a S. Scriptura et a Traditione docentur; timet ne ipsa a ratiocinio laedantur; et ob hoc, forsitan, poësim praefert, quae a frigido ratiocinio potius abhorret.

Maxima igitur est S. Ephraem auctoritas in Mariologia, tamquam testis fidelissimus antiquissimae traditionis.

2. S. BASILIUS Magnus (329-379)

Cesareae Cappadociae a. 329 ex sanctissimis parentibus ortus, Caesareae Palaestinae et deinde Constantinopoli ac Athenis rethoricae studuit. Anno 370 Episcopus Caesariensis consecratus est. Diris mortificationibus fractus, obiit die 1 Ianuarii 379.

In homilia « In sanctam Christi generationem »¹ elementa quaedam mariologica inveniuntur, videlicet:

a) **De maternitate divina.** B. Virgo explicite appellatur *Theotocos* (*In Chr. nativ.*, PG 31, 1460).

b) **De virginitate perpetua.** Docet nedum Virginitatem *ante partum* et *in partu*, sed etiam virginitatem *post partum*, quamvis illam ut fidei materiam non habeat. Difficultates solvit ex verbis « donec » et « primogenitus » deductas (PG 31, 1468B).

c) **De sanctitate Deiparae.** Assertit in Mariae generatione nil pretiosius ipsius puritate fuisse, quae Spiritus S. gratias ad se attraxit (*Homil. in Chr. nat.*, 3 PG 31, 1464 B). Attamen, S. Basilius, post Origenem, gladium a S. Simeone praedictum pro gladio *dubitationis* intelligit (Ep. 240, 9, PG 32, 965).²

3. S. EPIPHANIUS Ep. Salaminus (c. 315-402)

Natus est in Palaestina, ex parentibus christianis circa a. 315. A S. Hieronymo « trilingui », « pentaglottus » vocatus est (*Contra Rufin.*, 2, 22; 3, 6) ob cognitionem plurium linguarum. Noverat enim linguam graecam, syriacam, aramaicam, copticam, et, ex parte saltem, latinam. Pluribus annis vitam monasticam duxit, donec anno 368 Episcopus Salaminus consecratus est. Zelo orthodoxae fidei

¹ Homilia haec, a Maurinis et a Migne (PG 31) inter opera dubia reposita, post studium USENER (*Religiongeschichte. Untersuchungen* 12, Bonn. 1911, pp. 249 s.) ut certo authentica habenda est. *Liber de vera virginitatis integritate* (PG 30, 667-810) quamvis sit saeculi IV, ad S. Basilium non pertinet.

² Plura scripta tributa fuerunt S. Athanasio († 373). Attamen de auctore vetustissimo *De Incarnatione Verbi* (PG 28, 26-29) etiam hodie valde controvertitur. Sunt indubie apocrypha

tuendae admirabilis fuit. S. Epiphanius est theologus positivus magis quam speculativus, et ideo est idoneus traditionis testis.¹ In suis scriptis pluries de B. Virgine agit, praesertim in longa Epistola *adversus Antidicomarianitas* (PG 42, 699-739) et in longa Ep. *adversus Collyridianos* (PG 42, 739-755) quae haberi potest tamquam *prima monographia Mariana* saeculorum decursu conscripta. De eius cultu praesertim agit, ita ut *Doctor mariani cultus* iure appellari possit. Homilia V in *Laud. S. M. D.* (PG 43, 485-501) est sat dubiae authenticitatis et forsitan saeculi VII,² ad alium Epiphanium pertinet.

Mariologia S. Epiphanii qui « honorificentius de illa » sensit, ad haec praecipua reduci potest:

a) *DE B. M. V. CONSIDERATA IN ORDINE AD DEUM:*

1. **De praedestinatione B. M. V.** Contra quosdam perpetuam Virginitatem Deiparae negantes, scribit: « Quanam vero fronte incorruptam illam Virginem aggrediuntur, quae Dei domicilium esse meruit, quae ex infinito Israelitarum numero ad id munus est electa, ut vas quoddam et habitatio uni esset divino parvuli consecrata? (*Adv. haer.*, III, t. 2, haer. 78, PG 42, 707).

2. **De prophetiis circa B. V.** Apud S. Epiphanium praeclarum testimonium invenitur circa interpretationem Protoevangelii (Gen. III, 15), et quidem in sensu *litterali*, de B. Virgine, prout fatentur etiam illi qui aliter sentiunt (cfr e. g. HUMMELAUER, *In Genesim*, p. 162).

In *Panario* adversus LXXX haereses, l. III, t. 1, haer. 78, n. 18 et 19 (PG 42, 727 sq.), postquam multiplicem comparisonem proposuit Mariam inter atque Evam, ut confirmet ultimam, sic prosequitur: « Nam illis (in hortis paradisi) ita serpentem Deus alloquitur: "inimicitiam ponam inter te et inter illam, inter semen tuum et semen illius". Atqui nusquam huiusmodi semen mulieris inveniri potest. Unde non aliter quam per adumbrationem ac similitudinem ad Evam hostiles illae inimicitiae referuntur, quas cum huius stirpe serpens ille et qui in serpente inerat invidia flagrans diabolus exercet. — Plene quidem ac perfecte accommodari ad illam universa nequeunt; sed in sanctissima, eximia, ac singulari

a) *Sermo in Annuntiatione SS. Dominae nostrae et Deiparae* (PG 28 915-942); b) *Epistola De Incarnatione Verbi Dei* (PG 28); c) *Sermo In censum sive descriptionem S. Mariae et in Iosephum* (PG 28, 943-958); d) *De virginitate sive de ascensi* (PG 28, 251-282); e) *Sermo In Nativitatem Christi* (PG 28, 959-974); f) *Sermo In occursum Domini Dei ac Salvatoris Iesu Christi* (PG 28, 974-1000).

¹ Ita enim ipsemet scribit: « Quae enim religiosissima et Ecclesiae fructuosa esse putabamus, haec de sanctissima Virgine sumus professi, ut eius patrocinium susciperemus, quae gratia plenissima est » (*Adv. haer.*, l. III, t. 2, haer. 78, PG 42, col. 735).

² Homilia haec Pseudo-Epiphanii a P. ORTIZ DE URBINA habetur tamquam « capolavoro della Teologia Mariana dell'Oriente » (l. c., p. 71). *Sermo de vita SS. Deiparae* (PG 43) pertinet ad Epiphanium monachum (1015). *Homiliae 5 in laudes S. Mariae Deiparae* (PG 43, 495 ss.) pertinent — iuxta P. Morin — ad Epiphanium Episcopum Salaminae (saec. IX).

stirpe quae ab sola Virgine Maria, sine ulla viri {consuetudine, propagata est, reipsa ac penitus impletur. Hic enim illius filius ad exstinguendam serpentis ac tortuosi colubri fugacisque vim ac potentiam, qui se totum orbem terrarum dominatu suo comprehendisse iactabat, ad haec infima descendit. Propterea unicus Dei filius processit, ut serpentem, hoc est impiae doctrinae corruptelam ac fraudem et errorem ac pravitatem averteret ».

Ex verbis istis iure haec concludit P. ARENDT: ¹

« Epiphanius igitur profitetur *mulierem* protoevangelii, perpensa significatione *inimicitiae* illius, pro Maria V. sola litteraliter supponere et consequenter *semen* ipsius pro Christo D. — Significationem vero Evae sub illo nomine, ipse supponit non esse *directe* et *immediate* a Spiritu S. scribente intentam, ne secundo quidem, ideoque haud esse litteralem, quippe quam Evae significationem aestimat voci *mulierem* in illa propositione non *accommodari* nisi per *adumbratam similitudinem*. Nempe etiamsi quis existimet plures sensus litterales esse a Spiritu Sancto in Scripturis intentos, non poterit sensum litteralem fundare in *adumbratione* tantum atque claudicante *similitudinis* comparatione. Epiphanius nimirum advertit in praedicatis quae in protoevangelio mulieri et eius semini tribuuntur, *plus explicitè significari* quam id quod posset cum veritate Evae posterisque eius attribui, ideoque statim conclusit nullatenus referri Evae sensum litteralem, sed ad summum, accommodatum.

« Rationem autem huius suae sententiae triplicem Epiphanius proponit: primam, *partum virginicum* quem inde coniicit in protoevangelio significatum, quod emphatice mulieris, non vero Adae semen fore praenuntietur, expressione nusquam in S. Litteris repetita; alteram, *inimicitiam adversus diabolum* quae huic mulieri communis unaque ibi asseritur esse cum ea qua filius eius diabolum penitus debellabit, unde illi soli mulieri praedicatio huiusmodi convenire potuit, cuius filius hanc victoriam referre valeret, et quidem ita ut mater victoriae ipsi active cooperari sua maternitate dicenda esset: quod profecto in Eva protoparente Christi defuit; tertiam, *comparationem inimicitarum* quas diabolum communiter in singulos Adae Evaeque posteros exercet, cum illis inimicitias quas Christus in eum exercuit: haec nimirum nedum illae, pro Epiphanio plenum totius versiculi 15 sensui reapse in actu respondent, dum illae non nisi in potentia et virtute ».

Exponit etiam S. Epiphanius prophetiam Isaiae VII, 14 (PG 42, 694).

3. **De divina maternitate B. M. V.** Divinam B. M. V. maternitatem S. Epiphanius nedum quoad rem docet, sed etiam vocem *Theotocos* adhibet. Scribit enim: « Hic ipse enim est servator sanctus qui a caelis descendit et in virginis officina nostram salutem facere dignatus est ... qui non immutatus quoad naturam, cum divinitate assumpsit humanitatem ... qui carnem et animam humanam assumpsit atque, licet perfectus apud Patrem, in nobis incarnatus est non in specie, sed in veritate, et perfectum effinxit in se hominem e Maria *Deipara* per Spiritum Sanctum ... » (*Ancoratus*, D. I, 175, PG 43, 157; cfr etiam D. I, 181, PG 43, 168; D. I, 189, PG 43, 177).

¹ *De Protoevangelii habitudine ad Immaculatam Deiparae conceptionem*, Romae, 1904, pp. 184-188.

b) *DE B. M. V. CONSIDERATA IN ORDINE AD HOMINES.*

1. **Cooperatio ad opus redemptionis**, clare patet ex textu supra relato, ubi B. Virgo tamquam nova Eva in opere redemptionis exhibetur. (Cfr etiam *Adv. haer.* l. III, t. 2, haer. 79, PG 42, 727 sq.).

B. Virgini S. Epiphanius sacerdotalem dignitatem denegat (l. c., 726).

2. **Spiritualis maternitas**, pariter, clare a S. Epiphanio docetur, cum B. Virgo « viventium mater » appellatur, eo quod « a Maria Virgine vita ipsa est nobis ipsa producta » (*Adv. haer.*, III, t. 2, haer. 79, PG 42, 727). Verba « Ecce Mater tua », « Ecce filius tuus » (Ioan. 19, 26 sq.) prolata fuerunt a Christo « uti matrem honorandam esse monstraret ». Adiungit tamen: « Vereor ne hoc ipsum quod dicimus fraudi sit aliquibus, ut ad contubernales ac dilectas quas vocant feminas retinendas (quod genus pessimo sibi animi errore machinati sunt) fucum inde aliquem et colorem arcessisse videantur » (*Adv. haer.*, l. c., col. 715).

c) *DE B. M. V. CONSIDERATA IN SEMETIPSA.*

B. Virgo est « animo atque sensu amplissimis honoribus affecta » (*Adv. haer.* III, t. 2, haer. 79, PG 42, 747).

1. **De respicientibus animam Deiparae**. B. Virgo a S. Epiphanio saepe vocatur « sanctissima », « sacrosancta » (PG 42, 699). Omnem labem a B. Virgine excludit « Nam, nisi vere mater eius extitisset, a qua carnem acceperat, quaeque ipsum pepererat, non tantam ei curam adhiberet [Ioanni, e cruce pendens, commendando] ut perpetuam Virginem commendaret; quae et mater non susceptum ex ipsa corpus fuisset, et ob illius honorem atque admirabile corporis sui vas nullam labem admisisset » (*Adv. haer.*, III, t. 2, haer. 78, PG 42, 714-715). Circa Immaculatam Conceptionem, legi possunt ea quae scripsit Jugie in *Dict. de Théol. Cath.*, t. 7, art. *Immaculée Conc.*, coll. 877-879. Videtur S. Epiphanius illam implicate docuisse.

2. **De respicientibus corpus Deiparae.**

a) **ORIGINIS NOBILITAS**. B. Virgo originem duxit ex familia regia David et sacerdotali (*Adv. haer.*, III, t. 2, haer. 78, PG 42, 727 et alibi).

b) **DE MORTE** B. M. V. S. Epiphanius dubitat an B. Virgo revera mortua sit. Forsan mortua non est, quia « in Apocalypsi Ioannis legimus, draconem adversus mulierem properasse, quae marem pepererat: et datas ei esse pennas aquilae, et translata esse in desertum, ne eam draco comprehenderet (Apoc. 12, 13 sqq.). Quod quidem in illa esse potest impletum. Quamquam illud non affirmo penitus; neque aut immortalem perseverasse definitio, aut utrum mortua sit confirmare possum. Quippe Scriptura sacra, mentis humanae captum praetergressa, rem in incerto reliquit, propter vas illud eximium ac praestans, ne quis carnis propriam ullam ei foeditatem ascribat. Sive igitur mortua sit, nescimus, sive consepulta sit ... » (*Adv. Haer.*, III, t. 2, haer. 78, PG 42, 738).

3. De respicientibus animam simul et corpus.

a) PERPETUA VIRGINITAS DEIPARAE. S. Epiphanius plurima circa hoc habet. Invehit contra haereticos « qui sanctam Mariam *semper Virginem*, postquam Salvatorem genuit, cum Iosepho consuetudinem habuisse dicunt, quos Antidicomarianitas appellamus » (PG 42, 699). Et alibi: « Nescio quem audio adversus sanctissimam perpetuamque Virginem Mariam meditari nonnihil, ac contumeliosa quadam opinione illius honorem incessere ... Undenam vero haec improbitas emersit? Unde tanta prorupit audacia? Nonne vel ipsum nomen abunde testificatur? Non tibi, homo pervicacissime, istud ipsum persuadet? *Quis ullo tempore umquam extitit, qui sanctae Mariae nomen appellare auderet, et non rogatus subinde Virginis vocabulum adiiceret?* ... Sic sancta Maria Virgo nuncupatur, nec appellatio ista aliquando commutabitur. Haec enim perpetuo incorrupta permansit ». Et plura perpulchra circa hoc argumentum dicere pergit (*Adv. haer.*, III, t. 2, haer. 78, PG 42, 706-707, 8-9. Cfr etiam haer. 42, schol.). Illi qui ab Evangelio « fratres Domini » appellantur, sunt — iuxta S. Epiphanium — filii Ioseph qui, iam viduus et senex, B. Virginem uxorem duxerat (l. c.). Varias deinde circa hoc obiectiones dissolvit (l. c.).

b) DE ASSUMPTIONE B. M. V. Habetur in scriptis S. Epiphanii sat evidens ad Assumptionem allusio. Scribit enim: « Sive mortua est Virgo sanctissima ac sepulta, summo cum splendore coniuncta mors illius est, et castissimus exitus, ac virginitatis ei corona concessa, sive interfecta, ut indicare Scriptura videtur his verbis: Et ipsius animam pertransibit gladius, gloriam martyres inter ac decus obtinet, et *sacrum illius corpus omni felicitate cumulatum est* per quam mundo lumen illuxit. Potest denique et in vita mansisse. Potest enim Deus quidquid libuerit efficere; nam de illius exitu nihil certo constat » (*Adv. haer.*, III, t. 2, haer. 78, PG 42, 737).

d) DE CULTU B. M. V.

Plura habet S. Epiphanius, praesertim in longa Epistola contra Collyridianos. Narrat « nonnullos in iis quae ad sanctissimam Virginem spectant, eo amentiae progressos, ut pro Deo nobis illam obtrudere vellent, ac de ea veluti mente capti et furiosi loquerentur. Ferunt enim mulierculas quasdam in Arabia, quo e Thracia profectae erant, novum illud dogma commentatas fuisse, adeo ut in Virginis nomen et honorem collyridem sive tortam panis sacrificantes offerant et conventus habeant ... Porro, ultra quam par sit sanctos venerari nefas est, sed illorum venerandus est Dominus. Quamobrem desinant tandem infelicitum ille hominum error. Neque enim Maria Deus est, neque de caelo corpus accepit, sed ab viro de muliere genita, tametsi ex promissione, ut olim Isaacus, singulari Dei sit providentia concessa. Nemo vero in illius nomen sacrificium offerat ... » (*Adv. haer.*, III, t. 2, haer. 78, PG 42, 735).

Et alibi: « Quosnam praeter mulierculas, auctores ac patronos (hoc dogma) habet? Quod genus lubricum et in errorem proclive, ac pusilli admodum et angusti animi esse solet. Per eas itaque diabolus evanuisse illud videtur ... Etenim, mulieres quaedam currum, sive sellam quadratam adornantes, ac linteo desuper extento, solempni tempore, per aliquot dies panem proponunt, et in Mariae nomen offerunt. Tum ad unam omnes illo vescuntur ... Agite ergo, Dei famuli! viriles concipiamus animos, ut muliercularum istarum disturbemus amentiam ... Sanctum erat Mariae corpus, fateor: non tamen Deus illa fuit ... Est enim tota ista narratio sane quam ridicula et anicularum lucubratione digna ... Honoretur sane Maria: Pater vero, Filius et Spiritus Sanctus adorentur; Mariam adorare nemo velit. Non enim mulieri, ac ne viro quidem, sed uni Deo mysterium illud cultusque tribuitur ... Quamvis Maria vel optima fuerit, ac sancta et honore dignissima, non idcirco tamen adoratione prosequenda ... Maria in honore sit Dominus adoretur » (*Adv. haer.*, III, t. 2, naer. 79, PG₂¹42, 742).

Ex dictis patet quomodo S. Epiphanius primus sit qui de cultu B. Virgini tribuendo tam diffuse egerit. Maria — iuxta ipsum — est utique colenda, quia excellentissima creatura, non tamen adoranda.

4. S. IOANNES Chrysostomus (354-307)¹

Antiochiae Syriae natus a. 354 (22 annos post Conc. Nicaenum et 24 ante Conc. Ephes.) ab Arethusa, piissima matre, educatus est. Anno 368 baptizatus est et anno 386 Presbyter ordinatus, Antiochiae per 12 annos, verbum Dei praeclarissime annuntiavit. Anno 397, Ecclesiae Constantinopolitanae, licet invitus, praefectus est. Multa a suis adversariis passus est, et in exilio, Cumanae Ponti, mortuus est a. 407. Multa scripsit (cfr PG 47-64) et inter maximos Ecclesiae Patres et Doctores semper habitus est. Mariologia eius parum evoluta apparet. De B. Virgine agit in homiliis, in Commentariis in Evangelia S. Matthaei, S. Ioannis, et in Isaiam.² Praecipua haec sunt:

¹ Cfr BARDY G., *Dict. de Théol. Cath.*, coll. 674-675; DIEU, *La Mariologie de S. Jean Chrysostome*, in *Mémoires et Rapports du Congrès Marial tenu à Bruxelles 1921*, t. 1, pp. 71-83.

² Homilia quae legitur in Breviario Rom. in festo Annuntiationis et in Communi B. M. V., cui titulus: *Sermo S. Ioannis Chrysostomi apud Metaphrastem*, est dubiae authenticitatis. Cfr MORIN, O. S. B., *Sermo apocryphes du Breviaire*, p. 21; sunt etiam spuria aut saltem dubia sequentia scripta: a) *In Annuntiationem gloriosissimae Dominae nostrae Deiparae* (PG 50 792-795); b) *De occurru D. N. I. Christi deque Deipara et Simeonis oratione* (l. c., 807-812); c) *In S. Virginem et Deiparam Mariam* (PG 59, 707-710); d) *Contra haereticos et in Sanctam Deiparam* (l. c. 710-714) e) *In Annuntiationem SS. Deiparae* (PG 60, 755-760); f) *In Annuntiationem Deiparae et contra Arium impium* (PG 62, 763-769). Est vero certo authentica, iuxta CH. MARTIN, *Un florilège grec d'homélies christologiques des IV^e et V^e siècles sur la Nativité*, in *Le Muséon*, 54 (1941) 32 s. Homilia *In Natale Servatoris* (PG 56, 385-94), eo quod de eius authentia habentur duo antiquissima testimonia, videlicet, *Liber ad Reginas* (PG 76, 1216) S. Cyrilli Alex. et *Florilegium Edessenum* (ed. Rucker, n. 44-45).

a) **Divina maternitas.** Homilia *De legislatore*, in cuius fine invenitur vox *Theotocos*, non est authentica (PG 46, 409). Attamen (contra Valentinum et Marcionem) demonstrat filium Mariae esse verum hominem. Docet parvulum ex Maria natum, esse Deum aeternum, Creatorem et Redemptorem praesertim in homil. IV super Matth. Editores operum S. Ioannis Chrysost. (Savile, Fronton le Duc et Montfaucon) de authenticitate huius homiliae dubitant. Attamen duo loci huius homiliae laudantur a S. Cyrillo in suo Tractatu *De Recta Fide ad Reginas*, qui in Actis Concilii Ephesini insertus invenitur. In locis illis, Chrysostomus dicit B. Virginem non solem (naturalem) sed solem infinitae iustitiae concepisse. Deus enim quidquid vult facere potest. Verbum humanitatem suam nec creavit neque e caelo adduxit, sed eam sumpsit ex Virgine ope Spiritus Sancti (*In Is.*, c. XI, v. 1).

b) **Virginitas Deiparae** (*in Matth.*, hom. IV; *in Matth.* I, 22; *in Is.*, VIII, 14; LIII, 8).

c) **Cooperatio ad opus redemptionis.** Principium *retroversionis-consortii* clare enuntiatur in parallelismo inter Evam et Mariam. « Nam, propter nostram salutem omnia fecit: et per quae diabolus nos expugnavit, per ea ipsa Christus ipsum superavit. Ea ipsa arma accepit, ac per eadem ipsum prostravit: quomodo autem, audi. Virgo, lignum et mors nostrae cladis symbola erant. Etenim virgo erat Eva..., lignum erat arbor ...; mors supplicium de Adamo sumptum ... Iam vide quomodo eadem ipsa nobis victoriae causa sint. Pro Eva Maria, pro ligno scientiae boni et mali, lignum crucis; pro morte Adami, mors Domini » (*In S. Pascha*, PG 52, 767-768).

In *Expos. in Ps.* 44, 7 (PG 55, 193) haec habet: « Virgo nos paradiso expulit, per virginem vitam aeternam invenimus. Per quam condemnati sumus per eam fuimus coronati ».

d) **Sanctitas Deiparae eiusque intercessio.** Chrysostomus videtur sensus nimis *humanos* et vulgares in Virgine ponere. Etenim, relate ad Matth. 12, 45 (« Quae est mater mea etc. ») Iesus — iuxta Chrysostomum — ita respondisset quia seipsos *indiscretos* exhibuerant, illum quaerendo antequam sermoni finem imponeret.

Insuper, in nuptiis Canae (Io. 2, 3) cum Maria dixit Iesu: « Vinum non habent », illa voluisset — iuxta Chrysostomum — sibi devincere, per beneficium, invitatos, et ipsis demonstrare suum in Iesum influxum. « Et forte humanum quidpiam passa est »; et ob hanc rationem Christus respondisset: « Nondum venit hora mea ». Ita RICHARD FREDERICK LITTLEDALE, in *Plain Reasons against Joining the Church of Rome*, London, p. 68.

Attamen relate ad primum (Matth. 12, 45) ipsemet Chrysostomus haec animadvertit: « Neque enim dixit, non est mater mea, neque sententiam tulit vel condemnavit: sed in arbitrio ipsorum reliquit ut id vellent, loquens cum mansuetudine sibi congruenti: 50. " Qui enim facit, inquit, voluntatem Patris mei, ille meus frater et soror et mater est ". Quare si sic etiam esse volunt, hanc incant

viam. Et cum clamavit mulier " Beatus venter qui te portavit " non dixit: " Non est mater mea "; sed: " Si vult esse beata, voluntatem patris mei faciat. Nam, qui talis est, et frater et soror et mater est... Id enim longe magis matrem facit, quam partus " » (in Matth. 44, al. 45, n. 2).

Relate vero ad secundum (Io. 2, 3), Chrysostomus scribit: « Increpavit in-tempestive petentem, neque tamen postulatum negavit; tum ut imbecillitati mederetur, tum ut suam erga matrem benevolentiam exhiberet. Sic et hoc loco inanis gloriae morbum sanavit, et debitum Matri honorem praestitit, licet illa inopportune peteret » (in Matth., 44, al. 45, n. 2).

Cum S. Thoma igitur dicere cogimur: « In verbis illis, Chrysostomus excessit » (*Sum. Theol.*, III, q. XXXII, a. 4, ad 3). Attamen, non possumus non subscribere etiam verbis P. DIEU: « Nous pouvons donc faire ici une double constatation bien consolante: c'est que, d'après Chrysostome, Marie se montre dans l'Évangile décidée à user du pouvoir que lui donne sur Jésus sa qualité de mère, et que d'autre part Notre-Seigneur accorde à ses sollicitations des concessions qu'il n'aurait peut-être pas d'abord été disposé à accorder ».

« Dans cette interprétation de Matth. 12, 46, et Jean 11, 3, nous voyons donc se dessiner les premiers linéaments de la croyance, aujourd'hui générale dans l'Église, à la Toute-Puissance de la Médiation de Marie en notre faveur » (l. c., p. 82). « Celle-ci connaît sa puissance sur le Cœur de son Fils et elle en use au risque de paraître indiscreète à Jésus, qui par bienveillance pour sa mère, afin de lui faire honneur, lui concède des faveurs qu'il n'entraît pas d'abord dans ses vues d'accorder » (l. c., p. 83).

5. ATTICUS Patr. Constant. (406-425)

Nuper cl. Prof. Lebon¹ publici iuris fecit versionem syriacam cuiusdam homiliae marianae, quae a codice manuscripto saec. IX Attico, Patr. Constant., tribuitur. Prima media pars huius homiliae, identica est homiliae V, quae S. Proclo a codicibus graecis et a S. Ioanne Damasceno tribuitur.

Attamen, paternitas Attici, relate ad hanc homiliam, praeterquam a codice syriaco saec. IX, testatur a S. Cyrillo Alexandrino qui homiliam illam meminit et illam Attico attribuit duobus in locis, videlicet: in *De recta fide ad Reginas* (PG 74, 1213 A), et in *Apologeticus pro XII capitibus contra Orientales* (PG 76, 341 B). Laudatur etiam bis a Severo Antiocheno (*Liber contra impium grammaticum*, ed. Lebon, Corpus scriptor. Orient., ser. IV, t. VI, Lovanii 1933, p. 238).

¹ *Discours d'Atticus de Constantinople « sur la sainte Mère de Dieu », in Le Muséon, 46 (1933) 167-202. Haec eadem versio syriaca publici iuris facta est a M. BRIÈRE, Une homélie inédite d'Atticus, Patriarche de Constantinople (406-425), in Rev. d. l'Or. Chr., ser. 3, t. 9 (1933-34) 160-187.*

Huic tamen paternitati ob stare videtur modesta eloquentia Attici (prout refert Sozomenus, H. E. VIII, 27, PG 67, 1589) quae cum eloquentia huius homiliae componi non posse videtur.

Mediam veluti viam, relate ad paternitatem huius homiliae, sequitur P. Ortiz de Urbina (l. c., p. 64) qui haec scribit: « Forse si potrebbe pensare ad un'ipotesi intermedia: noi avremmo nella versione siriana non una ma *due* omelie, la prima di Proclo e la seconda di Attico. Quest'ipotesi si accorderebbe bene colla testimonianza di Cirillo e del Damasceno. Del resto non sarebbe troppo azzardato riconoscere una specie di " cucitura " verso la metà (ed. LEBON, p. 190, 15-30) dove l'illazione delle idee non è tanto scorrevole. Rimarrebbe però in contrasto, oltre che la notizia del codice, la somiglianza stilistica di ambo le parti e i parallelismi fra la seconda parte e le altre omelie di Proclo ».

Relate vero ad valorem huius homiliae idem Pater Ortiz de Urbina haec scribit: « Checchè sia di ciò, l'Omelia in onore della " Theotokos " è uno dei più bei documenti mariani. La verginità perpetua di Maria e la divina maternità della " Theotokos " — la si chiama così — vengono esaltate con entusiasmo. Ma l'oratore insiste più ancora sulla dignità, diremmo così, cosmica di Maria, e sulla sua funzione soteriologica » (l. c., p. 64).

6. ACACIUS Melitinensis († 438 s.)

Ephesi, et etiam postea, scriptis et verbis, contra Nestorium dimicavit. Remanet de eo homilia Ephesi habita (PG 77, 1468-72) in qua vindicatur unitas personae Verbi Incarnati nec non dignitas Deiparae Virginis.

7. S. CYRILLUS Ep. Alexandrinus (?-444)¹

De nativitate et adolescentia S. Cyrilli nihil scimus. Anno 412, Theophilo avunculo, in Alexandrina sede successit. Anno 431 percelebri Concilio Ephesino praefuit. Obiit a. 444. Inter maximos Ecclesiae Patres et Theologos recensetur, et ob suam patristicam scientiam « Sigillum Patrum » vocatus est (*Anastas. Sin.*, Hod. 7).

De B. Virgine agit praesertim in op. *Liber adversus nolentes confiteri sanctam Virginem esse Deiparam* (PG 76, coll. 256-292), in Epistola I, *Ad Monachos Aegypti* (PG 77, 9-40), in Libro *De recta fide ad Principissas* (PG 76, 1201-1336), in op. *Adversus Nestorii blasphemias* (PG 76, 9-248) (PG 77, 991-96), in Homil. IV, « Sermo in laudem Deiparae » (PG 77, 991-6) quae a Bardenhewer habetur « inter omnes sermones marianos antiquitatis omnium celeberrimus » (*Geschichte*

¹ Cfr EBERLE, *Die Mariologie des hl. Cyrillus v. Alexandrien*, Fribourg, 1921; MAHE J., in *Dict. de Théol. Cath.*, coll. 2515-2516; NILUS A. S. B., O. C. D., *De Maternitate Divina B. Mariae semper Virginis Nestorii Constantinopolitani et Cyrilli Alexandrini sententia*, Romae, 1944.

der altkirchlichen Literatur IV B., p. 64, Freiburg i. Br., 1924). « Encomium in S. Mariam Deiparam » (II Hom.) PG 77, 1029-1040 non est nisi decoctio satis imperfecta quartae homiliae supra citatae et auctori ignoto sec. VII probabiliter tribuenda (KEUPPENS, o. c., p. 186).

a) **De maternitate divina.** S. Cyrillus fuit — inter omnes — strenuus defensor maternitatis divinae contra Nestorium. Est « Doctor Maternitatis divinae ». B. Virgo est vere Mater Dei, *Theotocos* (Ep. I, *ad Monach.*, PG 76, 13); non quia initium dedit divinitati (PG, 77, 21), sed quia illa vere genuit corpus cui Verbum est substantialiter unitum (PG 77, 48; t. 75, col. 1220). Haec est traditionalis doctrina, quam omnes Patres et Episcopi orthodoxi sive Orientis sive Occidentis docuerunt (Ep. XI, *ad Caelest.*, PG 72, 84). Si Concilium Nicaenum vocem *Theotocos* non adhibuit, hoc fuit quia tunc minime necessarium erat; attamen, Concilium Nicaenum in suo symbolo, terminis idem significantibus Divinam maternitatem proclamavit (PG 77, 64). Quamvis in S. Scriptura non inveniatur vox *Theotocos*, inveniuntur tamen verba *Mater Domini* quae idem significant (PG 76, 284). Negare B. Virgini hunc titulum, idem est ac maternitatem divinam negare et mysterium Incarnationis destruere (ibid., 24). Si B. Virgo non est *Theotocos*, nec erit *Christotocos* aut *Theodocos*, sicut volebat Nestorius (PG 77, 265; 77, 68). Inutile est illam appellare *Christotocos* et *antropotocos*, eo quod tituli isti non sunt illi proprii, cum aliis etiam matribus conveniant (PG 77, 20 276) cfr MAHÉ, l. c.

b) **De virginitate perpetua Deiparae.** Deipara, iuxta S. Cyrillum, modo virginali, miraculose, sub influxu Spiritus S. concepit (*In Ioan.*, VIII, 39, PG 73, 876). Ioseph fuit tantummodo pater putativus et custos Pueri Iesu (PG 76, 900) — Deipara Virgo remansit etiam post partum (ibid., 260, 321). Ipsa non indigebat purificatione, utpote a lege exempta (PG 68, 1005). Deipara est « corona virginitatis » (PG 77, 992). Difficultates desumptae ex voce « primogenitus » et ex voce « fratres » a S. Cyrillo iuxta formam classicam solvuntur (*In Luc.*, PG 72, 485, 488; *in Ioan.*, PG 73, 636).

c) **De sanctitate Deiparae.** B. Virgo, iuxta S. Cyrillum, est tota pura, tota sancta (PG 76, 17). Immunitatem a culpa originali exprimere videtur his verbis: « Quis umquam audivit architectum, qui sibi domum aedificavit, eius occupationem et possessionem primo suo inimico cessione? » (*In Conc. Ephes.*, n. 6). Christus natus est ex radice sancta (PG 76, 17).

Attamen, S. Cyrillus admittit B. Virginem, in monte Calvariae, iuxta Simeonis prophetiam, de divinitate Filii sui dubiis agitatum fuisse (PG 75, 661-665; 77, 1049). « Cette opinion, que Cyrille émet en deux endroits très authentiques de ses écrits — scribit Mahé —, nous paraît aujourd'hui fort choquante; mais il faut se rappeler qu'elle ne lui est pas particulière: à la suite d'Origène, Homil. XVII, in Luc., PG 13, 1845, d'autres écrivains chrétiens avaient cru à ces doutes de la sainte Vierge au pied de la croix, cfr Basile, Epist., l. II, epist. XXIX, PG

32, 965; Amphiloque d'Iconium, PG 39, 57; pseudo-Chrysostome, In Ps. XIII, PG 55, 555; il ne voyaient pas quelle autre interprétation satisfaisant on eût pu donner de la parole du vieillard Siméon » (l. c., 2516). Animadverti tamen potest et debet quod aliud omnino est anxiis agitari et aliud dubio *adhaerere*. Alibi tamen asserit quod B. Virgo, etiam, probabiliter, scandalum passa est ob inexpectatam Filii sui passionem, et quod a Filii morte perturbata remansit praesertim ob iram Iudaeorum (*In Luc.*, PG 72, 505; *In Ioan.*, PG 74, 661).

d) **De mediatione Deiparae.** Quamvis non diserte exprimat directum et actua-lem interventum Virginis in dispensatione omnium gratiarum, tamen, hunc sub-audire videtur. Sic, e. g., in homil. XI, post longissimam salutationum seriem, haec profert: « Salve, Maria Deipara, per quam salvatur omnis spiritus fidelis » (PG 77, 1034). In homil. IV, diversissimas gratias enumerat quas B. Virgini ad-scribit: « Salve a nobis, Deipara Maria, venerandus totius orbis thesaurus ..., per quam pretiosa crux celebratur et in universo orbe adoratur; per quam coe-lum exsultat, per quam Angeli et Archangeli laetantur, per quam daemones fu-gantur, per quam tentator diabolus coelo decidit, per quam prolapsa creatura in coelum assumitur; *per quam universa creatura*, idolorum vesania detenta, *ad ve-ritatis agnitionem pervenit*; per quam sanctum baptisma obtingit credentibus, per quam exsultationis oleum, per quam toto terrarum orbe fundatae sunt eccle-siae, per quam gentes adducuntur ad poenitentiam ... per quam apostoli salutem gentibus praedicarunt ... per quam reges regnant ... » (Hom. IV, PG 77, 991). Miraculum Canae potestatem Virginis super filium suum comprobatur, eo quod ipsa, sua petitione obtinuit id quod Christus ab initio facere volebat (*In Ioan.*, VII, 30, PG 73, 225, 729).

8. S. PROCLUS Constantinopolitanus (c. 390, † 446)

Natus est probabiliter Constantinopoli circa a. 390. Fuit secretarius S. Joannis Chrysostomi, ac deinde in sede Constantinopolitana successor. Mortuus est probabiliter a. 446. Concilium Calcedonense titulum *Magnus* ei decrevit. (MANSI, t. VII, col. 464).

Circa authentiam homiliarum S. Procli nostris diebus scripserunt Fr. X. Bauer¹ et praesertim Benedictus Marx.² Bauer vindicat Proclo, ratione manu-scriptorum, homiliam « In Annuntiationem » (PG 50,* 791-6) quae inter spuria S. Ioannis Chrysostomi invenitur. Marx vero, criteriis internis solummodo in-nixus, vindicare conatus est Proclo sequentes undecim homilias:

1) *inter spurias S. Athanasii*:

n. 47: « In Christi nativitatem » (PG 28, 960-72);

¹ *Proklos v. Konstantinopel, ein Beitrag zur Kirchen- und Dogmengeschichte des 5. Jahrhunderts*, München, 1919.

² *Procliana*, Münster, 1940.

- n. 85: « In Nativitatem Praecursoris, in Elisabeth et in Deiparam » (l. c., 905-13);
 n. 86: « In censum sive descriptionem S. Mariae » (l. c. 944-57);
 n. 87: « In occursum Domini Dei ac Salvatoris N. I. C. (l. c., 973-1000);
 2) *inter spurias S. I. Chrysostomi*:
 n. 27: « In Annuntiationem » (PG 50, 791-6);
 n. 31: « De occurso Domini deque Deipara » (l. c., 807-11);
 n. 46: « In natale Servatoris » (l. c., 56, 385-94);
 n. 61: « Contra haereticos et in S. Deiparam » (PG 59, 709-14);
 n. 72: « In Annuntiationem » (PG 60, 855-60);
 n. 18: « In Christi natalem diem » (PG 61, 737-8);
 3) *sub nomine Basilii Seleuciensis*:
 n. 89: « In Annuntiationem » (PG 85, 425-52).

At methodus a Marx adhibita parum secuta a quibusdam criticis habita est.¹

Videntur igitur Proclo tribuendae homiliae sequentes: 1) Homil. II *De Incarnatione* (PG 65, 679 ss) quae continetur in cod. Vatic. gr. 1633 (saec. x-xi) et cuius duo textus laudantur in *Doctrina Patrum de Incarnat. Verbi* edit. FR. DIEKAMP, Münster, 1907, pp. 245 ss.; 2) Homil. IV *In natalem diem D. N. I. C.* (PG 65, 708-16) quae invenitur in cod. Vatic. gr. 679 (saec. xi); 3) prima pars homiliae V in *S. Theotocon* (PG 65, 716-21). In favorem Procli, pro hac homilia, militat testimonium S. Ioannis Damasceni (Ep. de hymno trisagio, 18, PG 95, 49 C) et Cod. Vatic. gr. 679 (sec. xi); 4) Homilia *De dogmate Incarnationis* (PG 65, 841-4) quae invenitur in cod. Vatic. syr. 369 (saec. viii), et laudatur in op. *Doctrina Patrum de Incarnatione Verbi* (ed. DIEKAMP, p. 48, n. VI) nec non apud Leontium Bizantinum (PG 86, 1309 C), apud Anastasium Sinaitam (PG 89, 117 B et 160 A) et Ephraem Antioch. (PG 103, 996 A); 5) Homilia *De Nativitate Domini* (PG 65, 843-6) quae invenitur in Cod. Vat. syr. 368 (saec. viii-ix) et in cod. Orient. Brit. 8606 (anni 723). Cfr Moss C., in *Le Muséon* 42 (1929) 61-73. Laudatur etiam in op. *Doctrina Patrum de Incarnatione Verbi* (ed. DIEKAMP, p. 49, n. VI); 6) *Laudatio in SS. Dei Genitricem Mariam* (PG 65, 680-92); 7) *De Incarnatione D. N. I. C.* (l. c., pp. 704-8).

Iuxta Ehrhard (*Ueberlieferung und Bestand der hagiographischen und homilischen Literatur von Anfängen bis zum Ende des 16. Jahrhunderts* (Texte u. Untersuchungen, 50 [2 BB], Leipzig, 1936-9, III, p. 163) pertinet ad Proclum homilia inedita *In S. Theotokos*. Videtur tamen spuria Homilia VI *Laudatio in S. Deiparam* (PG 65, 721-57) a B. Marx S. Proclo tributa. Nuper enim Georgius La Piana (*Le rappresentazioni sacre nella letteratura bizantina dalle origini al sec. IX* rapporti al teatro d'Occidente, Grottaferrata, 1917), argumentis sive externis

¹ Cfr I. ORTIZ DE URBINA, in *Orient. Christ. Period.* 7 (1941) 303-5; LEBON J., in *Rev. d'hist. ecclésiast.* 37 (1941) 298 s.

sive internis, valide demonstravit homiliam illam pluribus fragmentis saec. VI et VII constare, a compilatore quodam posteriore male connexa.

a) De prophetiis et symbolis. Praeter Protoevangelium (Gen. 3, 15) in cuius muliere videt litteraliter significatam B. Virginem (*De Inc. Dom.*, or. II, n. 2, PG 65, 695;), et praeter prophetiam Isaiae (7, 14) de Emmanuele (PG 65, 722; S. Proclus apertam prophetiam de Virgine videt in porta clausa de qua loquitur Ezechiel (44, 1, 2): « En aperte declaratam sanctam Dei genitricem Mariam » (l. c., 691). In pluribus vero *symbolis* B. Virginem significatam invenit, e. g.: *a) aureum candelabrum* « septem ellychniorum lucernas portans » (PG 65, 754); *b) arca* « intrinsecus et extrinsecus deaurata, corpore scilicet et spiritu sanctificata, in qua erat thuribulum aureum, et urna aurea habens manna » (l. c., 755); *c) tomus* Novi Testamenti (Is. 8, 1) « per quam festine spoliatum est imperium daemonum, citoque dirempta humana captivitas » (l. c.); *d) ager* paternae benedictionis (Gen. 22, 27) « in quo Dominicae dispensationis thesaurus repositus fuit » (l. c.); *e) navis* regia (3 Reg. 10, 22) « quae de Tarsis divitias portat; quae, inquam, coelestis Regis Ierusalem ex gentilium regione gentium conversionem afferat » (l. c.); *f) pulchra Canticorum sponsa* (*Cant.* I, 3) « quae veterem exuit tunicam, lavitque legales pedes, ac Sponsum immortalem in suo ipsius thalamo reverenter suscepit » (l. c.); *g) fiscella* (*Exod.* II, 3) « intrinsecus ac extrinsecus bitumine illita, nimirum prudentia ac pietate exornata, in qua spiritalis Moyses e mystico salvatur Pharaone: cuius filia, gentilis nempe Ecclesia, in virgineis ulnis nutriens, matri ipsi lactanti aeternae vitae mercedem daturam promittit » (l. c.); *h) « incontaminatum vellus* (Iudic., 6, 37) in mundi area positum, in quam salutis pluvia e coelo descendens, terram universam ab immensa malorum illuvie siccavit; rursumque vellus ipsum, a subsidente affectionum humore exsiccans, copioso bonorum munere terram replevit » (l. c.) etc....

b) Divina maternitas. S. Proclus primus fuit qui contra Nestorium, anno 429, pro titulo *Theotocos* strenue decertavit. Dignitatem vero Deiparae summis laudibus extollit, e. g. in Or. 5 *Laud. S. V. Deip.* (PG 65, 717): « Verum nihil eiusmodi est, ut cum Dei genitrice Maria comparari possit. Ipsa enim, quem illi (prophetae) in aenigmate viderunt, incarnatum in utero portavit, nihilque huic Dei dispensationi obstitit... Nihil itaque in mundo eiusmodi est, qualis Dei genitrix Maria. Cunctas res creatas, o homo, cogitatione percurrere, ac perspice num quidquam Sanctae Virginis ac Dei genitricis Mariae aequale sit, aut ipsi fortasse maius. Terram undique lustra, circumspicito mare, sedulo perscrutare aërem, coelos mente excute, invisibiles omnes virtutes animo expende, ac vide, num aliud eiusmodi miraculum in universis creatis invenire sit... Recense itaque si qua nova ac mirabilia, Virginisque victoriam admirare, quod nimirum quem omnis creatura cum timore atque tremore laudibus celebrat, eum sola haec inexplicabili ratione thalamo exceptit ». In Or. I. *De Laud. S. M.* (PL 65, 682): « Hic nos quippe modo sancta Dei Genitrix ac Virgo Maria in unum coegit: impollu-

tus ille virginitatis thesaurus, spiritalis secundi Adami paradisu, unionis naturarum officina, salutaris commercii nundinae, thalamus in quo sibi Verbum carnem desponsabit, animatus naturae rubus, quem divini partus ignis non combusit; vere levis illa nubes quae salutem super Cherubim, corporatum portavit, mundissimus vellus, imbris coelestis, quo Pastor ovem induit. Maria, inquam, ancilla et mater, virgo, et coelum, Dei ad homines unicus pons, horrendum incarnationis tectorium iugum, in quo ineffabili quadam ratione illius tunica confecta est: cuius quidem textor exstitit Spiritus Sanctus, nectrix, virtus obumbrans ex alto, lana, antiquum Adami vellus, trama impolluta caro ex virgine, textorius radius, immensa gestantis gratia, artifex tandem, Verbum per auditum illabens ».

c) **Virginitas Deiparae.** *Perpetuam* virginitatem Deiparae egregie vindicat: « Nisi enim mater Virgo perseveraverit, utique purus homo est qui natus est, nec est partus mirabilis. At si etiam post partum virgo permansit, quomodo non etiam erit Deus, ac mysterium quale nempe effari potest. Nulla is corruptione natus est, qui nullo prohibente clausis ianuis ingressus est » (Orat. 1, *Laud. in SS. Dei Genitricem*, PG 65, 683). Et in III Oratione: « Multi sunt — inquit — qui non solum in caelum os suum ponant, ut David ait, sed et linguam ferant super terram (Psal. 72, 9), Virginisque integritatem cominus impugnent. Ut ne igitur cum voluptuosis terrenisque hominibus nos quoque dilabamur, audientes Evangelistam in haec verba loquentem: Antequam ipsi convenirent ... (Matth. 1, 18; 25); ne quando ex illis verbis existimaverimus, amisisse quidem beatam Virginem, post divinum partum, virginitatem; Iosephum vero nuptiale habuisse consortium. Obsecro itaque spirituales viros, ut spiritualiter spiritualia suscipiant, neve non percipientes altum sacrae Scripturae sensum, in affectum carnalem praecipites ferantur » (l. c., 731).

Iuxta S. Proclum Christus natus est seu ex utero prodiit, sicut conceptus est i. e. per auditum (PG 65, 692).¹

d) **Immaculata conceptio.** S. Proclus interventum Dei specialem admittit in formatione seu in creatione Mariae quae Mater Dei esse debebat, ad hoc ut esset nova creatura, similis Aadae ante peccatum. Talis enim esse videtur sensus verborum: « nullam (Deus) contraxit labem vulvae hospitio, quam nullo ipse condiderat (*anaplätton*) suo dedecore » (Homil. V, *De laudibus S. Mariae*, PG 65, 717: apud BOURASSÉ, l. c., col. 941). Verbum *anaplätton* sensum *creandi* habet etiam in aliis locis eiusdem Sancti (e. g. l. c., col. 681, 684). Clarius adhuc hoc Virginis privilegium in Tertia Oratione exprimitur, quae tamen authentica non videtur. Asserit enim quod S. Ioseph « non meminerat potuisse eam effici Dei templum, quae *ex mundo* erat formata luto, habebat eum, ex virginali rursus paradiso intemeratis Domini manibus plasmari secundum Adam ... Quid ergo? — dicunt daemones inter se — Ab struendis insidiis destiterimus, quod ea

¹ Idem dixerat antea S. Ephraem, LAMY, IV, 568; cfr. etiam *Diatessaron*, ed. AUCHER-MOESINGER, 49.

magna vigilique custodia servetur? ... Iterumne cum secunda Eva nobis instat certamen? Instruendane acies adversus impollutam mulierem? Rursumque cogimur adorare secundum Adam? ... At certe mulier illa terreni, oculorum spectaculo capta, levi manu prostrata iacuit: haec autem in manibus caelestis suscepta, ceu forti vallo munita consistit ... Ipsa, novae creaturae caelestis *globus*, in qua Sol iustitiae numquam occidens, omnem ab anima peccatorum noctem fugavit » (*De Laud. S. Mariae*, VI, PG 65, 733, 752, 756, 757).

« L'idée maîtresse qui se dégage de tous ces textes — animadvertit P. Jugie — est que Marie a été soustraite à cette corruption, *φθορά*, qui accompagne d'après Proclus, toute naissance humaine et qui est une conséquence du péché d'Adam. Par une intervention spéciale de Dieu, Marie a reçu une nature immaculée, sanctifiée, ne tombant pas sous la malédiction originelle et faisant d'elle une créature générée, renouvelée, façonnée selon le modèle primitif. Les expressions: " formée d'un limon pur ", " femme incorruptible ", " sanctuaire sacré de l'impeccabilité ", " temple sanctifié de Dieu ", " sanctifiée dans le corps et dans l'esprit ", " champ de la bénédiction paternelle ", " épouse toute belle dépouillée de la vieille tunique ", " paradis exempt de corruption ", " globe céleste de la nouvelle création ", ne signifient pas autre chose.

« D'après nous, Proclus a enseigné *explicitement* la doctrine de l'immaculée conception » (*Dict. de Théol. cathol.*, t. 7, col. 909).

e) **Mediatio B. M. V. B.** Virgo, iuxta S. Proclum est « Dei ad homines unicus pons » (*Homil. in Deip.*, PG 65, 682). Cooperatio AD REDEMPTIONEM: « Natus porro ex muliere est, Deus non nudus, at nec homo purus; natusque eam quae olim peccati porta fuerat, *salutis ianuam effecit*. Nam, ubi serpens per inobedientiam ingressus virum effuderat, ibi Verbum per obedientiam ingressum, vivum sibi exaedificavit templum » (l. c.).

Et alibi: « Accurrant matres eo quod Virgo mater, inobedientiae arborem vitae arbore emendavit. Concurrant filiae, quod inobedientiae maternae (i. e. Evae) iniuriam, filiae (i. e. Mariae) obedientia vindicavit » (Or. *In natalem diem Domini*, PG 65, 711-712).

« Haec oliva fructifera plantata in domo Domini (Psal. 41, 10), ex qua Spiritus S. Dominici corporis ramum accipiens, tempestati iactato humano generi detulit, fauste de caelo annuntians pacem » (l. c., 755). « Sola Evae moerori medelam attulisti, sola ingemiscentis absterseris lacrymas; sola redemptionis mundi pretium portaveris » (PG 65, 719).

9. SEVERIANUS Ep. Gabalitanus († initio saec. v)¹

Ex recentioribus inquisitionibus a Prof. Marx peractis (cfr *Severiana unter den Spuria Chrysostomi bei Montfaucon-Migne*, in *Orientalia Christiana Periodica*, 5 [1939], 281-367), Severiano adscribendae sunt duodecim homiliae sub

¹ Cfr. BARDY, in *Dict. de Théol. Cath.*, art. *Severien*.

nomine S. Ioannis Chrysostomi hucusque evulgatae. In duobus ex istis, textus quidam mariologici sat magni momenti inveniuntur (cfr MARX, l. c., pp. 361-364).

B. Virgo, in homilia a. 401 recitata, appellatur *κυριοτόκος* (Mater Domini). Attamen, in homilia anni 402 Severianus utitur etiam voce *Theotòkos*. *Virginitatem* sive *ante partum* sive *post partum* admittit. Circa *cooperationem B. M. V. redemptioni*, Severianus ideis a scriptoribus antiquioribus expressis adhaeret. B. Virgo « *Mater Redemptionis* » appellatur, et asserit quod Kyriotòkos stirpem suam iustificavit et dolorem abstulit (PG 56, 498).

Admittit tamen, Severianus, primus omnium, B. Virginem usque ad diem annuntiationis maledictioni seu peccato originali subiectam fuisse a quo tunc tantum liberata fuisset (PG 56, 497).

10. THEODOTUS Ancyrensis († ante a. 446)

Fuit Episcopus Ancyrensis Galatiae; antea erat amicus Nestorii, sed Ephesi (a. 431) fuit eius adversarius. Sex habet homilias marianas,¹ quarum ultima (in PG 77, 1418-1432) momentum magnum habet pro Mariologia, praesertim relate ad doctrinam Maternitatis divinae, Mediationis et Immaculatae Conceptionis. Originale graecum huius homiliae invenitur in fundo graeco Bibl. Nat. Parisiensis, cod. 1171 (saec. X), fol. 96 vol. 117.

Notatu digni sunt textus sequentes: « Pro ea quae ad mortem ministra extiterat virgo Eva, Deo gratissima ac Dei plena gratia Virgo in vitae obsequium eligitur: virgo muliebri comprehensa sexu, at muliebris exors nequitiae; virgo innocens, sine macula, omni culpa vacans, intemerata, impolluta, sancta animo et corpore, sicut lilium inter medias spinas germinans » (PG 77, 1427).

Et postea: « Propter te enim cessaverunt Evae tristitia; per te perierunt mala; per te abscessit error; per te maledictio abolita; Eva per te redempta » (ibid, 1428).

« Inter virgines mater, interque matres virgo; harum illarumque figura, atque reipsa supergressa » (ibid., 1428).

11. CYRILLONAS Syrus (saec. IV-V)²

Fuit poeta Syrus et scripsit circa finem saec. IV et initium saec. V. In uno ex eius sex hymnis perpulchre exposuit anthitesim inter Evam et Mariam, et doctrinam de *Mediatione* B. M. V. « Eva cadde allorchè il cattivo consiglio, che la fece

¹ Sunt: 1. « Homilia Ephesi contra Nestorium habita, in die S. Io. Evangelistae » (PG 77 1349-60);

2. « Homilia in nativatem Salvatoris in Synodo lecta » (l. c., 1369-85);

3. « Homilia in die nativitatis Salvatoris N. I. C. habita, lecta et ipsa in eadem Synodo, c., 1349-69);

4. « In S. Deiparam et in Simeonem » (PG 1389-412);

5. « In D. N. I. C. diem natalem » (PG 1411-8);

6. « In S. Mariam Dei genitricem et in Sanctam Christi nativatem » (PG 77, 1418-32).

² Cfr ORTIZ DE URBINA, S. I., *La Mariologia nei Padri Siriacy*, in *Orientalia Christiana Pe-*

straniera (= del paradiso) trovò accoglienza presso di essa. Ma quando apparve la santa Maria, essa restituì il primitivo splendore di quella (= di Eva). Il serpente mischiò di nascosto il peccato col sangue della morte e porse il miscuglio ad Eva: ma affinché essa non si ritraesse dinanzi alla bevanda, fece sì che si imbevesse nella colpa del peccato sotto l'apparenza di amicizia. Il nostro Signore mischiò il vino col suo sangue, lo (il vino) mise con la medicina della vita e lo infuse: la innocente — id est Maria, ex contextu — lo gustò, scese e superò il sale mortale della morte. Nel paradiso si affligliò il peccato a Eva e la cacciò dal giardino dopo che essa soccombette. Perché essa prestò facile orecchio al serpente, fu espulsa da quel giardino. Il serpente senza piedi paralizzò il passo di Eva. Ma ecco che Maria servì di piede alla sua madre (Eva). La più giovane portò quella più anziana, affinché questa aspirasse la vita nella sua primitiva dimora. Eva invecchiò e si paralizzò allorchè Maria la generò e divenne di nuovo giovane; poichè la nascita della sua figlia fu quella che riparò la colpa della sua nonna. Eva aveva nascosto nella nostra massa il lievito della morte e del dolore: ma ecco che apparve Maria e lo cacciò via, affinché non si corrompesse tutta la creazione. Dio nascose le sue onde nella vergine, la vita scaturì dalla gloriosa (= vergine); le sue correnti salirono su sopra la montagna ed elevarono gli abissi e le valli di esse » (ed. G. BICKELL, *Zeitschr. d. Drutschen Morgenl. Ges.*, 27 (1873), 591-92).

12. BASILIUS Ep. Seleuciensis († post 458)

Anno 449, in celebri « latrocinio Ephesino », Monophysitismo adhaesit; at anno 451, in Chalcedonensi Synodo, ad veram fidem reversus est.

Reliquit pulcherrimam et perlongam Homiliam in *SS. Deiparae Annuntiationem* (PG 85, 426-452). Codices enim manuscripti sat numerosi illam Basilio concorditer tribuunt. Eius origo Basiliiana vindicata est a Bardenhewer (*Geschichte der altkirchlichen Literatur*, IV B, p. 302) contra dubia quaedam mota a Tillemont *Mémoires* ... XV, Paris, 1711, p. 344) et a Fr. Feuner (*De Basilio Seleuciensi quaestiones selectae*, Marpurgi Catt., 1912, p. 6). Impugnata tamen fuit a B. Marx (*Procliana*, pp. 84-9; et in art. *Der homiletische Nachlass des Basileios v. Seleukia*, in *Orient. Christ. Period.*, 7 [1941], 331, 333, 366), cui adnaesit Fr. DIEKAMP (*Theologische revue*, 41 [1942], 63). Iuxta hos duos ultimos auctores (Marx et Diekamp) homilia haec pertineret, procul dubio, ad Proclum. Quidquid sit, est certe homilia saeculi v.

a) **De maternitate divina.** Candide fatetur maximam quam experitur difficultatem ad Deiparam pro merito laudandam. « Qui sanctissimam Virginem Dei Matrem collaudaturus est, plurimam laudum materiam inveniet » (PG 85, 426).

riodica, t. I (1935), pp. 110-111. Ibi etiam sermo est de aliis duobus scriptoribus Syriacis, i. e., de *Baleo* (cuius tamen hymni ad B. Virginem sunt incertae authenticitae) et de *Rabbula*, qui Concilio Ephesino interfuit contra S. Cyrillum Alex. (pp. 111-113).

Causa sui tremoris exposita, et prophetiis quibusdam in medium productis, ita prosequitur: « Quae igitur lingua tam vocalis, quae pro eius dignitate hymnos personet? Siquidem per eam bonis magnis affecti sumus. Quo laudum flore de-
ditam illi plectemus coronam? Ex ipsa enim flos Iesse germinavit, genusque no-
strum gloria et honore coronavit. Quae digna satis in eam munere conferemus,
cum infra eius dignitatem sint mundana omnia? Nam, si de aliis Sanctis Paulus
asserit: “ *Quibus dignus non erat mundus* ”: quid dicemus de Deipara, quae tanto
super omnes martyres resplendit, quanto stellas praefulgurat sol? » (PG 85,
442). Et addit: « Ut enim non in facili est Deum nosse, aut eloqui, imo ex eorum
munere, quae fieri minime possunt: sic magnum Deiparae sacramentum omni
ratione celsius est oratione » (l. c., 430).

Incarnatio Verbi in Virgine « fuit mysterium, quod in hodiernum usque diem
mysterium permanet, nec umquam mysterium non erit. Tunc vidit creatura,
quod ante viderat numquam, filium genitricis esse patrem, infantem aetate ma-
trem superare. Nec enim fuit nudus homo, qui genitus; sed Deus Verbum ex
Virgine incarnatum, carere eadem mecum natura sibi circumjecta, ut simili simile
salvaret. Nam, si alterius naturae, quam ego, corpus habuisset, si meae carnis
particeps non fuisset, mihi vitam non esset largitus: nisi meam vindicasset natu-
ram, ego regno Dei opulentus non essem ... Videbis quantum per ipsam peractum
sit mysterium, quod omnem linguam, cogitationemque supervadit » (l. c., 446).
Perpulchre denique exemplo illustrat quomodo Verbum, cum incaepit esse in
sinu Virginis, non desinit esse in sinu Patris: « Equidem Gabriel non sine caeli
desertione venit ad Virginem Dei matrem: at Dei Verbum omnia complectens,
cum in ipsa incarnatur, caelesti adoratione non caret. Ut enim verbum chartae
inscriptum, in charta totum inest, e. totum in mente generante, et totum in le-
gentibus: sic Deus Verbum, melius etiam, quod ipsi Verbo cognitissimum est,
totus in proprio corpore et totus in Deo, et Patre, et implens caelum, et terram
ambiens, et creata contrectans omnia » (l. c., 438-439).

b) **De virginitate B. M. V.** Virginalem conceptionem pulchre illustrat, verba
haec in ore Angeli ponens: « Quomodo in prima mundi conditione sine semine
tellus fructum effructificata est? Qui illi fructificandi vim indidit, ad fructum
edendum uterum tuum promovebit ... Et haec humana voce maiora sunt: ac revera
spiritu cuiusdam afflatus ultro aperientis harum quaestionum exitum » (l. c., 446).

c) **De mediatione B. M. V.** Explicite mediationis notio, Deiparae applicata,
docetur: « *Ave, gratia plena*, Dei hominumque sequestra constituta, ut inimici-
tarum parietes integerrimi convellantur, et caelestia terrenaque in unum coeant.
Dominus tecum: quia templum existis vere Deo dignum castitatis aromatibus
bene odoratum: magnus te inhabitabit Pontifex, qui secundum ordinem Mel-
chisedech sine matre est, ac sine patre: ex Deo Patre sine matre, ex te matre sine
patre » (l. c., 443). Et ad Deiparam conversus, cooperationem ad opus redem-

ptionis exprimens, exclamat: « Alvim sanctam, Deique receptricem! in qua disruptum est peccati chirographum » (l. c., 438).

Ingentem Deiparae potentiam super omnes sanctos in gratiis elargiendis ita extollit: « Quis ingentem Deiparae potentiam non miretur? Quis non miretur, quantopere superemineat, quotquot honoramus sanctos? Nam si Deus servis tantum impertitus est gratiae, ut non tactu solum aegros persanarent, sed et umbrae proiectu idem praestarent...: qualem Matri virtutem inesse cogitabimus? An non maiorem multo, quam ei subiectis? cuius notum... Quod si his [sanctis demortuis] tam rara perpetrare concessit, quale nutritionis pretium Matri dederit? Aut quibus ipsam gratiis illustraverit? » Deinde B. Virginem cum Petro qui « claves regni coelorum concreditas habuit » et cum Paulo « vas electionis cognominatus » comparat, et supra illos extollit (l. c., 447). Et concludit: « Sed caverò, ne dum de ipsa plura paro dicere, parumque ex eius dignitate, mihi plus pudoris afferam. Quare, orationis velam contraham, et in tutum silentii portum referar » (l. c., 450).

13. PAULUS Emesenus (saec. v)

Tenuit Alexandriae anno 432 duas breves homilias circa Incarnationem Verbi et Maternitatem divinam (PG 77, 1433-44). Secunda laudatur a Leontio Bizantino (*Contra Monophysitas*, PG 86, 1828).

14. HESYCHIUS, Presb. Hierosol. († c. 451)

A Cyrillo Scytopolitano appellatur « Doctor Ecclesiae » « totius orbis celeberrimum lumen ». ¹

Plures reliquit Commentarios in libros S. Scripturae. De B. Virgine loquitur in tribus sermonibus (PG 93, 1453-78): duo « in S. Deiparam Mariam » et unus « in Hypapantem » (omnium, circa hoc subiectum, antiquissima), ² quae attestatur a variis codicibus (cfr EHRAHRD, o. c., II, p. 5, 14 etc.).

a) **De prophetiis circa B. M. V.** « Tibi, o Virgo, prophetae tribuunt laudes » (PG 93, 1462). Varias deinde exponit prophetias; e. g. Is. 2, 1 (de virga Iesse), 7, 14 (de Virgine et de Emmanuele), Exod. 3, 2 sqq. (de rubo incombusto), Ezech. 44, 2 (de porta clausa), Cantic. Cant. 4, 12 (de horto concluso), Psalm. 131, 8 (de arca sanctificationis Domini) etc. (PG 93, 1464-1465).

b) **De maternitate divina.** Pulcre extollitur. « Si enim tu [o Christe] es gemma, merito illa [Deipara] est arca. Et quia Sol existis, necessario Virgo voca-

¹ Cfr SCHWARTZ, *Cyrrillos von Skitopolis* (Texte und Untersuchungen 49 B, 2 H), Leipzig, 1939, p. 26 s.

² Primae duae Homiliae inveniuntur in cod. Paris. gr. 1173 (saec. XI). Prima conservatur etiam in versione armena (cfr TSCHERAKIAN Ch., *Commento a Giobbe di Esichio di Gerusalemme*, Venezia, 1913, pp. 293-303) et secunda in versione georgiana (cfr *Bull. de l'Univ. de Tiflis*, 8 [1927], 133 ss.).

bitur caelum. Cum sis flos immarcescibilis, profecto Virgo est planta incorruptionis et paradisi immortalitatis ... Ecce virgo, quaenam? Mulierum egregia, e virginibus electa, praeclarum naturae nostrae ornamentum, gloria luti nostri, quae Evam pudore, et Adam comminatione liberavit, audaciam draconis abscondit: quam concupiscentiae fumus non attingit, neque vermis voluptatis eam laesit » (ibid., 1465-466).¹ « Illa (arca Noe) duas et tres contignationes et mansiones habebat haec autem universum totius Trinitatis complementum, quandoquidem et Spiritus Sanctus adveniebat atque hospitabatur, et Pater obumbrabat, et Filius utero gestatus inhabitabat. *Spi. itus enim sanctus*, ait, superveniet ... Vides quanta et qualis est Deiparae Virginis dignitas!... » (l. c., 1462).

c) **De virginitate Deiparae.** Privilegium hoc ab Hesychio saepe et mirificis modis illustratur, similitudinibus praesertim e Veteri Testamento ductis. Ipsa est Virgo ante partum, in partu et post partum (PG 93, 1460-1461). Negat *insuper* B. Virginem ardorem concupiscentiae (*ἐπιθυμίας*) habuisse (l. c., 1465). Ipsa est quae « virginitatem saeculo induxit » (col. 1470).

d) **De perpetua sanctitate Deiparae.** Ipsa « omnibus [iustis] antecellit » (ibid., 1454) et ideo « omnem gloriam [iustorum] superat » (ibid.). Illam vocat « turturem mundam, columbam impollutam, nubem pluvias incorruptas continentem » (PG 93, 1461), « templum (Verbi) incorruptum, et tabernaculum ab omni sorde liberum (PG 93, 1464-65). Ipsa est illa « quam concupiscentiae fumus non attingit » (l. c., 1466). Relate ad verba Simeonis: « *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*, accedit, aliquo modo, at non omnino, exegesi quorundam Patrum saec. iv. Gladius ille — iuxta ipsum — « gladius diversitatis opinionum (circa Iesum crucifixum) dicitur ... » ex quo et ipsa Deipara cribrata et agitata fuisset; et ratio est quia « si et virgo erat, sed et mulier; si quoque Deipara, sed nostra compacta limo » (PG 93, 1476). Minime tamen asserit B. Virginem dubio circa divinitatem Filii adhaesisse.

e) **Cooperatio ad redemptionem.** « Secunda virgo (Evae opposita) ex denominatione etiam angelica, miseriam omnem feminei sexus repulit, omnemque tristitiae fontem, qui inter pariendum adesse solet, obstruxit, et nubem desperationis, qua praemuntur mulieres in partu, dissipavit: et lumina laetitiae apud contribules coruscare fecit » (l. c., 1454).

In purificatione, qua non indigebat, B. Virgo « non pro se oblationem, sed pro omni humano genere » fecit (l. c., 1470): quod cooperationem *immediatam* exprimere videtur.

¹ JUGIE in verbis istis videt locum « qui suggère fortement l'idée de l'Immaculée Conception ... Incorruptibilité, immunité de la concupiscentie, impeccabilité, triomphe sur le démon, rôle de corédemptrice; tels sont les glorieux privilèges qu'Hesychius réunit ici en quelques mots sur la tête de la Vierge-Mère et qui sont au privilège de l'Immaculée conception ce que les effets sont à la cause, ce que les parties sont au tout » (*Dict. Théol. Cath.*, art. *Immaculée Conc.*, t. 7, col. 910).

15. **ANTIPATER Ep. Bostrensis** († post a. 451)

A Patribus II Synodi Nicaenae (787) inter probatos Ecclesiae Patres nominatur. De ipso duae remanent homiliae, quae communiter authenticae habentur, videlicet: 1) In S. Ioannem Baptistam et in salutationem Zachariae, et in salutationem Deiparae; 2) In SS. Deiparae Annuntiationem (PG 85, 1763-92).¹ In hisce homiliis notatu praesertim digna est DOCTRINA MEDIATIONIS B. M. V. Scribit enim: « Ave, quae facile humanitate Mediatrix intercedis » (PG 85, 1773). « Invenisti gratiam quam perdidit quae primo condita est. Ipsa, cum esset sola, deceptionem admisit; tu vero, dum sola manes, deceptionis solutionem obtinuisti » (l. c.). « Tu, inquit [Elisabeth] benedicta quae maledictionis portas solutionem » (l. c.). « Altissimus ipse est, qui unigenitum Filium generavit, et constituit ut e Virgine quoque hic generaretur, quo is qui ab initio per Evam deceptus fuerat, ipse per conceptum Virginis salvaretur » (*In Annuntiat. Deip.*, 6, PG 85, 1781). Dicitur insuper « Virgo ... virginis (Evae) lapsum reparans » (l. c.).

In iisdem homiliis pulcher commentarius habetur sive verborum Angeli ad Deiparam, sive singulorum versiculorum Cantici *Magnificat*.

16. **CHRYSIPPUS, presb. Hierosol.** († 479)²

Fuit genere Cappadox et per 12 annos Hierosolymis custos reliquiarum S Crucis. Fuit etiam — teste Cyrillo Scythopolitano (PG 114, 628 sq.). — « Scriptor mirandus ». Composuit *Encomium in S. Mariam Deiparam* seu in Annunt. B. M. V. Editum est a P. Jugie iuxta cod. Paris. gr. 1173, saec. XI (*Patr. Ord.*, XIX, 1925, 336-43).

In hoc sermone magni momenti pro historia cultus liturgici B. M. V. relate ad primum festum marianum,³ tria praesertim notatu digna inveniuntur, videlicet:

¹ Continetur enim in codice quodam saec. XI et arcte coniungitur, prout asseritur in exordio (PG 85, 1776-7), cum homilia « in S. Ioannem Baptistam quae est certe authentica ob unanimum attestationem multorum codicum » (cfr. EHRARD, o. c., I, pp. 173, 264 etc.), nec non ob triplicem attestationem Nicetae, saec. XI (cfr. MAI, *Scriptorum veterum nova collectio*, IX, pp. 629 et 639). Absque fundamento igitur a S. VAILHÉ (in *Dict. Théol. Cath.*, I, c. 144) scriptori posteriori tribuitur. Frustra insuper in variis catenis exegeticis in Lucam, varia fragmenta huius homiliae variis auctoribus (e. g. Origeni, Tito Bostrensi etc.) tribuuntur.

² Cfr *Bibliotheca Veterum Patrum*, ed. Fronton le Duc, Paris, 1624, t. 2, p. 420; JUGIE, *Homelies mariales byzantines, Patrologia Orientalis*, ed. Graffin et Nau, Paris, 19, 3 (1925). Cfr etiam *Dict. Théol. Cath.*, t. 7, art. *Immaculée*, col. 911.

³ Cfr JUGIE, l. c., p. 296; A. SIGALDES, *Des Chrysippus v. Jerusalem Enkomion auf den hl. Johannes den Täufer*, (texte u. Forschungen zur byzantinischengriechischen Philologie, 20), Athen, 1937, pp. 103-9; CAPELLE B., *La fête de la Vierge à Jérusalem au V^e siècle* in *Le Muséon* 56 (1943), 1-33.

a) **De Immaculata conceptione.** Modus loquendi quo utitur, apparet contradictorius videtur. Virgo enim ab ipso germen natura irreprehensibile dicitur et tamen a culpa liberari videtur in momento Incarnationis, cum facta est *arca Domini* (*Biblioth. veterum Patrum*, t. 2, pp. 426-427). Probabiliter — prout animadvertit Jugie (*Dict. de Théol. Cath.*, t. 7, col. 911), in loco qui videtur contrarius, Chrysippus agit de *debito remoto* incurrendi peccatum, ratione originis carnalis ex Adam. Ad quam solutionem inclinare videntur plures alii dicendi modi qui in eadem homilia inveniuntur (cfr JUGIE, l. c., col. 911).

b) **Cooperatio ad redemptionem.** Victoria Mariae supra daemonem, nec non eius pars Novae Evae in opere redemptionis aptissimis verbis exprimit. « Surtout — scribit Jugie, l c. — il met en relief la victoire sur le démon, son rôle de nouvelle Eve: Comment se fait-il, se dit le diable, que la femme qui, à l'origine, avait été mon auxiliaire, soit maintenant devenue mon adversaire? Une femme me prêta son concours pour soumettre le genre humain à ma tyrannie, et c'est une femme qui m'a fait perdre mon empire. L'Eve antique, mon élévation; l'Eve nouvelle m'a précipité dans la ruine » (op. c., p. 428).

c) **De morte et assumptione Deiparae.** Mortem B. Virginis negare videtur (GRAFFIN, *Patrologia Orientalis*, t. 19, fasc. 3, pp. 336-343).

II. Patres Occidentales

I. S. AMBROSIUS (c. 339-397)¹

Natus Treviris circa a. 339 (dum pater eius, nobilissimae stirpis romanae, munere Praefecti pretorii Galliarum fungebatur) puer, post patris mortem, Romam venit (una cum matre, Satyro fratre et Marcellina sorore eius) ubi studiis liberalibus operam dedit. Anno 370, consulari dignitate, praefectus Liguria et Aemiliae, Mediolani residebat. Ingressus Ecclesiam ad lites inter arianos et Catholicos, pro electione Episcopi ortas, componendas, miro omnium consensu Episcopus Mediolanensis electus est. Brevi tempore, sub Simpliciano presbytero († 400) vastam scientiam theologicam, ex Graecis praesertim (e. g. Clem. Alex., Origenes, S. Basilius, Didymus) acquisivit.

« Ambrosius vir erat vere Romanus » (STEIDLE, o. c., p. 153). Fuit — teste Augustino — « Ecclesiae fidelis doctor, et catholicae veritatis adversum haereticos usque ad periculum sanguinis defensor acerrimus » (*Contra Iul.*, 2, 32).

¹ Bibliographia: AGIUS A., O. S. B., *The Blessed Virgin in Origen and S. Ambrose*, in *Downside Review*, t. 190 (1932), pp. 126-137; BOVER J., S. I., *La Mediación universal de María según S. Ambrosio*, in *Gregorianum*, t. 5 (1924), pp. 25-45; FRIEDRICH PH., *St. Ambrosius von Mailand über das genealogische Problem Marias - St. Ambrosius von Mailand über die Jungfräulichkeit Marias von der Geburt*, in *Ephem. Der Katholik*, ser. IV, vol. 19, pp. 1-25; vol. 20, pp. 145-169 et 319-333; PAGNAMENTA M., *La Mariologia di S. Ambrogio*, Milano, 1931, (501 pp.).

Eius opera authentica sunt 39 (cfr PAGMENTA, o. c., p. IX). Edita fuerunt a BALLERINI P. A. (*Sancti Ambrosii, Mediolanensis Episcopi, Ecclesiae Patris et Doctoris, Opera omnia*, 6 voll., Mediolani, 1876, et a MIGNE (PL, 14-17).

Doctrina Mariana S. Ambrosii, sparsa invenitur in variis operibus et praesertim in op. « *De Institutione Virginis et Sanctae Mariae Virginitate perpetua* » ad Eusebium liber unus.¹

Haec doctrina Mariana, habetur a Pagmenta (l. c., p. VII) velut « la più antica Mariologia della Chiesa Latina ... L'Occidente, prima che sorgesse questo Padre, s'era quasi totalmente tenuto in disparte dallo studio di Maria. Ambrogio, tra i Latini, sarà il primo che affronterà i problemi mariani e lo farà sotto l'influsso di Origene, attenendosi soprattutto " all'esame interiore " di Maria, non trascurando però le altre questioni e segnerà così la via a Gerolamo e ad Agostino ».

« Formare del tutto un sistema ordinato che sia degno del nome di *Mariologia* ... è il merito riservato ad Ambrogio » Ita LEHENER (*Die Marienverehrung in den ersten Jahrhunderten*, Aufl., 2, J. 1886, S. 159). PAGMENTA (l. c., p. 5) ita valorem Mariologiae S. Ambrosii describit: « La posizione che Ambrogio occupa nella storia della Mariologia è particolarmente importante. La copia dei pensieri, l'ampiezza nell'esposizione dei misteri mariani in genere, l'impulso dato al suo culto e specialmente la novità, rispetto ai suoi tempi, di certe vie battute da lui nel dipingerci con sorprendente intuizione psicologica il ritratto della persona morale di Maria gli hanno valso il titolo di " Padre della Mariologia Latina " e di " Patrono della Venerazione di Maria " ».

S. Ambrosius in sua Mariologia valde pendet ab auctoribus Graecis, quorum thesaurus Latinis pandit; attamen plura propria adiungit, praesertim in descriptione *psychologiae* Marianae et in indole eminenter practica propriae Mariologiae. « Con felicissima analisi psicologica — scribit Pagmenta — ci regalerà un ritratto delle virtù di Maria, come mai nè prima nè dopo di lui fu tracciato da penna alcuna, così vivo, animato, completo. Nessun sentimento, anzi nessuna sfumatura di sentimento che adornò l'animo casto e soave di Maria sfuggi allo sguardo acuto e esercitato di chi aveva composto quel mirabile libro: *De Officiis Ministrorum*, sì nitido, profondo, superiore al ciceroniano al quale si era ispirato.

« Egli studia Maria in tutte le contingenze della vita: nei suoi rapporti con Dio, col prossimo, con se stessa; penetra nelle sue meditative solitudini; raccoglie l'eco dei suoi colloqui soprannaturali e rivela ammirato i tesori nascosti del mistico giardino del cuore di Maria » (l. c., pp. 8-9). « Lo studio psicologico, su così

¹ Sunt apocrypha: a) *Sermones quattuor de Natali Domini* (PL 17, 606-618); b) *Sermones quinque de S. Epiphania* (PL 17, 618-627) qui pertinent probabiliter ad S. Maximum Taurinensem; c) *Sermo 45 de primo Adam et secundo* (PL 17, 692); d) *Expositio in Apocalypsim* (PL 17, 874 ss.) quae pertinere videtur ad Berengardum O. S. B. (saec. VIII-IX).

vasta scala almeno, resta una felice innovazione di Ambrogio nella Mariologia » (ibid., p. 9).¹

Commendanda etiam est in S. Ambrosio soliditas doctrinae. Nil mirum igitur si a S. Thoma in Tertia Parte Summae Theologicae tam frequenter laudetur.

SYNTHESIS MARIOLOGIAE S. AMBROSII ITA PROPONI POTEST:

a) DE B. VIRGINE CONSIDERATA RELATE AD DEUM.

1. De praedestinatione B. M. V. Divina Maternitas B. M. V., una cum praeclara dignitate, tamquam consecrarium exhibetur Praedestinationis divinae (*In Luc.*, l. II, n. 16; PL 15, 1636). Haec divina electio facta est post praevisum lapsum (cfr PL 12, 359). « In Veteri Test. Virgo Hebraeorum per mare duxit exercitum; in Novo Test., Virgo, Regis Aula Coelestis, *electa* est ad salutem ... » (PL 12, 1175). Nomen *Maria*, a Deo inspiratum, significat « Deus ex genere meo » (*De Instit. Virg.*, PL 16, 313).

2. De Prophetiis et figuris B. M. V. Praenuntiatur B. Virgo in Protoevangelio seu Gen. 3, 15 (PL 16, 1400-1401), in Virgine paritura Emmanuelem, Is. 7, 14, (e. g. *Expos. in Luc.*, lib. II, n. 15, et 1, 7, n. 10, Ballerini, II, 40 et 192) in virga e radice Jesse, ² Is. 11, 1 (*De Spir. S.*, lib. 2, c. 5, n. 38; PL 16, 750-751), et in prophetia Micheae 5, 2 (PL 16, 460).

Allusiones implicitas ad B. Virginem videt in historia populi electi, et in quibusdam personis V. T. (Eva, Sara, Maria, soror Moysis) et in quibusdam rebus (nubes levis, columna nubis, arca, hortus etc.).³

¹ Etiam CAMPANA scribebat: « Per riguardo alla Psicologia di Maria, questa gloria spetta a Sant' Ambrogio il quale inoltrandosi per il primo, senza alcun anteriore esempio in questa via, la frugò con sì attenta diligenza, che vi fece scoperte rimaste definitive e la percorse tanto ad dentro, da togliere pressochè ogni speranza di poterlo oltrepassare. Si potrà variare i termini delle espressioni od inquadrare l'argomento in altri schemi etici o psicologici; si potranno sviluppare più ampiamente le considerazioni che il Santo Dottore accenna appena ... oppure si potranno tingere con pennellate di più caldo colore e di più impressionante effetto; ma gettare luce più schietta, più originale, più rivelatrice, di quanto egli fece, lo crediamo impossibile » (CAMPANA, o. c., p. 72).

² « Radix, familia Iudaeorum; Virga, Maria; Flos Mariae, Christus ... qui foetorem mundum colluvionis abolevit et vitae aeternae odorem infudit » (PL 15, 712).

³ « Quam pulchra illa quae de Maria prophetata sunt. Si tamen, adverte, non membra corporis, sed mysteria generationis eius intendas. Dicitur enim ad eam ... Umbilicus tuus crater cornutis, non deficiens mixto; venter tuus sicut acervus tritici, muniti inter lilia (*Cant.* VII, 2, 3). Vere alvus ille Mariae crater tornatilis in quo erat Sapientia quae miscuit vinum suum (*Ps.* IX, 1): indeficientem cognitionis piae gratiam divinitatis suae plenitudine ministrans ... In quo Virginis utero simul acervus tritici et lilii floris gratia germinabat et lilium ... Sed quia acervus est factus de uno grano tritici, completum est illud propheticum. Et convalles abundabunt frumento (*Ps.* LXIV, 14), quia granum illud mortuum plurimum fructum attulit.

3. **De divina maternitate.** Fused in suis operibus factum divinae maternitatis, naturam, convenientiam nec non excellentiam exponit. Primus, inter Latinos, nomine « Mater Dei » utitur. Titulus iste fundatur sive in identitate personae in Christo (subsistentis in duabus naturis) sive in vera maternitate physica humana Mariae relate ad Christum hominem. B. Virgo, iuxta S. Ambrosium, est directe Mater hominis; at, unitas Personae in Christo (ab Ipsa nato) illam constituit eodem tempore Matrem Dei, cuius dignitatis plene conscia fuit. Filius eius est supremum gaudium et supremus honor pro Ipsa. Iure scribit Pagnamenta: « È intorno a questa verità della Fede che una volta ancora compete ad Ambrogio nella Mariologia un posto di precedenza: nessun Padre, prima dell'Efesino, sviluppò con tanta ampiezza e frequenza, con argomentazione più variata e stringente la dottrina sul sommo privilegio della Benedetta fra le donne; nessun Padre prima dell'Efesino ebbe nella discussione tale influenza, quale il Patrono della chiesa di Milano » (o. c., p. 305).

4. **De perpetua virginitate Deiparae.** « La perpetua Verginità di Maria — scribit Pagnamenta — è il punto centrale e l'idea madre di tutta la Mariologia Ambrosiana » (o. c., p. 133). Plus quam 288 vicibus nomen *Virgo* in suis operibus authenticis apparet. Et revera S. Ambrosius quaestionem pluries (praesertim in opere *De Institutione Virginis et Sanctae Mariae Virginitate perpetua*) in suo triplici stadio (ante, in et post partum) sive in communi sive in particolari exposuit. Huius miraculi, quod Traditio ad Apostolos ascendens testatur, sive factum, sive possibilitatem, sive summam convenientiam ostendit. De voto virginitatis non loquitur. « Quantunque egli (Ambrosius) non abbia scritto un'opera a parte e chiusa per sé sulla "VERGINITÀ MARIANA", l'azione sua per l'esaltazione di un tale privilegio della Deipara è imponente, perseverante, conquistatrice. A volte s'occupa direttamente della difesa di una tale dottrina e della sua propaganda; a volte è eminentemente apologetica, didattica, parentica.

« L'importanza che Sant'Ambrogio dava al Dogma della Perpetua Verginità di Maria è capitale. L'Apostolo' Milanese della verginità non ne ha illustrato soltanto il senso morale e la sua altissima portata, ma ha pure insistito molto sull'aspetto dogmatico di questa prerogativa mariana, perchè in concreto fin dai tuoi tempi essa era divenuta il criterio pratico della Divinità di Cristo » (o. c., p. 221). Et prof. Campana scribebat: « Il merito non piccolo del Santo di Milano si fu di aver contribuito in una misura, che non gli può essere contesa da nessun altro, a condurre al supremo fastigio una costruzione che aveva già trovato in via, anzi in un buon punto di formazione. Vi contribuì illustrando il grande privilegio della Benedetta fra le donne sotto tutti i possibili aspetti e liberandolo da tutte le ombre che per qualche parte ancor lo velavano; vi contribuì infine con

Ex illo ergo utero Mariae diffusus est in hunc mundum acervus tritici muniti inter lilia, quando natus est ex ea Christus ... » (*De Instit. vir.*, cc. 14-15, nn. 87-94), (BAL., IV, 337-338); MIGNÈ, PL 16, 341, 342).

quel suo mirabile e indefesso apostolato che fu una delle sue più spiccate caratteristiche, per sviluppare e moltiplicare le vocazioni di coloro che abbracciavano lo stato di volontaria e perenne verginità, ai quali poi non mancava mai di proporre come supremo, incantevole modello Maria » (l. c.).

S. Ambrosius verum *matrimonium*, virginalè tamen, admittit inter B. Virginem et S. Ioseph, iam ante Annunciationem existens, ad famam Virginis tuendam et ad mysterium diabolo celandum. Matrimonii enim essentia, iuxta S. Ambrosium, in ipso contractu, non vero in consummatione consistit. Matrimonium istud figura fuit connubii Christi cum Ecclesia (cfr *In Luc.*, lib. II, n. I, PL 15 1633-1634).

b) DE B. VIRGINE CONSIDERATA IN ORDINE AD HOMINES.

I. De mediatione B. M. V. « Secondo Ambrogio — scribit Pagnamenta — la Madonna prende un posto singolarissimo nel piano e nel compimento della Redenzione. La Mediazione e la Corredenzione universale di Maria sono attestate da lui con frequenti e svariati accenni, e in questo, per quanto ci consta, *egli supera tutti gli scrittori ecclesiastici precedenti* » (o. c., p. 11). « È merito incontestabile di Ambrogio di essersi addentrato così profondamente per il primo nell'attuale questione » (ibid., p. 309).

a) *B. Virgo est mediatrix reconciliationis* seu CORREDEMPTRIX. Quamvis titulus « Corredemptrix » in scriptis S. Ambrosii non inveniatur, res tamen per titulum significata clarissime invenitur. S. Ambrosius, saepe et fusiori modo quam Patres et scriptores qui ipsum praecesserunt, comparisonem instituit inter *Evam et Mariam*, operi funesto Evae, opus beneficum Mariae opponens. « Per mulierem stultitia: per Virginem sapientia » (PL 15, 1698). « Nam sicut peccatum a mulieribus coepit, ita etiam bona a mulieribus inchoantur, a Maria quae nescit errorem » (PL 15, 1643). « Per mulierem cura successit: per Virginem salus evenit » (PL 16, 173). « Mulieris lapsum partu Virginis solvit » (PL 16, 359). « Quid egisti, diabole, ut absconderes lignum (Crucis) nisi ut iterum vinceris? Vicit te Maria quae genuit triumphatorem ... Feminam visitaverat Christus in Maria. Visitata est Maria *ut Evam liberaret* » (PL 16, 1463, 1465). Imo, in Ep. ad Ecclesiam Vercellensem, opponit Mariam nedum Evae sed etiam Adae: « Per virum autem et mulierem caro eiecta est de Paradiso. Per Virginem iuncta est Deo » (PL 16, 1249, 1250).

Explicite asserit Ambrosius quod B. Virgo operata est mundi salutem et « concepit redemptionem universorum ». Iamvero, concipere « *redemptionem universorum* » quid amplius innuere videtur ac concipere *Redemptorem* universorum: dicit enim actionem *immediatam* (quamvis subordinatam) relate ad ipsos redemptores, non vero actionem *mediatam* (per Redemptorem). Insuper, operari « salutem mundi » *universalitatem* actionis aperte significat.

Cooperatio igitur B. Virginis, iuxta S. Ambrosium, fuisse videtur *universalis* et *immediata*.

Nec omittit S. Ambrosius partem habitam a B. Virgine in Monte Calvariae. « Fugientibus Apostolis, ante Crucem stabat, et PIIS spectabat OCVLIS Filii vulnera; quia EXPECTABAT non Pignoris mortem, sed MUNDI SALUTEM. Quia cognoverat per Filii mortem mundi redemptionem, aula regalis etiam sua morte putavit se aliquid PUBLICO ADDITURA MUNERI » (PL 16, 1270). Quamvis vero « Iesus non egebat adiutore ad redemptionem omnium », tamen « SUSCEPIT AFFECTUM PARENTIS », i. e. suscepit oblationem compassionis a Matre peractam pro redemptione omnium.

Attamen, B. Virgo est Corredemptrix *per Redemptorem*. Scribit enim: « Nec mirum si Dominus redempturus mundum, operationem suam inchoavit a Maria; ut per quam, salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore » (*In Luc.*, lib. 55, n. 17; PL 15, 1640).

b) *B. Virgo est Mediatrix vitae supernaturalis* seu MATER HOMINUM. Scribit enim: « Virgo genuit mundi salutem, Virgo peperit vitam universorum ... Itaque in Virgine Christus reperit quod suum esse vellet. Quod sibi omnium Dominus assumeret, per virum autem et mulierem caro eiecta est de Paradiso, per virginem iuncta est Deo » (Ep. 63, *Vercellensi Ecclesiae*, n. 33, Ball., V, 563; PL 16, 1249).

« Due espressioni vigorose balzano subito fuori dal testo citato: *La Vergine genera la salute del mondo: dà in luce la vita universale!* Se tali detti, mirando allo stile oratorio, si potrebbero riferire alla sola Divina Maternità, in senso ovvio e naturale dicono qualche cosa di più, soprattutto se li si confronta con altri passi nei quali Sant'Ambrogio dice che Maria generò l'Autore della salute e della vita. Qui Maria non solo partorisce l'Autore, ma la stessa salvezza, la stessa vita soprannaturale della Grazia. Le parole esprimono l'azione diretta, quantunque subalterna della Madonna sulla Grazia nel suo senso più ampio e sopra tutti gli uomini.

« Nè siamo noi che rivolgiamo l'intenzione di Ambrogio al nostro assunto. Egli stesso nel seguito ha cura di dichiararci in termini inequivocabili quale sia la sua mente. Dice che Cristo cercò nella Vergina quello che fosse suo; quello che il Signore universale voleva assumere e appropriarsi. Ora evidentemente non era la pura e sola carne fisica e l'umanità sua propria individuale che Gesù intendeva appropriarsi nell'unità della Persona, ma ancora in essa tutta la carne, tutta l'umanità in certo qual modo. Lo chiama "SIGNORE UNIVERSALE", "OMNIUM DOMINUS", di tutti, cioè di tutti quelli che voleva far suoi: *Quod suum esse vellet, quod sibi assumeret*.

« Ma con evidenza ancora maggiore ciò appare dalle ultime parole: "Per un uomo e una donna la carne fu scacciata dal Paradiso, per una Vergine fu unita a Dio!" Forse che anche la purissima Carne di Gesù fu scacciata dal Paradiso? Eppure qui si dice che quella carne che era stata scacciata per causa di Adamo e di Eva, fu unita a Dio dalla Vergine. Quando, dove, come fu unita da questa Vergine, se non quando dal suo seno immacolato produsse il Cristo? Ciò vuol dire che per l'azione materna della Santissima

Vergine non solamente si unì a Dio la Carne individuale di Gesù Cristo, ma altresì in essa e per essa tutta la carne, tutta l'umanità in essa rappresentata ed abbreviata.

Si tengano presenti gli insegnamenti di San Paolo sulla meravigliosa dottrina del Corpo Mistico di Cristo e il fine principale dell'Incarnazione e allora se ne vedrà l'applicazione nelle parole di Ambrogio, dove dice che dalla Vergine e per la Vergine si unisce tutta la carne.

Ebbene questa azione materna della Madonna è vera **MEDIAZIONE** e assolutamente **UNIVERSALE**; si estende a tutta la carne e a tutta l'umanità, che Cristo facendosi uomo nel seno di Maria si assume, addossandosene i delitti, per lavarli nel Sangue tratto da Maria. E in questa salute del mondo, in questa universale vita sta tutta l'*Economia della Grazia*, sulla quale dunque Maria ha, secondo Ambrogio, un'azione d'influenza diretta, immediata ed efficace.

« Non si tratta soltanto di una influenza mediata o remota, in quanto Maria è Madre di Cristo, dal quale come da fonte ci è derivata tutta la grazia: le parole del Santo dicono ben di più; nè si restringono a un parziale o particolare potere nella concessione di grazie speciali: ciò che compete a tutti i Santi e quindi non sarebbe un singolare privilegio della Benedetta fra le donne. No! Le parole di Ambrogio dicono l'**UNIVERSALE MEDIAZIONE DI MARIA, SIA IN RAPPORTO ALLA GRAZIA, SIA IN RAPPORTO AI SOGGETTI CHE LA RICEVONO** » (PAGNAMENTA, o. c., pp. 333-335).

Consideretur i nsuper textus: « Ex illo utero Mariae effusus est in hunc mundum acervus tritici » (PL 16, 341, 342).

« La ragione di questo mistero — iure animadvertit Pagnamenta — è sempre l'identica: la nostra ineffabile unione e incorporazione in Cristo Gesù. Spuntando il primo chicco, il frumento si moltiplica a mucchi, perchè in quel chicco era rinchiuso tutto il frumento. E quindi l'azione materna di Maria non ricade soltanto sul primo grano, ma su tutta la messe. E poichè questa messe è la totalità degli eletti e pure di tutti gli uomini in quanto ricevono la grazia, ne deriva che Maria è la Madre degli uomini e della Grazia » (o. c., pp. 346-347).

In monte Calvariae vero, iuxta S. Ambrosium, haec spiritualis maternitas Mariae fuit solemniter a Christo cruci affixo proclamata. Scribit enim in Ep. ad Eccl. Vercell.: « Maria, Mater Domini, ante Crucem Filii stabat. Nullus me hoc docuit, nisi S. Ioh. Ev. ... qui docuit quod alii non docuerunt, quemadmodum in Cruce positus Matrem appellaverit, pluris putatis quod Victor suppliciorum pietatis officia Matri exhibebat, quam quod Regnum coeleste donabat. Nam si religiosum est quod latroni donatur venia, multo uberioris pietatis est quod a Filio Mater tanto affectu honoratur. Ecce, inquit, filius tuus ... Ecce Mater tua. Testabatur de Cruce Christus, et inter Matrem atque Discipulum dividebat pietatis officia. **CONDEBAT DOMINUS non solum PUBLICUM, sed etiam domesticum TESTAMENTUM** et hoc eius testamentum signabat Ioh., dignus tanto testatore testis. Bonum Testamentum non pecuniae, sed vitae aeternae, quod non atramento scriptum est sed Spiritu Dei vivi qui ait: *Lingua mea calamus scribae velociter scribentis* » (PL 16, 1270).

Circa quae verba iure animadvertit Pagnamenta: « S. Ambrogio, dopo aver fatto notare come Giovanni sia stato colpito dalla grande pietà filiale di Gesù verso la sua Santissima Madre, osserva che, affidandogliela, Cristo non solo gli commetteva la Madre come un deposito privato; nè soltanto lui ne diveniva il figlio in forma privata, ma precisamente distingue quel che riguarda Giovanni personalmente e individualmente “ Testamentum domesticum ” da quello che in Giovanni rappresentativamente si riferisce a tutta l'umanità: “ Testamentum publicum ”.

« Più che alla pubblicità nel modo di promulgazione o manifestazione, il pensiero ambrosiano mira alla pubblicità e universalità dell'oggetto designato nella Persona di Giovanni, come rappresentante dei figli tutti di Maria in quell'istante. Della prima pubblicità non può trattarsi, giacchè pochissimi erano vicini alla Croce e non potevano dunque udire e del resto tutta la scena ha intimissimo carattere. Dunque l'aggettivo: “ pubblico ” si riferisce ai destinatari del provvido e caritatevolissimo Testamento Divino; destinatari rappresentati nella persona di Giovanni, e Ambrogio vede nella manifestazione di un tale Testamento proclamata splendidamente dal Figlio agonizzante la *Maternità spirituale della Madre sua su tutti gli uomini*, per i quali tutti Egli sta per morire.

« Sant'Ambrogio prosegue: “ Un buon Testamento, non di danaro, ma di vita eterna alla quale per la Grazia si perviene; essendo la Grazia l'inizio della Gloria; quella Grazia che tutta ci viene da Maria ”, come si ripetutamente Ambrogio aveva affermato in altri luoghi. “ Testamento, scritto non con l'inchiostro, ma con lo Spirito del Dio vivente, che dice: la mia lingua è come penna che scrive velocemente ”. E anche a questo Spirito Divino è resa possibile la venuta in noi per Maria, secondo il nostro Santo che la proclama “ Olla ardente che tutti accende del fuoco dell'eterno Spirito ” » (o. c., pp. 365-366).¹

Maternitas ergo spiritualis B. M. V. a S. Ambrosio in doctrina Paulina corporis mystici, cuius Christus est caput, fundatur. Per Mariam, enim, Christus factus est Caput universale humanitatis, et ideo Maria, *physice* Christum generando, *spiritualiter* nos omnes (membra Christi capitis) generat. ¶ Quapropter maternitas spiritualis erga homines in maternitate divina erga Christum fundatur.

c) *Virgo est Mediatrix* seu DISPENSATRIX GRATIARUM. S. Ambrosius omnes, in persona virginum, invitat ad gratiarum pluviam a B. Virgine petendam, quae gratia Virginis numquam deficit, quia quo magis effunditur eo magis redundat (*De Instit. Virg.*, c. 13, nn. 81-86, PL 16, 339-340). Causa vero potentis intercessionis Virginis Mariae in hoc invenitur quod ipsa Filium Dei genuit (ibid., PL 16, 328).²

¹ Nuper Eusebius M. Vismara S. S. (in art. *Il testamento del Signore nel pensiero di S. Ambrogio e la Maternità di Maria SS. verso gli uomini*. Note storico-critico-dogmatiche, in *Salesianum*, 7, 1945, 7-8; 97-143) conatus est demonstrare doctrinam a Pagnamenta et a nobis expositam non clare erui ex textibus S. Ambrosii. Non videtur tamen nobis hoc sufficienter probasse.

² Textus Ep. 41, *Sorori*, n. 6, PL 16, 1162, agit non iam de B. Maria Virgine, sed de Maria Magdalena. Et ideo nihil probat.

c) DE B. VIRGINE CONSIDERATA IN SEMETIPSA.

1. De perfectione animae B. M. V. S. Ambrosius a B. Virgine quodlibet peccatum, etiam levissimum excludit. Scribit enim: « Maria quae nescit errorem » (PL 15, 1643): « Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati » (PL 15, 1599). Quidam in hisce verbis indicatam vident etiam Immaculatam Conceptionem. Insuper B. Virginem tamquam exemplar omnium virtutum vividissime exhibet (PL 16, 220). Exclamat: « Quid splendidius ea quam Splendor elegit? » (l. c.). Ipsa digna fuit ex qua Dei Filius nasceretur » (PL 16, 221).

In B. Virgine fuit charisma prophetiae (PL 16, 1627).

S. Ambrogio — scribit Pagnamenta — ha il merito incontrastato di aver aperto la via ad uno studio profondo, integrale, vividissimo della bellezza morale della Regina dell'universo. Il primo che lo seguirà in questa felice e feconda analisi sarà il suo grande discepolo Agostino » (o. c., p. 484).

2. De perfectione corporis B. M. V. Ad castissimam pulchritudinem corporalem alludere videtur cum dicit: « Cuius tanta gratia, ut non solum in se virginitatis gratiam reservaret, sed etiam his quod viseret integritatis insigne conferret » (PL 16, 233). Nobilem Mariae originem ex regali stirpe Davidica affirmat (PL 16, 630 et alibi).

3. De morte et resurrectione B. M. V. S. Ambrosius, primus post S. Epiphanius, de morte B. M. V. explicite agit (PAGNAMENTA, o. c., p. 11). Admittit B. Virginem mortem subiisse, non tamen « corporalis nece passionis, non enim anima sed corpus materiali gladio transverberatur » (PL 15, 1656). De Assumptione, vero, S. Ambrosius explicite non loquitur. Attamen, prout animadvertit Campana, « egli ha delle espressioni dalle quali forse si può fare di lui, a fil di logica, un assertore dell'Assunzione. S. Ambrogio pensa che se Maria fosse morta sul Calvario insieme col Figlio, sarebbe poi anche risorta insieme con Lui. Analizzando infatti i sentimenti che Ella provava ai piedi della Croce, scrive di Lei: « se stava lì per morire insieme col Figlio, sperava pure di risorgere con Lui, conscia del mistero di aver generato quello che sarebbe risorto da morte. Mater se perseverans offerebat ... sin vero ut cum Filio moreretur, cum eodem gestiebat resurgere, non ignara mysterii, quod genuisset resurrecturum (De Inst. virg., c. 7). E posto che nel pensiero di S. Ambrogio Maria avesse appunto morendo sul Calvario il diritto ad una pronta ed immediata risurrezione, con qual fondamento credere che il Santo Dottore abbia ritenuto che un tal diritto fosse andato perduto negli anni ch'Essa visse superstita al Figlio? Ad ogni modo abbiamo qui, fornitaci dal Dottore Milanese, una buona ragione di convenienza per l'Assunzione. Maria doveva risorgere, perchè Madre del Resurrecturo! » (cfr A. c. in *Maria nel Dogma*, n. 185).

d) *DE CULTU B. M. V.*

Nemini, iuxta Harnack, sicut S. Ambrosio, melius convenit titulus *Patroni cultus Mariani* (*Lehrbuch der Dogmengeschichte*, ed. 2, Aufl. 3, S. 488). Et iure quidem. S. Ambrosius enim cultum Virginis sive sub respectu venerationis, sive sub respectu imitationis, sive sub respectu invocationis magno animi ardore promovit. Relate ad *venerationem* exclamat: « Quis non honorabit tot virginum Matrem? Quis non venerabitur Aula Pudoris? » (PL 16, 359). Relate ad *imitationem* haec asserit: « Quidquid egerit disciplina est »; « Talis enim fuit Maria ut eius unius vita omnium sit disciplina »; « Ergo sancta Maria disciplinam vitae informet » (*De Virginitus*, lib. II, c. 2, n. 9, 15; c. 3, n. 19; PL 16, 221, 222, 223). Relate ad *invocationem* legantur cap. I et II libri *De Virginitus*, nec non cap. XIII *De Instit. Virginis*, nn. 86-88, PL 16, 339-340. B. Virgo tamen non est colenda cultu latriae, quia « Maria erat Templum Dei, non Deus Templi. Et ideo ille solus adorandus, qui operabatur in Templo (i. e. Spir. S.) » (*De Spir. Sancto*, l. III, c. 11, nn. 79, 80; PL 16, 829).

2. S. ZENO, Ep. Veronensis († c. 372)

Fuit natione Africanus. Contra haeresim arianam et ethnicismum reforescentem strenue decertavit. Reliquit 93 tractatus seu sermones, rethorica arte compositos (PL 11, 353 sq.).

a) **De maternitate divina.** Explicite asserit: « anus (i. e. Elisabeth) peperit angelum, et Virgo Deum » (lib. II, tract. 7, PL 11, 411). « Deus, Dei Filius, tempore constituto, dissimulata interim maiestate, ab aetherea sede profectus, in praedestinatae Virginis templo sibimet castrametatur, quibus latenter infunditur in hominem gigniturus, ibidemque salvo, quod erat, meditatur esse, quod non erat, ... Mariae superbus emicat venter, non munere coniugali, sed fide, Verbo, non semine. Decem mensium fastidia nescit, ¹ utpote quae in se Creatorem mundi concepit; parturit non dolore, sed gaudio. Mira res: exultans exponit Infantem totius naturae antiquitate maiorem » (Lib. II, tract. 8).

b) **De perpetua virginitate Deiparae.** Praeclarum testimonium habetur: « O magnum sacramentum! Maria Virgo incorrupta concepit, post conceptum Virgo peperit, post partum virgo permansit » (Lib. I, tract. 8). Testimonium hoc maximi faciendum est, eo quod nemo ex Patribus S. Zenone antiquioribus formula adeo praecisa et hodie communiter adhibita, usus esse videtur.

c) **De cooperatione ad redemptionem.** In lib. I, tract. II, n. 8-9, exclamat: « O charitas ... o quam potens! Nihil habet qui te non habet. Tu Deum in hominem demutari voluisti! ... Tu virginali carceri novem mensibus religasti. Tu

¹ Habetur hic evidens allusio ad illud Virgilii: « ... Matri — longa decem tulerant fastidia menses » (*Eclog.*, IV, 51).

Evae in Maria redintegrasti. Tu Adam in Christo renovasti. Tu sacram crucem in salutem perditio iam mundo providisti. Tu mortem Deum mori docendo vacuasti (PL II, 277 ss.). In libro vero II, tract. VII, n. 4 de Elisabeth conceptu et de Mariae conceptu agens, haec scribit: « Exultate, foeminae, promotionem vestri sexus agnoscite. Culpa deleta veteri, ecce per vos iungimur caelo: anus enim peperit Angelum, et Virgo Deum » (PL II, 411).

Alibi (lib. II, tract. 13, n. 10) asserit quod vulnus mulieris (Evae), dum de Virgine nascitur, Christus curat.

3. S. GAUDENTIUS Ep. Brixienensis († post 405)

Pauca de ipso cognoscuntur. Circa a. 370, peregrinationem instituit in Orientem (PL 20, 962 et sq.). Circa a. 387 electus est Episcopus Brixienensis. Fuit amicus S. Ambrosii. Collectionem 21 sermonem reliquit (PL 20, 827-1002), quorum authenticitas a F. Marx impugnata (in Proleg. editionis S. Philastrii, 1898, p. VII), firmiter propugnata fuit a Chr. Knappe (in *Programme du gymnasium Carolin d'Osnabruck*, 1908).

In sermonibus istis, et praesertim in serm. 8, 9 et 13, praeclarum invenitur testimonium de VIRGINITATE DEIPARAE. Scribit enim: « Sed dicat fortasse aliquis parvae fidei, ac parum prudens, virginem quidem Mariam non ex viro concepisse Christum, sed a Spiritu Sancto ...; nato tamen Christo virginem dici ultra non posse quam constet edidisse partum ... Si credimus conceptum Virginis, credere debemus] et partum: utrumque impossibile videtur homini, sed omnipotentiae divinae parvum. Quid enim Deo magnum (ut omittam sublimiora eius opera) qui ex nihilo fecit terram, et de terrae limo carnem, et de carne viri feminam ... et tu non vis, ut eum qui haec operatur, integra Virgo filium recognoscat? Qui sine corruptela matris conceptus creditur, cur non etiam sine corruptela editus praesumatur? Incorrupta virgo peperit, quod intacta Virgo concepit. Integritatem nascendo violare non potuit, qui venerat redintegrare naturam » (*Sermo 9*, PL 20, 899-900). Ultima verba rationem veluti theologicam constituunt. Confirmat enim hoc miraculum ex eo quod Iesus, ianuis clausis, ingressus est domum ubi erant Apostoli! (l. c.). Et concludit: « divino partu sic cepit esse mater, ut virgo sacratior permaneret » (l. c.). Et in sermone 13: « ita Deum et hominem, quem pudico utero gestaverat, edidit, ut apud incorruptam tanti nominis matrem, post divinum partum gloriosior integritas permaneret. Divinum recte edidimus partum, quia Deus est iste qui per Virginem natus in carne est » (PL 20, 934).¹

¹ Notatu digna est singularis explicatio illorum verborum: « Vinum non habent ... quid tibi et tibi, mulier? Nondum venit hora mea » (Io., 2). Dominus, iuxta ipsum, locutus esset sacramentaliter, in mysterio; ageretur nempe de *vino Spiritus Sancti*, quod tantummodo post passionem et resurrectionem, non antea, dari debebat: « Quapropter et ipsa beatissima, agnito

4. AURELIUS PRUDENTIUS CLEMENS (348 - post 405) ¹

Postquam « foedavit iuvenem nequitiae sordibus et luto », cum « nix capitis » de salute animae curanda ipsum admoneret, ex Hispania Romam petiit martyrumque sepulcra invisit. Fuit vir piissimus et orthodoxiae catholicae ardore succensus. Anno circiter 405 collectionem carminum in septem libris edidit.

Stili elegantia ac suavitate, omnium poetarum christianorum praeclarissimus fuit, adeo ut Horatio comparari meruerit (APOLL. SIDON., lib. 2, ep. 9; cfr PL 50-60). Loci vero Mariani in poematibus Prudentii dispersi, collecti inveniuntur in *Summa Aurea* BOURASSÉ, t. 5, coll. 577-782.

a) **De maternitate divina.** Postquam de muneribus magorum verba fecit, haec canit: « Miratur Genitrix tot casti ventris honores, — Seque Deum genuisse hominem, Regem quoque summum » (apud BOURASSÉ, l. c., col. 182). B. Virgo dicitur meruisse « edere Deum » (l. c. col. 780).

Asserit errorem esse tenere quod Deipara corde non vero utero concepit (PL. 59 454).

b) **De virginitate Deiparae.** « Innuba Virgo — nubit Spiritui, vitium nec sentit amoris. Pubertas signata manet, gravis intus, et extra — incolumis, florens de fertilitate pudica. Iam Mater, sed Virgo tamen; maris inscia Mater » (BOURASSÉ, l. c., col. 776).

c) **De cooperatione ad redemptionem.** Pro Prudentio, mulier Protoevangelii (Gen. 3, 15) est Maria. Legit insuper « ipsa conteret caput tuum » non vero « ipse » aut « ipsum ». Ita enim canit in *Cathemerinon*, 3, vers. 121:

Conscia culpa Deum pavitans — Sede pia procul exigitur — Innuba femina quae fuerat, — Coniugis excipit imperium, — foedera tristia iussa pati.

Auctor et ipse doli coluber — illectitur improbus, ut mulier — colla trilingua calce terat, — sic coeber muliebri solum — suspicit, atque virum mulier.

Ecce venit nova progenies, — Aethere proditus alter homo, — non luteus, velut ille prior, — sed Deus ipse gerens hominem, — corporeisque carens vitiis.

Fit caro vivida, sermo Patris. — Numine quem rutilante gravis — non talamo, neque iure tori, — nec genitalibus illecebris — intemerata Puella parit.

Hoc odium vetus illud erat, — Hoc erat aspidis, atque hominis — digladiabile dissidium, — quod modo cernua femineis — vipera proteritur pedibus.

Edere namque Deum merita, — *Omnia Virgo venena domat* — Tractibus anguis

responsionis huius profundo mysterio, intellexit, non suggestionem suam praesentem aspernanter acceptam, sed secundum illam spiritualem rationem in mysterio tunc dilatam. Ceterum numquam mandaret ministris: *Quodcumque dixerit vobis facite* (Io. 2). nisi Spiritu Sancto post partum divinum plena, non solum responsionis Christi virtutem cognovisset, verum etiam faciendi ab eo tunc ex aqua vini universum ordinem praevidisset. Quid enim lateret Sapientiae matrem, capacem Dei, aedem dignissimam tantae virtutis?» (PL 20, 901).

¹ RODRÍGUEZ I., *Mariologia en Prudencio*, in *Est. Mar.* 5 (1946) 347-358.

inexplicitis — virus inerme piger revomit — gramine concolor in viridi (ibid., coll. 779-780).

Ex hoc hymno, associatio Mariae Christo in inimicitiiis et in triumpho supra satanam evidentissime apparet.

5. S. HIERONYMUS (349[?]-420)¹

Natus est in oppido Stridone, in Dalmatia, circa a. 340-50. Anno circiter 20 aetatis suae, Romae Aelium Donatum grammaticum audire coepit, et arti rhoricae operam dedit. A Paulino, Antiochiae Episcopo, circa a. 378, presbyter, licet invitus, ordinatus est. Anno 382, una cum Paulino Ep., propter schisma Antiochenum, Romam venit, ibique, usque ad a. 885 munere veluti secretarii, sub Damaso Papa, functus est. Anno 385, ob gravissimas persecutiones in ipsum ab adversariis excitatas, in Orientem rediit, et anno 386 una cum Paula eiusque filia Eustochio Bethlehem se recepit, ubi, sumptibus S. Paulae, duo monasteria amplissima extracta fuerunt, unum pro viris, cui praefuit S. Hieronymus, et alium pro feminis, cui praefuit ipsa S. Paula. Ibi studio et scriptioni vacavit. Anno 419 vel 420 obiit.

S. Hieronymus nedum est « maximus Doctor in exponendis sacris scripturis » (Or. Missae) sed est etiam « Maximus Doctor Virginitatis perpetuae Deiparae ». Ad illam enim defendendam, a. 383 librum scripsit *De perpetua virginitate B. Mariae*,² contra Helvidium asserentem Ioseph ex Maria post Christi partum prolem genuisse (PL 23, 183-206). De eadem virginitate, per transennam, agit etiam in l. I adversus Iovinianum (PL 23, 211-338).

Sunt apocrypha: a) *Epistula IX ad Paulam et Eustochium de Assumptione B. M. Virginis* (PL 40, 126-147) quae pertinet — iuxta P. Morin — ad Ambrosium Autpertum († 778); b) *Epistola X de Assumptione Virginis Mariae* (PL 30, 147-150) quae pertinet — iuxta quosdam criticos — ad Fulbertum Carnotensem († 1029); c) *Epistola I de Nativitate S. Mariae* (PL 30, 307-318); d) *Epistola de viro perfecto* (PL 57, 939) quae pertinet — iuxta quosdam — ad S. Maximum Taurinensem. Praecipua puncta Mariologiae Hieronymianae sunt:

a) **Praedictio prophetica.** Mariam videt a) in Virgine matre Emmanuelis (PL 23, 266) et b) in muliere virum circumdaturo, Ier. 2, 32 (PL 23, 267; et in PL 24, 880-881); c) in porta clausa Ezechielis (PL 25, 430)³

¹ Bibliographia: DE JONGHE H., *De Marialeer van den H. Hieronymus*, in *Handelingen van het Vlaamsch Maria-Congres te Brussel*, 1921, I, pp. 190-207; NIESSEN, *Die Mariologie des hl. Hieronymus, ihre Quellen und ihre Kritik*, Münster, 1913.

² Cfr NIESSEN, o. c.; VILLER, in *Recherches de Science Religieuse*, 1920, pp. 95 sqq.; CASAMASSA, in *Leggenda Cattolica*, 1920, pp. 226 sqq.

³ Circa interpretationem hieronymianam nominis *Mariae* cfr *Marianum*, t. I (1939), pp. 79-80.

b) **Maternitas divina.** In Comment. in Ep. II ad Titum, ad v. 2: « expectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri, Iesu Christi », S. Hieronymus scribit: « Magnus Deus Iesus Christus Salvator dicitur, non primogenius omnis creaturae, non verbum Dei et sapientia, sed Iesus Christus, quae vocabula assumpti hominis sunt. Neque vero alium Iesum Christum, alium Verbum dicimus, ut nova haeresis calumniatur, sed eundem et ante saecula et post saecula, et ante mundum et post Mariam, immo ex Maria, magnum Deum appellamus Salvatorem nostrum Iesum Christum » (PL 26, 586). Dicit insuper: « De utero virginali generatus; Deus plasmavit in virginali utero Salvatorem; Maria « appellatur “Mater Virginis nostri” » (cfr NIESSEN, o. c., 106). Et tandem: « Si Virgo, Deum pariat » (PL 24, 110): quod *Deiparae* vel *Dei Matri* evidenter aequivalet.

c) **Gratiae plenitudo:** « Dominus atque Salvator a primo patriarcha pervenit ad virginem, quasi ad Iordanem, quae pleno gurgite fluens Spiritus Sancti gratiis redundabat » (PL 22, 700). Maria iuxta S. Hieronymum est porta orientalis nedum semper clausa sed etiam « semper lucida » (Ep. 48, ad Pammach., n. 21, PL 22, 510).

Et in homiliis in Psalmos, applicans B. Virgini verba ps. 78, 24 « in nube diei » scribit: « Pulchre dixit, diei; nubes enim illa non fuit in tenebris, sed semper in luce » (cfr MORIN, *Anecdota Maredsolana*, t. 26, col. 1049). In verbis istis omnimoda Mariae puritas (et implicite etiam immunitas a peccato originali) asseritur. Virginis *puritatem* ita extollit: « Propone tibi beatam Mariam, quae tantae extitit puritatis, ut Mater Domini esse mereretur » (PL 22, 422).

d) **Origo davidica Deiparae.** Iuxta S. Hieronymum, Christus est « iuxta carnem ex David; totum in eo sancta Maria conferente, quidquid fuit ex stirpe David » (PL 24, 868). Et alibi: « Quaerat diligens lector et dicat: cum Ioseph non sit pater Domini Salvatoris, quid pertinet ad Dominum generationis ordo usque ad Ioseph? Cui respondebimus primum, non esse consuetudinis Scripturarum, ut mulierum in generationibus ordo texatur. Deinde ex una tribu fuisse Ioseph et Mariam: unde ex lege eam accipere cogebatur ut propinquam, et quod simul censetur in Bethlehem ut de una stirpe generati » (PL 26, 24). Iamvero Ioseph « filius David » in Evangelio appellatur. Ergo et B. Virgo, eius propinqua, erat ex genere David

e) **Perpetua virginitas Deiparae.** « Helvidius ex aliquot sacrae Scripturae testimoniis perperam intellectis, et duorum veterum Patrum, Tertulliani scilicet et Victorini Petabionensis, auctoritatibus parum perpensis, librum composuerat, in quo illud probare contendebat, Mariam Virginem, postquam Iesum Dei Filium nulla hominis opera, sed Spiritus sancti peperisset, deinde ex Ioseph marito, communi caeterorum hominum more, filios aliquot genuisse, qui Fratres Domini appellantur in Evangelio. Quam insaniam ut fuco rationis aliquo obliniret, novo errore cumulavit: siquidem matrimonio minime praestare virginitatem ef-

futivit, adductisque argumentis, imo mendaciis, probare conatus est. Erat ille, ut videtur, e populo vulgaris homo, rusticanus, et vix primis quoque imbutus literis, tamque obscuri nominis, ut quamquam Romae eodem ac Hieronymus tempore diversaretur, numquam de facie cognitus illi fuerit, qui albus, ut aiunt, aterve esset, ignoraret». «Eius libello Hieronymus rogatus a fratribus demum respondit, cum tamen facere distulisset, ne respondendo dignus ille fieret qui vinceretur. Pedem igitur collaturus, excerptas singulas haeretici propositiones ex ordine impugnat, Scripturae locis, atque illo imprimis Matt. 1, 18, quo maxime adversarius abutebatur, expositis rite in eum sensum, ut Deiparam Mariam continuo virginem perstitisse, neque edito Salvatore, virum unquam cognovisse, quae catholicae Ecclesiae fides est, manifestissime evincat. Eapropter titulum libro fecit, De beatae Mariae Virginitate perpetua; qui rursum a Gennadio dicitur in Corbeiensi codice, egregius et gratus libellus, in quo ostenditur beatissimam Mariam Genitricem Domini nostri Iesu Christi, sicut virginem ante partum, ita virginem permansisse post partum. Quod veterum spectat auctoritatem, satis habet de Tertulliano dicere, eum Ecclesiae hominem non fuisse; sed Victorinum Petabionensem eiusdem ac adversarius sententiae esse, pernegat: tum seriem ait scriptorum infinitam commovere se posse, atque opponere (PL 23, 191).

Conclusio vero libelli S. Hieronymi sic sonat: «Rethorici sumus, et in morem declamatorum, paululum lusimus. Tu nos, Helvidi, coegisti, qui iam Evangelio coruscante, eiusdem vis esse gloriae virgines et maritatae (Al. maritatas). Et quia arbitror te veritate superatum, ad detractionem vitae meae et ad maledicta converti (solent enim hoc et mulierculae facere, quae victoribus dominis male optant in angulis), illud dico praeveniens, gloriae mihi fore tua convicia, cum eodem quo Mariae detraxisti, ore me laceres, et caninam facundiam servus Domini pariter et mater» (PL 23, 216).

f) **Cooperatio ad redemptionem.** B. Virgo est nova Eva (PL 22, 4086): «In doloribus iugiter Eva parturiebat. Postquam vero virgo concepit in utero, et peperit nobis puerum ... soluta maledictio est. Mors per Evam, vita per Mariam».

«... ut quod David fuerat repromissum, per Sanctam Mariam nobis restitueretur ... Memor fuit diabolus pristinae artis, quae Adam aliquando decepit per mulierem, ita et hunc appetit per uxorem, aestimans quod semper viros possit per mulierem decipere, non considerans quia unus per mulierem deiectus est, et nunc per mulierem totus mundus salvatus est. In mente tibi venit Eva, sed considera Mariam: illa nos eiecit e paradiso, ista reducit ad coelum» (*Analecta Maredsolana*, 3, 92).

In Ep. 22, *De cust. Virg.* n. 105 (PL 22, 408): «Inveniebatur ut diximus (i. e. in V. Lege) in viris tantum hoc continentiae donum et in doloribus iugiter Eva parturiebat. Postquam vero Virgo concepit in utero et peperit nobis puerum, «cuius principatus in humeros eius» (Is. 9, 6), Deum, fortem, patrem futuri saeculi, soluta maledictio est. Mors per Evam, vita per Mariam. Ideoque et ditius

virginitatis donum fluxit in feminas, quia coepit a femina ». Loco « *ipse* conteret » — quae iuxta ipsum inveniebatur in textu hebraico — posuit: « *ipsa* conteret ». Probabiliter hoc fecit sub influxu dogmatico, eo quod christiana traditio iam tunc in *muliere* illa B. Virginem videbat. S. Hieronymus traditionis testis est; ergo significationem *implicitam* explicitam reddidit.

6. S. AUGUSTINUS (354-430) ¹

Natus est Tagaste Numidiae a. 353, ex Patricio gentili et ex Monica christiana; Madauræ et Carthagine in studium litterarum incubuit. Anno 374 in Manichaeorum sectam incidit. Rethoricam docuit Tagastæ, Carthagine, Romæ et tandem Mediolani, ubi a S. Ambrosio, nocte paschali a. 387 baptizatus est. Anno 388 in Africam reversus est, ubi presbyter et postea Episcopus Hipponensis a. 395 ordinatus est. Die 28 augusti anni 430, senio morboque confectus, obiit, eiusque corpus Ticini nunc asservatur

« S. Augustinus Tertulliani fecundum ingenium, Origenis amplissimam scientiam et eruditionem, S. Cypriani sensum ecclesiasticum, maiestatem S. Ambrosii, Basillii gravitatem, Aristotelem et Platonem, ingenium romanum cum graeco et fervore punico in se conciliavit. Augustinus est vir sine controversia magnus. Iure merito "maximus orbis catholici magister" vocatur. Solus Origenes cum S. Augustino potest comparari quoad influxum, quem in posteros exercuit. Ex S. Augustino theologia mediaevalis fere suam scientiam hausit » (STEIDLE, *Patrologia*, p. 169).

Mariologia S. Augustini sat evoluta apparet, multaque praebet elementa in variis operibus dispersa. Temporibus eius, ob evolutionem Christologiae, etiam Mariologia evolvebatur. S. Augustinus prout ipsimet Protestantes fatentur (cfr HARNACK, *Lehrb. der Dogmengesch.*, t. 3, p. 217) nedum huic evolutioni obstitit, ei maxime favit.

Sunt tamen apocrypha aut saltem dubia: a) *Sermo 20 de Nativitate Domini ad Fratres in Eremo* (PL 40, 1267-1268); b) *Sermones 120-128 in Natali Domini* (PL 39, 1984-2000); ² c) *sermo 208 de Assumptione B. Mariae* (PL 39, 2134-2137), qui pertinet ad Fulbertum Carnotensem vel ad Ambrosium Autpertum; d) *Sermones*

¹ ALVÉRY A., *Mariologie Augustinienne*, in *Rev. Aug.*, 1907, t. 11, pp. 705-719; CAPELLE B., O. S. B., *Notes sur des textes de saint Augustin relatifs à l'Immaculée Conception*, in *Mémoires et Rapports du Congrès Marial tenu à Bruxelles*, 8-11 sept. 1921, t. 1, pp. 84-92; COPPENS J., *Augustinus Marialeer*, in *Handelingen van het Vlaamsch Maria-Congres te Brussel*, 1921, I, 208-238; FRIEDRICH PH., *Die Mariologie des hl. Aug.*, Köln, 1907; JUGIE, *Immaculée Conception*, in *Dict. de Théol. Cath.*, t. 7, coll. 882-885; PORTALIÉ, in *Dict. de Théol. Cath.*, art. *Augustin (S.)*, t. 12, coll. 2371-2375; PROTIN, *La Mariologie de S. Aug.*, in *Rev. Aug.*, t. 1 (1902), pp. 375-396.

² Sermo 128 legitur in lectionibus II Nocturni Vigiliae Epiphaniae et Purificationis. A P. Morin tribuitur S. Fulgentio (533) aut Arnoldeo Iuveni. Ideae tamen in ipso expressae ad S. Augustinum pertinent.

193-195 *de Annuntiatione Domini* (PL 39, 2102 ss.);¹ e) *Sermones 131-139 in Epiphania Domini* (PL 39, 2006-2018); f) *Sermo 122 in Natali Domini* (PL 39, 1989) pertinens — iuxta quosdam — ad Maximum Episcopum (c. a. 400); g) *Sermones 369-372 de Nativitate Domini* (PL 39, 1655-1664); h) *Sermones 373-375 de Epiphania Domini* (PL 39, 1664-1669); i) *Sermo de Symbolo ad Cathecumenos* (PL 40, 638-668); l) *De Assumptione liber unus* (PL 40, 1140-1147); m) *Epistula X de Assumptione Virginis Mariae* (PL 30, 147-150) quae pertinent — prout iam diximus — ad Fulbertum Carnutensem († 1029); n) *Cantici « Magnificat » expositio* (PL 40, 1138-1142), infelix extractus ex tractatu composito ab Hugone a S. Victore († 1140); o) *Homiliae 1-9 de Expositione in Apocalypsim B. Ioannis* (PL 35, 2433-2460).

Mariologia augustiniana ad haec praecipua capita reduci potest:

a) DE B. VIRGINE CONSIDERATA IN ORDINE AD DEUM.

1. **De praedestinatione B. M. V.** « Ideo Virginem matrem ... quam eligeret creavit, de qua crearetur elegit » (*De peccatorum meritis et remissione*, l. II, cap. 24, PL 44, 175). Munus vero maternitatis corredemptricis, iuxta ipsum Dei consilium, optime illustrat Augustinus. Deus, enim, iuxta ipsum, voluit Redemptorem ex Virgine nasci non solum ut honoraretur uterque sexus (*De agone christiano*, c. 22, PL 40, 303) sed etiam ratione magni cuiusdam sacramenti: « Huc accedit magnum sacramentum, ut quoniam per feminam mors nobis acciderat, vita nobis per feminam nasceretur »; et adiungit quod oportebat ut diabolus ab utroque sexu vinceretur. Cooperatio igitur Virginis ad opus redemptionis, non est tantummodo consecrarium divinae maternitatis, sed est primaria Dei intentio.

2. **De maternitate divina.** Pluries illam affirmat ac laudibus extollit. « Natus est DEUS ex femina » (*De Trin.*, l. VIII, c. 5, n. 7, PL 42, 952. Cfr *De Genesi ad litt. lib. imperf.*, c. I, n. 4, PL 34, 221; *Serm.* 186, n. 1, PL 38, 999). Ipsa est « Mater Domini nostri Iesu Christi » (*Speculum pecc.*, c. 7, l. c., col. 886); « Creatus est de ea quam creavit » (*Serm.* 189, *in Nat. Dom.*, l. c., col. 900); « Efficitur subito praegnans beata *Dei Genitrix*, et cuncta per saecula praedicatur hinc felix » (*Sermo* 194, *in Annunt. Dom.*, l. c., col. 916). — Contra quosdam haereticos « quos cavendos praemonuit Apostolus », dicentes « quod Iesus non sit natus de Maria Virgine, S. Augustinus respondet animadvertendo quod ille idem Evangelista Ioannes in quo verba illa leguntur, scripsit: « Et erat ibi *mater* Iesu » (*In Ev. Ioannis*, tract. 9, cap. 2, l. c., coll. 881-883).

Maternitatem divinam extollit asserens quod Mater Domini est « dignitas terrae » (*De Genesi contra Manich.*, c. 24, l. c., col. 871).

¹ Sermo 194 legitur in festo Nativitatis B. Virginis. Fragmenta huius sermonis inveniuntur in *Serm.* 9 *De Annunt.* qui Fulberto Carnotensi aut Ambrosio Autperto tribuitur. In utroque precatio liturgica invenitur: « Sancta Maria succurre miseris... ». Cfr AGIUS A., in *The Clergy Rev.* 24 (1944) 144-48.

b) *DE B. VIRGINE CONSIDERATA RELATE AD HOMINES.*

1. **Cooperatio B. M. V. ad opus redemptionis.** « S. Augustin a plus que tout autre Père insisté sur le rôle incomparable de Marie dans la Redemption ». Ita CAYRÉ, in *Précis de Patrologie*, vol. I, p. 660.

In 1. *De agone christiano*, 22, 24 (PL 40, 303): « Huc accedit magnum sacramentum; ut quoniam per feminam mors acciderat, vita nobis per feminam nasceretur: et de utraque natura, i. e. feminea et masculina victus diabolus cruciaretur ».

In Sermone 21, c. 2 (PL 38, 335): « Decipiendo homini propinatum est venenum per feminam: reparando homini propinetur salus per feminam. Compenset lfemina decepti per se hominis peccatum, generando Christum ». « Salus nostra facta est, cum femina concepit in utero carnem Omnipotentis » (Sermo 289, PL 38, 1308).

2. **Maternitas spiritualis hominum.** In serm. 192, 2 (PL 38, 1012) scribit: « Quomodo autem non ad partum virginis pertinetis, quando Christi membra estis? Caput vestrum peperit Maria, vos Ecclesia. Nam ipsa quoque et mater et virgo est: mater visceribus charitatis, virgo integritate fidei et pietatis. Populos parit, sed unius membra sunt, cuius ipsa est corpus et coniux, etiam in hoc similitudinem gerens illius virginis quia et in multis mater est unitatis ».

In *De Virg.* (PL 40, 399): « Mater eius (Christi) est tota Ecclesia quia membra eius, id est fideles, per Dei gratiam ubique parit ». « Illa una femina non solummodo spiritu, verum etiam corpore, et mater est et virgo et mater ... Maria est mater quidem spiritu, non capitis nostri, quod est ipse Salvator, ex quo magis illa spiritualiter nata est, quia omnes qui in eum crediderint, in quibus et ipsa est, recte filii sponsi appellantur: sed plane *mater membrorum* eius, quod nos sumus, quia cooperata est charitate ut fideles in Ecclesia nascerentur, qui illius membra sunt: corpore vero ipsius capitis mater ».

c) *DE B. VIRGINE CONSIDERATA IN SEMETIPSA.*

I. – De pertinentibus ad animam B. M. V.

I. *De immunitate a qualibet macula peccati.*

Certissime S. Augustinus immunitatem Deiparae cognovit ab omni culpa *actuali*. At, quaeri potest: cognovit ne immunitatem etiam a culpa *originali*?... Quidam catholici (e. g. PORTALIÉ, l. c., col. 2775; JUGIE, l. c., col. 883; SCHWANE, *Dogmengeschichte*, t. 2, p. 691; MUELLER S. I., in *Miscellanea di Studi agostiniani*, pp. 885-914, Roma, 1931, etc.) et etiam quidam protestantes (e. g. SCHAFF, *Saint Augustin*, 1886, p. 98) *affirmative* respondent. Alii e contra (FRIEDRICH,

l. c., pp. 202-210; TIXERONT, *Histoire des dogmes*, §II, pp. 471-472; CAPELLE, l. c.)¹

negative respondent. Alii tandem, mediam veluti viam tenentes inter affirmantes et negantes, asserunt textibus illis immaculatam conceptionem proprie probari non posse. At, duobus textibus rite perpensis, nobis videtur S. Augustinus immaculatam Conceptionem *sufficienter* saltem docuisse.

Textus S. Augustini duo sunt: 1) *Primus textus* est responsio quaedam ad obiectionem Pelagii asserentis hominem sine peccato vivere posse. Ita vixerunt plures iusti V. T. et etiam Deipara «quam sine peccato confiteri necesse est pietati»² (*De libero arbitrio*). S. Augustinus vero respondet omnes illos iustos in vita peccasse; at relate ad B. Virginem adiungit: «excepta sancta Virgine Maria de qua PROPTER HONOREM DOMINI, nullam prorsus cum de peccatis agitur haberi volo quaestionem: unde enim scimus quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum quae concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum» (*De nat. et grat.*, c. XXXVI, n. 42, PL 44, 267).

Circa hunc textum haec animadverti possunt:

a) Verum quidem est ibi agi *directe* de peccato actuali; *indirecte* tamen ibi agitur de peccato *originali*, eo quod iuxta S. Augustinum, causa inevitabilitatis peccati *actualis* est plaga peccati *originalis*; ablato in B. Virgine igitur *effectu* peccati *originalis* (i. e. quodlibet peccatum *actuale*), tollitur etiam causa eiusdem (i. e. peccatum *originale*). Posset quidem obici quod *effectus* peccati *originalis* (i. e. peccatum *actuale*) in B. Virgine *suspensus* fuit, remanente tamen *causa* peccati (i. e. peccato *originali*). At responderi potest quod S. Augustinus non distinguit inter peccata: «cum *de peccatis* agitur ...» et Pelagius ex carentia peccatorum actualium in quibusdam Sanctis, ad negationem peccati *originalis* procedebat.

b) Attamen, praecedens conclusio infirmari videtur a theoria S. Augustini circa *essentiam* peccati *originalis*. S. Augustinus enim peccatum *originale* agno-

¹ CAPELLE post accuratam analysim utriusque textus, ad hanc duplicem conclusionem pervenit: « 1. Les écrits antipélagiens de saint Augustin renferment un témoignage, trop peu remarqué, de la vénération singulière de l'antiquité chrétienne envers la sainte Vierge et de la croyance, générale en Occident vers l'an 400, dans sa perpétuelle et inaltérée sainteté.

« 2. L'importance de saint Augustin dans l'histoire du dogme de l'Immaculée-Conception peut être définie comme suit: le jour où, pour la première fois en Occident, le problème fut nettement posé, saint Augustin qui n'avait pas les éléments pour le résoudre, eut, du moins, la rare sagesse de n'en supprimer ni dissimuler ni réduire aucune des données; par son respect pour la Tradition vivante qui vénérât l'immaculée sainteté de la Vierge, il a couvert de son autorité protectrice le germe précieux d'où devait un jour éclore le plus beau des dogmes mariales » (l. c., p. 92). Et alibi: « Il faut renoncer à voir en lui un défenseur du dogme de l'Immaculée-Conception » (p. 86).

Eadem plus minusve repetit in *Recherches de Théologie ancienne et médiévale*, 1932, pp. 361-370, ubi refutat assertiones p. Müller S. I.

² Ex verbis istis patet immunitatem B. Virginis a quolibet peccato fuisse *communem* sententiam in *Ecclesia Occidentali* circa a. 400.

scit in *concupiscentia* praesertim carnali, et in ipsa duplicem respectum distinguit: reatum *culpae* et *poenam* peccati. Reatus *culpae* tollitur per baptismum, etsi concupiscentia, prout est *poena* peccati, in baptizatis remaneat. Quamvis igitur non expresse, vere tamen in natura peccati originalis privationem iustitiae et gratiae includebat. Licet ergo baptismus auferat concupiscentiae, in actu generationis, rationem peccati, puer tamen qui generatur, cum nondum receperit baptismum *peccator* est, seu, prout dicit S. Augustinus, est « caro peccati », eo quod natus est modo ordinario « ex voluntate carnis ». *Solummodo Christus*, qui *ex Deo* et *ex* matre virgine est, non est « *caro peccati* » sed tantummodo « in similitudinem carnis peccati » (Rom. 8, 3). Etiam B. Virgo, sicut alii, iuxta S. Augustinum, est « caro peccati »: dicit enim Christum natum esse sine peccato « de materna carne peccati » (*De peccatorum meritis et remissione*, cap. 24). At, probabilissime S. Augustinus asserere voluit tantummodo B. Virginem vi conceptionis *activae* et *passivae* inchoatae fuisse *carnem peccati* et ideo originalem culpam (in instanti conceptionis *passivae*) incurrere *debuisset*, non vero de facto incurrisse. Relate vero ad Christum, dicendum est ipsum *de iure* immunem fuisse a peccato originali; B. Virginem, e contra, solummodo per *exceptionem*; dicit enim S. Augustinus: « EXCEPTA S. Virgine ... ».

2) *Secundus textus* invenitur in opere imperfecto *contra Iulianum*, a S. Doctore circa finem vitae suae (a 428-430) conscripto. Iulianus, Ep. Eclanensis, discipulus Pelagii, contra S. Augustinum existentiam peccati originalis vindicantem, scribebat: « Ille (Iovinianus) virginitatem Mariae partus conditione dissolvit; tu (Augustine) ipsam Mariam diabolo nascendi conditione transcribis » (l. IV, c. XXII, PL 45, 1417 sq.). Augustinus vero respondit: « Non transcribimus diabolo Mariam conditione nascendi, sed ideo¹ quia ipsa conditio solvitur gratia renascendi ».

Huius textus duplex interpretatio data est. Prima interpretatio sic sonat: « gratia renascendi abrogat (simpliciter) hanc conditionem nascendi, seu impedit quominus haec conditio nascendi Mariae applicetur, quae proinde a peccato originali fuit immunis ».

Secunda interpretatio sic sonat: « gratia renascendi abrogat seu tollit (post contractionem peccati originalis) conditionem nascendi ». Ita plures sive ante definitionem dogmatis (cfr SARDI, *Atti e documenti*, ecc., t. 1, p. 862; t. 2, p. 58) sive etiam post definitionem (e. g. ROTTMANNER, *Historisches Jahrb.*, 1898, p. 895, HARNACK, *Lehrbuch der Dogmengesch.* t. 3, p. 217). Ratio praecipua est, in genere, doctrina S. Augustini circa universalitatem peccati; in particulari vero animadvertunt quod verba: « gratia renascendi » mortem spirituales supponunt: non intelligitur enim quomodo quis dici possit spiritualiter *renatus*, nisi prius sit spi-

¹ SALTET, loco *sed ideo*, ponit *sed Deo*. Attamen id non probat (cfr *Bullet. de Littér. eccl.* 1909, p. 323).

ritualiter *mortuus*. Eo vel magis quod S. Augustinus insistit in hoc quod *renascere* supponit *nascere*: « Ex quo conficitur neminem *in suo parente* renasci potuisse non natum » (*De peccat. merit. et remiss.*, II 27, 43 PL 44, 177).

At, contra hanc interpretationem obici potest:

a) Id quod in tali interpretatione, a gratia renascendi tolleretur, non esset iam *ipsa conditio* seu lex nativitatis humanae, Deiparae applicata, sed tantummodo *status peccati* qui ordinarie consequitur conditionem inhaerentem nativitati humanae. Iamvero, S. Augustinus explicite asserit: « *conditio ipsa* solvitur » non vero « *status peccati* solvitur » (cfr SARDI, l. c., t. 2, p. 58).¹

b) Si ita intelligenda esset responsio S. Augustini, talis responsio fuisset *evidenter illogica* et tanto viro indigna: concessisset enim in secundo membro responsionis (« *ipsa conditio solvitur gratia renascendi* ») id quod in primo membro eiusdem responsionis Iuliano negaverat (« non transcribimus diabolo Mariam conditione nascendi »).²

¹ Putat SALTET (*Bullet. de Littér. eccl.*, 1910, pp. 165-166) quod verba « *ipsa conditio solvitur gratia renascendi* » non ad B. Virginem tantummodo sed ad *omnes praedestinos* applicentur, eo quod omnes praedestinati, iuxta Augustinum, sunt filii Dei etiam ante eorum regenerationem (*De corr. et gratia*, IX, 23). Et ideo nil refert quod in peccato nascantur, eo quod iam subtrahitur sunt a daemone ratione praedestinationis.

At, contra hanc opinionem iure animadvertit CAPELLE: « Comment M. Saltet ne voit-il pas que le texte même qu'il apporte suffit pour détruire son interprétation? Si le prédestiné est à Dieu *avant la régénération*, comment Augustin peut-il dire que Marie est à Dieu *gratia renascendi*? C'est donc — ce qui est d'ailleurs obvie — qu'il n'est pas question ici de la prédestination. D'ailleurs l'interprétation de M. Saltet met sous la plume de S. Augustin une réponse encore moins satisfaisante que l'autre » (l. c., pp. 90-91). Animadvertatur insuper quod praedestinati, ante regenerationem, sunt filii Dei in *potentia* tantum, non vero in actu. Reapse sub daemone captivitate inveniuntur. Cfr. *De nuptiis et concup.* n. 3, PL, 44, 438. « Non negamus adhuc esse sub diabolo nisi renascantur in Christo » cfr *contra Iulian.*, VI, 3; *Opus imperf.*, I, 62, PL, 45, 822, sq., 1081 sq.

² Quidam, de facto (e. g. CAPELLE, l. c.; VACANDARD, *Etudes de critique et d'histoire religieuse*, 3^e série, 1912, p. 254; ALVÉRY, in *Revue August.*, t. II, 1907, p. 705; etc.) censent S. Augustinum modo evasivo, aequivoco, per subterfugium vel lusum verborum respondisse. Ita, e. g. CAPELLE: « Il faut l'avouer. Augustin n'a pas répondu clairement à la difficulté et il n'y a pas mieux répondu parce qu'il était embarrassé. D'une part, il sentait que c'était aller contre le sentiment profond et vrai du peuple chrétien que d'attribuer, même un instant, Marie au démon; mais il savait aussi que seul le Christ est, de droit, exempt de la faute originelle et que la Vierge eut besoin, comme les autres, d'être rachetée. Il ne songeait pas — on ne s'en avisera que bien plus tard — qu'il y a deux modes de rachat: l'un, par guérison de la blessure [originelle]; c'est le notre; l'autre: c'est celui de Marie, par préservation de cette même blessure. Augustin ne sut pas faire la distinction, mais il eut le sens de la réalité complexe [assez pénétrant pour être embarrassé. Ne souriez pas. L'embarras fut ici la marque d'une haute sagesse: celle qui n'esquive aucune donnée d'un problème insoluble ... Si je ne m'abuse, son vrai rôle dans l'histoire du dogme de l'Immaculée-Conception est d'avoir reconnu la valeur de la Tradition antique qui voulait pour Marie la sainteté sans tache. Plutôt que d'y contredire ou de la mettre en doute, il a préféré, par une réponse insuffisante, laisser irrésolu le problème posé et voir

c) Relate ad verba « gratia renascendi » et ad argumentum ex illis deductum; non potest quis dici spiritualiter *renatus* nisi PRIUS fuerit spiritualiter *mortuus*, RESPONDERI potest: pro omnibus aliis hominibus gratia spiritualiter renascendi est posterior, posterioritate *temporis*, morte spirituali; pro B. Virgine, e contra, quae SOLA a S. Augustino a lege communi EXCIPITUR (« excepta S. Virgine... »), gratia illa renascendi est posterior posterioritate TANTUM LOGICA seu naturae (non vero temporis) nativitate naturali. Nativitas enim physica, nativitatem spiritua-lem prioritate logica antecedit.

De cetero, prout bene animadvertit Jugie: « Comme il y a grâce de renaissance ou sacrement de régénération dans l'adulte qui, justifié déjà en raison d'un acte de charité ou de contrition parfaite, reçoit le baptême. Ces dénominations conviennent à la grâce de Jésus-Christ et au sacrement du baptême, en fonction des effets qu'ils sont destinés à produire et qu'ils produisent en fait en soi, comme terme d'une génération humaine soumise du côté des parents aux conditions communes, ne peut-on pas dire que la grâce, reçue au premier instant de son existence, constitue pour elle une seconde naissance et que, par rapport à la mort spirituelle contractée en droit, de près ou de loin, il y a, dans le même sens, renaissance? La naissance physique ne peut-elle pas précéder, d'une antériorité logique, la naissance spirituelle? N'est-ce pas d'une façon analogue que, dans le passage dont nous nous occupons, saint Augustin attribue à la grâce *redemptrice* du Christ, non seulement de remettre les fautes commises, mais encore de prévenir les chutes? " Quod non vis dicimus, non nisi per gratia liberari (homines) non solum ut eis debita dimittantur, verum etiam ne in tentationem inferantur ". Bien plus, saint Ambroise ne craint pas d'appliquer à Notre-Seigneur lui-même l'idée de renaissance, c'est-à-dire de naissance spirituelle par opposition à la naissance matérielle ou physique: " cum ipse Dominus Iesus Christus de Spiritu Sancto et natus sit et RENATUS, *De Spiritu Sancto*, l. 3, c. 10; n. 65, PL 16, 791 " » (i. c., col. 885).

Ex hucusque dictis patet omnino quomodo S. Augustinus immunitatem Virginis etiam a labe originali *sufficiens* docuerit, praesertim si uterque textus simul sumatur: alter enim alterum complet.

« A supposer même — iure scribit Jugie — que l'hésitation soit possible pour qui envisagerait ce texte et les autres, d'un point de vue purement philologique, il reste,

sourire un malicieux adversaire ». Solutio haec, ut candide loquar, parum seria videtur. Esto enim, S. Augustinum distinctionem inter redemptionem *liberativam* et *praeservativam* explicite non tradidisse; illam tamen *implicite* et aequivalenter tradit, et omnino supponit. Etenim: 1) relate ad quodlibet peccatum, *exceptionem* pro sola Virgine ponit; in B. Virgine *ipsa conditio* solvitur; 2) excludit omnino B. Virginem sub potestate diaboli fuisse; 3) haec exceptio et haec exclusio fit pro B. Virgine ob duplicem rationem theologicam: a) « propter honorem Domini », et b) quia « ei *plus gratiae* collatum fuit ad vincendum *omni ex parte* peccatum. » Si « propter honorem Domini » S. Augustinus ab omnibus peccatis actualibus vel levissimis B. Virginem eximit, a fortiori illam eximere debuit a gravi peccato originali quod illam Dei in micam et diabolo subiectam reddidisset. Iamvero si sola B. Virgo per *exceptionem* numquam fuit, per *gratiam* singularem, et propter honorem Domini subiecta diabolo, evidenter fuit a peccato *praeservata*: hoc enim, *aequivalenter* exprimitur.

comme l'a montré W. Scherer, que la psychologie du saint docteur mène au sens immaculiste. Ce n'est donc ni fausser, ni dépasser sa pensée, que de l'admettre. Mis par Julien, en face d'un cas particulier, il applique simplement le principe énoncé quinze ans auparavant: "Quand il s'agit de péchés, qu'il ne soit point question de Marie". On comprend mieux alors tout ce que pouvait signifier, pour son auteur, cette affirmation déjà signalée: "Il fallait que le diable souffrît de sa défaite par les deux sexes, comme il avait joui de son triomphe sur les deux". Triomphe complet sur Adam et Eve, entraînés dans une faute personnelle qui fut le point de départ du péché originel: défaite complète par le second Adam et la seconde Eve, indemnes l'un et l'autre de toute faute, personnelle et originelle » (1. c., col. 885). *Iure prior textus laudatus fuit in Bulla Ineffabilis.*

2. De virtutibus B. M. V.

S. Augustinus laudibus effert: a) FIDEM: « Illa (Maria) fide plena et Christum prius mente quam ventre concipiens » (*De Virgin.*, 3, PL 40, 397-398). « Beatior ergo Maria percipiendo fidem Christi quam concipiendo carnem Christi ... Sic et materna propinquitatis nihil Mariae profuisset, nisi felicius Christum corde quam carne gestasset » (Sermo 215, PL 38, 1074); b) PURITATEM virginalem, prout infra patebit.

II – De pertinentibus ad corpus B. M. V.

B. Virgo a) de tribu regia et sacerdotali originem traxit (*De diversis quaest.*, lib. un., q. 61, n. 2, PL 40, 50); b) fuit morti, de facto, subiecta: « Virgo, concipiens, virgo pariens, Virgo moriens » (*De catechiz. rud.*, c 22, n. 40 PL 40, 339).

III – De pertinentibus ad animam simul et ad corpus

DE VIRGINITATE PERPETUA DEIPARAE. Saepe a S. Augustino inculcatur; e. g. in Epist. 137 *ad Volus.*, n. 8, PL 33, 519; Ep. 162 *ad Evodium*, n. 6, col. 707; *Op. imperf. contr. Iul.*, l. IV, n. 122, PL 45, 1418. In sermone 186, n. 1, PL 38, 999: « Concipiens virgo, pariens virgo ..., virgo perpetua. Quid miraris haec, o homo? ».

7. S. PETRUS Chrysologus († c. 450)

Petrus, propter aureum eloquentiae flumen *Chrysologus* (inde ab a. 830) vocatus, natus est Fori Cornелиi, et sub Sixto III († 440) Ravennatum Episcopus consecratus est. Obit circa a. 450. Pastoralis zelo ac eloquentia enituit. Extant 176 breves sermones qui varios S. Scripturae locos et symbolum explicant. Inter hos sermones, quidam de mysteriis et variis festis B. M. V. agunt (PL 52, 575 sq.).

a) **De divina maternitate.** Ita illam laudibus effert: « Vere benedicta, quae fuit maior caelo, fortior terra, orbe latior; nam Deum quem mundus non capit

sola cepit. Portavit eum qui portat orbem, genuit genitorem suum, nutrivit omnium viventium nutritorem » (Sermo 144, *De Annuntiat.*, PL 52, 584). « Factum est magnum deitatis templum, quae erat pusillum humanitatis hospitium » (l. c., 586).

Contra negantes verum Christi corpus ita insurgit: « *Ecce*, inquit, *concipies in utero*. Propter reverentiam dixisse suffecerat *concipies*; quod exaggerat, *in utero*, quid est? Ut conceptus esset veritas, non figura; ut partus esset proprietas, non imago, ut sicut de Deo vero Deus verus natus est, sic de vero conceptu veritas humani corporis nasceretur. In ortu Christi, fratres, humani corporis iniuria sublata est, non natura; nec est creatura deleta, sed culpa damnata. Est ergo haeresis, quae Christum aërium corpus assumpsisse mentitur: nec habuisse carnem, sed hominem simulasse confingit » (l. c., 586).

« Virgo te gratia matrem praestitit, non natura » (serm. 142, *de Annunt.*, PL 52, 580).

b) **De virginitate Deiparae.** « Virgo concepit, sed de Spiritu; virgo parturiit, sed eum quem praedixit Isaias: Ecce virgo in utero accipiet et pariet filium ... » (Sermo 145, PL 52, 590). Cfr etiam serm. 146, col. 592; serm. 148, col. 596, Christus vocatur Mariani uteri fructus ob illius virginitatem perpetuam (sermo 145, PL 52). « Nemo mysterium coeleste discutiat ratione terrena » (l. c., 597). Cfr etiam sermo 153, PL 52, 607. Maria « permansit virgo post partum » (sermo 48, PL 52, 335). Fratres Christi sunt filii Cleophae, sororis B. Virginis; si Christus fratres habuisset, non commendasset matrem extraneo i. e. Ioanni (serm. 48, 49, PL 52, 334-339). « Virgo concipit, virgo parturit, virgo permanet » (sermo 117, PL 52, 521).

c) **De gratiae plenitudine.** « Ave, gratia plena. Quia singulis gratia se est largita per partes, Mariae vero simul se totam dedit gratiae plenitudo » (sermo 143, *de Annunt.*, PL 52, 583). « Quia in aliis gratia, in te tota gratiae pariter veniet plenitudo » (sermo 140, *de Annunt.*, PL 52, 576). « Invenisti gratiam. Quantam? quantam superius dixerat: plenam. Et vere plenam, quae large totam funderet et infunderet creaturam. Invenisti enim gratiam apud Deum. Haec cum dicit, et ipse angelus miratur, aut feminam tantum, aut omnes homines vitam meruisse per feminam » (sermo 142, *de Annunt.*, PL 52, 580).

« Haec est gratia quae dedit coelis gloriam, terris Deum, fidem gentibus, finem vitiis, vitae ordinem, moribus disciplinam. Hanc gratiam detulit Angelus, accepit Virgo salutem saeculis redditura » (sermo 143, PL 52, 583).

Fidem B. Virginis extollit (sermo 142, *de Annunt.*, PL 52, 581).

d) **Immaculata conceptio.** B. Virgo dicitur Christo « in utero oppignorata cum fieret » (sermo 140, *de Annunt.*, PL 52, 576). In verbis istis quidam immaculatam Conceptionem videre voluerunt.

In serm. 64 (PL 52, 38) Maria dicitur ante, per gratiam, a Christo suscepta, quam homo liberatus a peccato.

e) **Corredemptrix.** « Angelus miratur, aut feminam tantum, aut omnes homines vitam meruisse per feminam » (Serm. 142, PL 52, 580).

Christus, amissam ovem « veniens quaerere in mundo, in utero virgineae regionis invenit » (sermo 168, PL 52, 641).

In sermone 140 (PL 52, 577): « Pavet coelum, tremunt angeli, crea.ura non sustinet, natura non sufficit, una puella sic Deum in sui pectoris capit, recipit, oblectat hospitio, ut pacem terris, coelis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum coelestibus parentelam, ipsius Dei cum carne commercium, pro ipsa domus exigit pensione, pro ipsius uteri mercede conquirat, et impleat illud prophetae: Ecce haereditas Domini, filii merces fructus ventris (Ps. 126) ».

In sermone 142, *De Annunt.*, (PL 52, 579): « Audistis hodie, fratres charissimi, angelum cum muliere de hominis reparatione tractantem. Audistis agi, ut homo cursibus eisdem quibus dilapsus fuerat ad mortem, rediret ad vitam. Agit, agit cum Maria Angelus de salute, quia cum Eva angelus egerat de ruina ». « Merito Virginis salva sunt omnia, quae omnium genuit Salvatorem » (sermo 144, PL 52, 586).

f) **Maternitas spiritualis.** In Serm. 140 (PL 52, 576): « Adiecit (angelus) congrue: Benedicta tu in mulieribus. Quia in quibus Eva maledicta puniebat viscera, tunc in illis gaudet, honoratur, suspicitur Maria benedicta. Et facta est vere nunc mater viventium per gratiam, quae mater exstitit morientium per naturam ».

Item in sermone 64: « mulierem primam suscepit, quam primam suasor infecit; a muliere perfidiam fugat, ad mulierem revocat fidem, ut quae fuit perditionis obsequium, salutis eadem sit ministra; et sit tandem per Deum viventium mater, quae per diabolum diu mater exstitit mortuorum ... Hinc est, fratres, quod per mulierem nascitur Christus; hinc est quod virum mulier semper ventris sui suscitatur de sepulchro, ut doloribus revocet, quem depulit blandimentis, ut flendo repararet quem perdidit manducando ... sine Maria nec fugari mors poterat, nec vita poterat reparari. Veniat Maria, veniat mater Domini baiula, ut videat homo Christum virginalis uteri habitasse secretum, quatenus prodeant ab inferis mortui, exeant de sepulcris » (sermo 64, PL 52, 380-381).

« Et esset omnium viventium mater vera per Christum, quae erat in Adam mater omnium mortuorum. Ob hoc namque Christus nasci voluit, ut sicut per Evam venit ad omnes mors, ita per Mariam rediret omnibus vita » (sermo 99, PL 52, 479).

8. SEDULIUS Caelius (saec. v)

Pauca de ipso cognoscuntur. In studium Philosophiae in Italia incubuit: postea metricam docuit, et in Acaia inter a. 425 et 450 scripta sua edidit. De B. Virgine agit in opere *Carmen Paschale*, lib. II et lib. V, in Elegiis, in Carmine de Incarnatione et in celebri hymno Breviarii « a solis ortus cardi-

ne». ¹ Attamen « Carmen de Incarnatione » (PL 19, 774-778) si dedicationem excipias, ad auctorem ignotum pertinet.

a) **De maternitate divina.** B. Virginem his verbis, a Liturgia postea adoptatis, salutatur: « Salve, sancta Parens, enixa Puerpera Regem, — qui caelum terramque tenet per saecula » (*Carmen Paschale*, PL 19, 599). In *Op. Paschale* ² vero ita haec refert: « Salve, Parens optima, tanti regis puerperio consecrata, qui supernis ita iugiter et infimis dominatur, ut eius imperium, potestas, et nomen nec initium noverit habere, nec finem, quae beati ventris honore conspicuo simul et mater esse probaveris, et virg. Cui nulla penitus aequalis femina reperitur, quae tuum decus similiter praecesserit, aut sequatur, sola placens singulariter Christo, nulli compararis exemplo » (l. c., 599).

b) **De virginitate Deiparae.** B. Virgo est illa « quae — gaudia matris habens cum virginitatis honore, — nec primam similem visa est, nec habere sequentem, sola sine exemplo placuisti femina Christo » (l. c., 590-600). Et alibi, in l. V Carminis Paschalis, canit: « Quae cum clarifico semper sit nomine Mater, — semper Virgo manet » (PL 19, 743).

c) **De perpetua sanctitate Deiparae.** Ad sanctitatem *initialem* Deiparae alludere videtur in sequentibus versibus: « ... Ut unde — culpa dedit mortem, pietas daret inde salutem: — et, veluti ex spinis mollis rosa *surgit* acutis, — nil quod laedat habens, matremque obscurat honore: — sic Evae de stirpe sacra veniente Maria, — virginis antiquae facinus nova Virgo piaret » (*Carmen Pasch.*, l. II v. 26-31, PL 19, 595 sq.). In *opere vero Paschali*, ita versus istos reddit: « ut unde mortem peccata contraxerant, inde vitae pietas enutriret immensa. Et velut rosa suavis, atque mollissima de spinoso cespite nascitur, nil laesura matrem, quam gratia iucunditatis obscurat: ita de stirpe nocentis Evae Maria sacro veniente cum lumine, primae virginis lumen sequens virgo dilueret, ut quae prior natura vitiis inquinata durae necis fuerat conditioni subiecta, nascente Christo per hominem, homo quoque posset renasci per Christum, originalis maculae foeditatem vetustati corporis innovatione positurus » (l. c., 595).

d) **De cooperatione ad redemptionem.** Mariae meritum in redemptione, ita canit: « Unius ob meritum cuncti periere minores, (i. e. posterii Adae) — patuit qua ianua letho: — et qua vita redivit, sola fuit mulier » (i. e. Maria) (Elegia v. 4-8, PL 19, 753).

¹ Sedulius, rogatus a Macedonio, amico suo, *Carmen Paschale* in orationem solutam transulit, cui titulus « Paschale opus ».

² Sedulius primus esse videtur qui admittat Christum, post resurrectionem, Matri suae, omnium primae, apparuisse (*Carmen Pasch.*, l. V, n. 360-122, PL 19, 742-743). Cfr ROSCHINI G., O. S. M., *Intorno all'apparizione di Gesù risorto alla sua SS. Madre*, in *Palestra del Clero*, 1940, fasc. 14, 4. 237.

9. S. MAXIMUS Ep. Taurinensis († post a. 465)

De eius vita pauca cognoscuntur. Interfuit Synodis Mediolanensi (450) et Romanae (465). Plusquam 240 breves sermones (PL 57) reliquit, de quorum tamen authenticitate nondum plene constat. Plura de B. Virgine scribit sive in homiliis de Nativitate Domini, sive in duabus homiliis *de Assumptione B. M. V.* (potius *de Annuntiatione*) quae tamen duae homiliae *dubiae* sunt. Apocryphus est, si exordium excipias, sermo IV *de Natali Domini* (PL 57, 849-851).

Praecipua capita doctrinae marianae haec sunt:

a) **De prophetiis et symbolis B. M. V.** Iuxta S. Maximum Maria, illa Virgo est quae per conceptionem et generationem virginalem Dei, iudum Isaiæ implevit vaticinium de Virgine paritura: «Nascitur salus omnium Christus, quem regem gentium prophetae testantur; nascitur ex Virgine, sicut Isaias declarat, dicens: Ecce, virgo concipiet, et pariet filium et vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus» (Homil. XXVIII, PL 57, 112). Est insuper VIRGA: «Neque enim erat in illo spina peccati, quae verteretur in florem; ipse enim erat flos natus non de spina sed de virga, sicut ait propheta: «Exibit virga de radice Iesse et flos de radice eius ascendet (Is. 11): virga enim erat Maria nitida subtilis, et virgo quae Christum veluti florem integritate sui corporis germinavit» (l. c., 112). Est MANNA: «Quin potius inquit, ipsam Mariam manna dixerim, quia est subtilis, splendida, suavis et virgo, qua veluti caelitus veniens cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit, quem qui edere et manducare neglexerit vitam in semetipso habere non poterit» (Hom. XLV, l. c. 138). Est VELLUS: «Nam quod ita latenter et secreto Salvator descensurus esset in Virginem, iam ante David propheta testatus est dicens: Descendet sicut pluvia in vellus (Ps. 71)... Recte Maria velleri comparatur, quae ita concepit Dominum, ut toto cum hauriret corpore, nec eius discissuram corporis pateretur, sed esset mollis ad obsequium, solida ad sanctimoniam. Recte, inquam, Maria velleri comparatur, de cuius fructu salutaria populi vestimenta laxantur. Vellus plane est Maria, siquidem de molli sinu eius Agnus egressus est, qui et ipse matris laniciem, hoc est carnem portans, molli velleri cunctorum operit vulnera peccatorum» (sermo V, l. c., 409 et 410).

b) **De maternitate divina.** Saepe ab ipso affirmatur Mariam *Theotocos* seu Dei genitricem appellat. Nam in serm. 61, 554 ubi de die natali sancti Ioannis Bapt. disserit, ait: «Cui tanti honoris collata est gloria ut nativitati eius ipsa *Dei genitrix* interesset, eiusque principium latens in utero mundi conditor sua praesentia dedicaret».

Maternitatem divinam Mariae in omnibus suis Homiliis super Nativitatem Domini, perpulchre affirmat atque rationibus illustrat. Ita in Hom. 1, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, etc., in pluribus etiam homiliis de Epiphania necnon in

sermonibus utriusque festi (*De Epiphania*, cfr XXIII [27]; XXV [74]; XXVI [76]; XXVII [82]) nec non in sermonibus IV (403); 4 (409); VIII (416) etc.

c) **De Immaculata conceptione.** B. Virgo, iuxta S. Maximum, est habitaculum gratia originali ornatum: « Natus igitur puer ponitur in praesepio et haec sunt Dei prima cunabula; nec regnator coeli has indignatur angustias, cui habitaculum fuit virgineus venter. Idoneum plane Maria Christo habitaculum, non pro habitu corporis, sed pro gratia originali » (l. c., Hom. V, 18). Sat aperte igitur admittere videtur in B. M. V. statum iustitiae originalis.

d) **De virginitate perpetua Deiparae.** Maria est Virgo ante, in, et post partum. « Probat ergo veritatem Domini ordo nascendi. Concepit virgo virilis ignara consortii: impletur uterus nullo libatus amplexu et Spiritum Sanctum castus venter excepit, quem pura membra servarunt, innocens corpus gessit. Videte miraculum matris Domini: Virgo est cum concipit, virgo cum parturit, virgo post partum. Gloriosa virginitas et praeclara foecunditas. Virtus mundi nascitur et nullus est gemitus parturientis: varcatur uterus, infans excipitur, nec virginitas violatur » (Hom. V, 18). Alibi possibilitatem huius facti contra « philosophos gentium prudentesque mundi » probat per recursum ad divinam omnipotentiam: « Voluit hominem de limo formare et fecit. Voluit Israeliticum populum per maris undas sicco pede transire, et factum est: ad Iosue preces solem in suo cursu stare iussit et stetit. Voluit demum intactam virginem, virginitate illi permanente, puerum parere et ipsa peperit » (Hom. IX, 26). S. Maximus numquam in Homiliis de Nativitate Domini vel Mariam nominat, vel ad Ipsam eiusque partum alludit quin explicita vel consimili appellatione, eius Virginitatem exprimente semper utatur. Sic in 1 Hom.: « ut cuius nativitas per immaculatam virginem constitit ». In 4 Hom., 16: « ... laudatur vestimentum non quod mulierum manus texuit sed quod Mariae virginitas procreavit ». In 5 Hom. 18 explicitis omnibus verbis sive antea, sive in, sive post partum eius celebrat virginitatem. In 6 Hom., 30: « Ortus est in tempore ex immaculata virgine ». In 7 Hom. virginitatem Mariae omnipotentia divina defendit: « Ille enim idemque Deus, qui coelum atque coelos coelorum singula etiam quae in eis sunt, divina arte aliquando vocavit ex nihilo, ille qui terram, aquas et maria atque illa quae in eis continentur, omnipotenti Verbi sui virtute ex nihilo pariter efformavit, ille est qui Virgini partum dedit et sobolem. — Si Deum credis coelum, solem, stellas condere potuisse ex nihilo; si terram, maria, animantia universumque huius spectabilis mundi ornatum: si hominem demum ex limo potuisse fingere, cur illum intactae virginis ipsius Dei operante virtute dare non potuisse contendis? Quae enim maior omnipotentis Dei virtus erit cuncta quae in coelis et in mundo videt creavisse ex nihilo aut in *intemeratae virginis utero nullo praecedente carnali amplexu* hominem creare? ». Et ita in sequentibus homiliis super Nativitatem Domini, in quibusdam etiam de Epiphania. Cfr XXIII (67), XXV (74), XXVI (76), XXVII (82); necnon in sermonibus, IV (403), V (409), VIII (415-416).

Sicut numquam fere nativitatem Domini a divina Maternitate Mariae seiungit, ita numquam hanc maternitatem commemorat, quin et virginalem fuisse concederet.

C) *Aetas Patrum Minorum (saec. VI-VIII)*

I. Patres Orientales

1. S. LEONTIUS Byzantinus (c. 485-c. 543)

Ex nobili stirpe ortus, ab adolescentia vitam monasticam amplexus est, quaestionesque theologicas impense adamavit. Contra Nestorianismum et Monophysitismum strenuus propugnator evasit, ac inter graecos Theologos incipientis saec. VI principem sibi locum vindicavit. Primus Aristotelicus Patrum Graecorum vel Scholasticus appellatus est.

Huic auctori tributus fuit « Tractatus contra Nestorianos » constans libris septem, in quorum quarto continetur tractatus vere amplissimus et completus, apologeticus, cui titulus: « Ipsorum sacram Virginem, Deiparam dicere recusantiam, quartae impietatis, confutatio » (PG 86, 1399-1767). In hoc tractatu plures difficultates solvuntur contra divinam Maternitatem, et natura huius maternae praerogativae mirifice illustratur.

Loquitur de B. Virgine in II ex tribus libris « *adversus Nestorianos et Eutyrianos* », et praesertim de divina Maternitate loquitur (*Spicil. rom.* t. 10, n. II, pp. 1-39; 66-94; 94-127). Sanctitas Deiparae, sanctitatem omnium hominum superat.¹

2. S. ROMANUS Melodus († c. 550)²

Fuit natione Syrus. Per breve tempus diaconus fuit Berythi. Sub Athanasio I († 518) Constantinopolim venit, ubi elegantissima carmina sua composuit. Inter omnes poetas byzantinos principem locum obtinet. De B. Virgine saepe et libenter — sicut S. Ephraem — loquitur. Et est primus, inter Graecos, qui tam abundanter et tam peramanter de ipsa locutus est.³ Cfr AMANN E., in *Dict. de Théol. Cath.*, t. 13, 2895-2898.

a) De prophetiis et figuris B. M. V. In ore Simeonis haec verba ponit: « Tous les prophètes ont annoncé ton Fils que tu as enfanté sans semence » (*Hypapante*, ser. 9, CAMMELLI, *Romano il Melode*, Firenze, 1930). Laudat in particulari pro-

¹ Cfr GRUMEL, in *Dict. de Théol. Cath.*, art. *Léonce de Byzance*, col. 421.

² Cfr CHEVALIER C., S. I., *Mariologie de Romanus (490-550 environ) le Roi des Mélodes*, in *Recherches de Science Religieuse*, t. 28 (1938), pp. 48-71.

³ « Romanus est le premier des Grecs qui ait cette abondance. Il est donc l'apôtre d'une nouvelle forme de dévotion à la Théotokos; c'est un point important dans l'histoire de la Mariologie » (CHEVALIER, l. c., p. 69). Et alibi: « Témoin autorisé de la liturgie et de la piété de son temps, un peu pionnier, remercions-le des notions claires et consolantes qu'il nous transmet. Pour l'histoire, un tesson peut valoir un bijou d'or » (ibid., p. 71).

phetiam Isaiae (de Virgine matre Emmanuelis, de virga germinante), Balaam (de stella) et praesertim Ezechielis (de porta clausa). Figuras B. M. V. videt in puteo clauso, in nube, in monte mystico, in pluvia, in arca, etc. ...

b) **De maternitate divina.** Pluries de divina maternitate agit. « C'est une grande chose — que j'enfante une fille — qui enfantera le Maître des siècles » (*Nativ. de Marie*, str. 8, PITRA, o. c., p. 200).

c) **De sanctitate Deiparae.** S. Romanus profitetur immunitatem Virginis a quolibet peccato. In verbis Lucae II, 35, de gladio praedicto a S. Simeone, non videt dubium de divinitate Filii; in ore enim Virginis stantis iuxta crucem haec verba ponit: « Même si la Croix te porte, Tu es mon fils et mon Dieu » (CAMMELLI, l. c., p. 337).

Mariae vita est exemplum pro omnibus: « Le chemin est direct, personne ne nous décevra. — Marie nous a montré la voie droite » (*Adam et Préc.*, str. 11, PITRA, o. c., p. 27).

S. Romano attribuitur etiam hymnus Akátistos, in tota Graecia celeberrimus (PG 92, 1305 sqq.).

De auctore huius carminis valde disputatum est. Combefis (PG vers. lat., 46, IIII) illum Georgio Pisidae tribuit. At rationes ab ipso adductae id minime probant. Alii illum tribuerunt Sergio Patr. Constant. († 638), aut etiam S. Germano.

At, EUSTRATIADIS in suo op. circa Romanum Melodem, Thessalonic., 1917, n. 20, 21, S. Romano illum tribuit, argumentis sat validis. In cod. quodam saec. XIII in conventu Thessalonicensi asservato, S. Romano tribuitur. Huic sententiae adhaeret etiam Krypiakievicz.

Primum ad mysterium Incarnationis celebrandum compositum est. Postea vero Byzantini pro generali carmine eucharistico habuerunt. Est veluti *Te Deum* Ecclesiae Graecae.

NOMEN *Akátistos* ethymologice significat *non sedens*, et ex hoc ei derivatum est quod populus et clerus integram ducebant noctem *stantes* (in piedi), laudibus Virginis concinendis intenti. Nescimus quonam tempore introductus fuerit hymnus iste in liturgia et diei sabbati hebdomadae quintae Quadragesimae assignatus.

Acathistus 24 strophis constat, ordine alphabetico dispositis. Strophae longiores strophis brevioribus alternantur. Longiores strophae concluduntur verbis: « *Ave, sponsa innupta* », breviores vero verbo: « *Alleluia* ». Quaelibet stropha longior duplicem veluti partem habet: prima continet historiam et doctrinam, secunda vero acclamationem seu invocationem aliquam duodecim vicibus repetitam.

DOCTRINA MARIANA in hoc hymno contenta, ad haec praecipua capita revocari potest:

I. DE EXCELLENTIA DEIPARAE: « *Ave, humanis cogitationibus inaccessa altitudo* », « *ipsis Angelorum oculis invisibilis profunditas* », « *quoniam Regis es tronus* », « *quoniam portantem omnia portas* ». « *Ave, stella, quae Solem profers* », « *miraculorum Chri-*

« *cordium* », « dogmatum ipsius principium », « quae lucem ineffabiliter genuisti », « quae sapientum cognitionem transcendis », « agni et Pastoris mater », « firmum fidei fundamentum », « splendor mystici diei », « incomprehensibilis Dei comprehensio », « sanctissimus eius qui sedet super Cherubim », « sapientiae Dei receptaculum », « Providentiae ipsius promptuarium ».

2. DE VIRGINITATE DEIPARAE. « Cum seipsum nobis ille, a quo sumus facti, manifestavit Creator, novum ostendit genus creaturae: ex ventre enim germinavit sine semine, ipsum qui ventrem relinquat sicuti erat, incorruptum; ut nos miraculum videntes, laudamus ipsam Virginem clamantes: Ave, flos incorruptibilitatis, Ave, corona continentiae... Ave, quae angelorum vitam repraesentas... ». « Ave, quae virginitatem et partum coniunxisti ». « Rethores eloquentissimos, quasi mutos pisces esse circa te videmus, in Deipara: non enim satis sunt explicare, quomodo et virgo permanes, et parere posses ».

3. DE MEDIATIONE B. M. V. Pluries, pluribusque modis, sive in genere, sive in specie, mediatio B. M. V. exprimitur.

4. COOPERATIO AD REDEMPTIONEM. « Ave, per quam splendet laetitiae; Ave, per quam deficit maledictum. Ave, lapsi Adae revocatio. Ave, lacrymarum Evae redemptio... Ave per quam renovatur Creatura... ». « Ave scala caelestis, per quam Deus descendit... Ave, mirum luctuosa daemonum clades », « totius orbis propitiatio », « ianuarum paradisi reseratio », « Ave, quoniam caelestia laetantur cum terra. Ave, quoniam terrestria committuntur cum caelis », « Ave, per quam spoliatus est infernus. Ave, per quam induti sumus gloria ». « Ave, generationum omnium laetitia », « Ave hominum erectio. Ave, imperium subversio. Ave, quae fraudis errorem conculcasti », « Ave, quae gignis Redemptionem captivis », « Ave, per quam soluta est praevaricatio. Ave, per quam apertus est Paradisus » « Ave, auctrix spiritualis reformationis ».

Omnes redemptionis effectus, ut patet, clarissime a Virgine *immediate* repetuntur.

5. MATERNITAS SPIRITUALIS. Sat aperte in quibusdam salutationibus innuitur. Sic, « Ave, tu enim turpiter conceptos regenerasti », ¹ Ave auctrix spiritualis reformationis ».

6. DISTRIBUTIO OMNIUM GRATIARUM. Salus et omnes gratiae salutis numerantur, omnesque a Virgine et quidem *actualiter*, saltem pluries, repetuntur: « Ave, pons terrefragus ad caelum deportans... Ave quae fidelium mentes illuminas », « Ave, quoniam facis efflorescere pratum deliciarum. Ave, quoniam praeparas portum animarum... Ave, Dei benevolentia erga mortales », « Ave, hostium invisibilium propulsatio. Ave, ianuarum paradisi reseratio », « Ave quae a barbara superstitione redimis. Ave, quae ab operum opere eximis... Ave, quae a flamma passionum eruis. Ave, fidelium temperantiae gubernatrix. Ave, generationum omnium laetitia », « Ave, ignea columna, quae agentes in saeculis dirigit, Ave, mundi umbraculum nube longius se extendens... Ave, sanctarum deliciarum ministra. Ave, terra promissionis, ex qua fluit mel et lac ». « Ave, arbor paradisi fructu dives, quo fideles nutriuntur. Ave, lignum, cuius grata foliorum umbra refrigerantur multi... Ave, multorum peccantium indulgentia. Ave, stola eorum qui nudi sunt fiducia ». « Ave, clavis regni Christi. Ave, spes aeternorum bonorum ». « Ave, quae

¹ Est eo quod B. Virgo regeneravit « turpiter (i. e. in peccato originali) conceptos », sat aperte supponitur ipsam non fuisse turpiter seu in peccato originali conceptam.

piscatorum sagenas imples. Ave, quae a profundo ignorantiae extrahis. Ave, quae multos in scientia illuminas. Ave, navis servari cupientium, Ave, portus in hac vita navigantium », « Virginum et omnium ad te confugientium murus », « columna virginitatis », « porta salutis », « divinae bonitatis ministra », « Ave, quae fideles aptas Domino. Ave, speciosa Virgo virginum altrix. Ave, sanctorum animarum pronuba », « Ave, fulgor animas illustrans. Ave, ut tonitru hostes consternans. Ave, quoniam splendorem emittis multiplicem. Ave, quoniam flumen effundis multifluum. Ave, quae piscinae refert imaginem. Ave, quae sordes tollis peccati. Ave, pelvis abluens conscientiam. Ave, crater miscens exultationem. Ave, bonus odor suavitatis Christi... Ave, vita mystici convivii ». « Ave, thesaurus vitae inexhaustus », « Ave, Ecclesiae turris inconcussa. Ave, regni murus inexpugnabilis. Ave, per quem excitantur tropaea. Ave, per quam concidunt hostes. Ave, corporis medela, Ave, animae meae salus. O cunctis laudibus honoranda Mater, quae sanctorum omnium sanctissimum verbum peperisti, praesenti oblatione suscepta, ab omni calamitate cunctos libera, et a futuro redime supplicio ad te clamantes: aileluia¹ ».

3. ABRAHAM Ep. Ephesinus (med. saec. vi)

Nobis reliquit praeclaros duos sermones mariologicos. Ed. M. KRASCHENIKOV, Dorpat 1912; JUGIE, *Byzantinische Zeitschrift*, 1913, 37 sqq.; BARDENHEWER, *Zeitschrift Kath. Theol.*, 1933, 426 sqq.

4. S. ANASTASIUS I Patr. Antioch. († 599)¹

Fuit monachus, et postea, a. 559, Episcopus Antiochenus. De ipso habentur sermones in *Annuntiationem Deip.* (PG, 89 1375-1390).

Praecipua doctrinae marianae capita in ipsis contenta haec sunt:

a) **De maternitate divina.** « Lacte, infantis instar, eum pavisti *qui dat escam omni carni*. Sub tuam mammam, tamquam parvulum eum collegisti, qui fontis instar, lac puerperis scaturit, quo illae parvulos alant. Etenim, facta es mater, non puri hominis, aut alicuius prophetae, aut Deum in se hospitem habentis; sed vere *Mater magni Dei ac Salvatoris N. I. C. Quis loquetur potentias Domini?...* Quae auris capere poterit? Quis sermo dignus invenietur eorum quae intelliguntur, interpres? » (PG 89, 1387).

b) **De immaculata conceptione.** In sermone II legitur: « Ave, gratiosa; Dominus tecum: quod facta sis nobis salutis via, ascensusque ad superos, ac locus requietionis, refrigeriique tabernaculum in quo Dominus habitavit. Quamobrem cum omnibus generationibus te solam beatam in mulieribus dicemus, quam neque sol, voluptatis flammam immittens, adussit, neque fluxa vis lunae noctu laesit. *Non enim dcdisti in commotionem pedem animi, sed eo fixo in petra inflexa mansisti: teque Dominus custodivit, in te solus ingrediens ac ex te egrediens,*

¹ Cfr VAILHÉ S., in *Dict. Théol. Cath.*, t. I-I, col. 1166. Vailhé tenet duos istos sermones esse dubiae authenticitatis (l. c.).

causamque ac obsignatam in aeternum servans » (l. c., 1377). Et in sermone II, S. Anastasius in B. Virgine salutatur « solam illam inter virgines gratiosam, pulchram, immaculatam, sanctam, Dei Genitricem Mariam » (l. c., 1378). Iamvero si B. Virgo caruit effectibus peccati originalis (i. e. concupiscentia etc.) etiam causa i. e. peccato originali carere debuit.

c) **De perpetua virginitate Deiparae.** « Concepisti absque viri ulla coitione; innumpta peperisti ... sola Mater simul ac Virgo effecta fuisti. Neque enim partus virginitatem prohibuit, neque conceptio integritatem substulit. Inviolatum servasti virginitatis thesaurum etiam post partum » (l. c., 1387).

d) **De mediatione B. M. V.** Etiam hoc doctrinae Mariologicae caput sat aperte innuitur. Scribit enim: « O divina ac beata Virgo, extensa ad caelum scala; paradisi porta; *ingressus ad incorruptionem; hominum ad Deum unio ac consortio* » (l. c., 1390). « Sicut per feminam mors causata est, sic oportuit dispensari salutem per feminam. Per illam deceptam voluptate omnes mortui sumus, per hanc vivificati sumus: non ea tantum accipientes a quibus excideramus, sed longe maiora ac pretiosiora, quae neque humanus intellectus possit concipere, nec oculus eorum valet assequi speciem, sed et auditu ferre nequeat » (l. c., 1383). Dies annuntiationis vocatur « *mundi universi natalitius dies*: quippe quae universa suo quaque ordine asserta sunt; priorque deformitas decorem accepit » (l. c., 1383). B. Virgo, die annuntiationis « facta (est) nobis salutis via, ascensusque ad superos, ac locus requietionis, refrigeriique tabernaculum in quo Dominus habitavit » (l. c., 1378).

5. S. MODESTUS Patr. Hierosolymitanus († 634)¹

Est auctor *Encomii in B. Virginem*, quod primum typis editum est Romae a Giacomelli a. 1760, et refertur a Migne (PG 86, 3277-3312).

Nulla adest ratio dubitandi de authenticitate huius Sermonis.

Encomium constat 14 capitibus seu paragraphis qui parum logice inter se connectuntur.

In *prologo* singularissimam excellentiam B. M. V. celebrat, de qua impossibile est digne loqui quia « multiformis sapientiae sermo perplexus haesitat ad miraculum pro dignitate laudandum, omnem intellectualis rationalisque creaturae superans cognitionem ».

In *corpore* Encomii agit de morte et sepultura B. M. V. quae evenit in Monte Sion; morti interfuerunt Angeli, Apostoli (non absque divino interventu), nec non Iesus ipse. Maria amore moritur, Filium suum intuens (PG 86, 3308-A). Exequiae ab Apostolis fiunt, et magna prodigia circa sepulchrum eveniunt. Deinde agit de anticipata resurrectione et Assumptione Deiparae (3312; 3289 C).

¹ Cfr CARLI L., *L'Encomium in Dormitionem SS. Deiparae di S. Modesto di Gerusalemme*, in *Marianum* (ephemerides Mariologicae, t. 2, 1940, pp. 386-400).

Ratio huius corporeae glorificationis fuit Divina Maternitas (3301 B; 3284 et sq.). Miraculum assumptionis est effectus omnipotentiae Dei et dilectionis filialis Iesu erga Matrem suam (3293 A). Scopus tandem Assumptionis est ad hoc ut nos haberemus in Maria interceditricem validam apud Deum et mediatricem cuiuslibet gratiae (3292 C. - 3293 A).

In hac expositione S. Modestus magna cum prudentia et sobrietate apocryphis — quae certe prae oculis habuit — usus est.

Praecipui textus dogmatici huius Encomii sunt: « Mundi gubernatorem, qui per ipsam (Deiferam) ab impietatis et peccati diluvio servavit ac vivificavit humanum genus » l. c., 3287).

« Deipara, per quam accepimus remissionem peccatorum nostrorum et a diaboli tyrannide redempti sumus ... per quam mystice recreati sumus et facti templum Spiritus Sancti » (l. c., 3294).

« ... Dona (coelestia) quae per Ipsam humano generi sunt donata, quae virginitatis gratia pons Dei futura erat in terra ultra hunc mundum unde mirificum ab eo auxilium nobis profectum est » (l. c., 3299). « ... Genus humanum in te servatum est, ac per te dona et sempiterna bona est adeptum ab eo (Deo) » (l. c., 3306).

« Illa, quae vitam et resurrectionem genuit mundi, cuius gratia omnis intellectualis et rationalis natura particeps est illius vitae aeternae » (l. c., 3307).

« Per eam splendor ille, qui vel ipsos solis radios superat, in misericordia et miserationibus in nos effusus est » (l. c., 3299).

6. S. SOPHRONIUS Ep. Hierosolymitanus (?-638)

Natus Damasci, Hierosolymis, in monasterio S. Theodosii, monasticam vitam duxit. Circa a. 619 in Aegyptum profectus est et Romam etiam pervenit. Anno 634 Episcopus Hierosolymitanus creatus est. Sergium, Monotheletismi patrem, fortiter impugnavit. Obiit a. 638 (cfr BARDENHEWER G., *Geschichte der altkirchlichen Literatur*, Freib. Br., 1923, pp. 36-41).

De B. M. Virgine praesertim agit in Homil. *de Annunt.* (PG 87, 3217-3288) in *Hypapanten* (PG 87, 3287-302), et in *Epistola Synodica ad Sergium* a Concilio VI adprobata (PG 87, 3147-200), in qua sanctitatem Deiparae celebrat. *Triodion* (PG 87, 3840-3982) ad S. Ioseph Hymnographum pertinet (cfr *Les lettres chrétiennes*, t. 4, p. 146).

Praecipua vero quae in praedictis documentis habentur haec sunt:

a) **De divina maternitate.** Fuse et clare agit in *Epist. Synodica ad Sergium* (PG 87, 3160). Notatu digna sunt verba: « Incarnatur Verbum et Deus non prius formatae carni se coaptans, vel corpori iam prius formato et in se subsistenti se connectens, vel prius subsistenti animae se componens, sed tunc his productis ad existentiam, quando eis Verbum ipsum et Deus se componebat ... Simul enim

caro et simul Dei Verbi caro; simul caro animata rationalis, simul Dei Verbi caro animata rationalis quia in ipso et non in se habuit existentiam ».

Divinae vero maternitatis *excellenciam* ita extollit: « Gaude, o spectaculum *grae* mirabilibus omnibus summe admirandum. Quisnam tuum eloqui splendorem poterit? Quisnam portentum, quod ipsa es, enarrare verbis audeat? Quisnam magnificentiam tuam effari se posse confidet? Tu hominum exornasti naturam. Angelorum ordines superasti, tu fulgorem Archangelorum obtenebrasti, tu sublimes Thronorum sedes infra te ostendisti, tu altitudinem Dominationum depressisti, tu Principatuum ducatibus praecucurristi, tu enervasti fortitudinem Potestatum, tu ipsis Virtutibus potentior virtus prodiisti, tu Cherubim oculatissimum visum terrestribus oculis vicisti, tu Seraphim sex alas habentium volatus *maimae* pennis divinitus agitatis transvolasti, tu denique *omnem creaturam longe transgressa es*, quippe quae prae omni creatura enituisi puritate, et omnium creaturarum conditorem, in te excepisti, ipsumque et in sinu tuo gestasti, et genuisti, et sola ex omnibus creaturis Dei mater effecta es » (*Or. II in SS. Deip. Annunciationem*, PG 87, 3238). « Et merito quidem, nemo enim sicut tu, ad Deum tam prope accessit » (l. c., 3247).

b) De perpetua virginitate Deiparae sat fuse agit in *Ep. Synodica ad Sergium* (PG 87, 3, 3172; 2289).

c) De perpetua sanctitate Deiparae.¹ Haec invicte asseritur a S. Sophronio. Ab ipso quaelibet macula, etiam originalis — prout sat clare apparet — a Virgine excluditur. Scribit enim: « Et alii quidem, iique plures, ante te eximia sanctitate floruerunt. Nemo, sicut tu, beatitate auctus est: nemo, sicut tu, sanctitate exornatus est: nemo, sicut tu, ad tantum magnificentiae est evector: nemo sicut tu, *purificante gratia praeoccupatus est*; nemo, sicut tu, splendida luce est circumfusus: nemo, sicut tu, caelesti lumine refulsit: nemo, sicut tu, prae omni celsitudine exaltatus est. Et merito quidem; nemo enim, sicut tu *ad Deum tam prope accessit*; nemo sicut tu, Dei donis ditatus est; nemo, sicut tu, Dei gratia particeps fuit. Omnia vincis, quaecumque inter homines emineant; omnia superas munera quae *effusa* e Dei largitate in quoslibet dimanaverint. Plus enim omnibus inhabitantis Dei possessione ditescis. Nemo sic in se Deum complecti potuit; nemo potuit *se* frui Dei praesentia; nemo dignus est habitus, qui sic per Deum illuminatur... » (*Or. II in Deip.*, 18-19, PG 87, 3248). Occurrit hic, pro prima vice, sat evidens allusio ad *purificationem praeventivam*, seu ad *praeservationem* a culpa de qua loquitur Pius IX.

In Epist. Synodica ad Sergium, a Conc. Oec. VI adprobata, B. Virgo dicitur « Sancta, anima et corpore immaculata, atque ab omni contagione prorsus libera » (PG 87, 3160-3161).

¹ Cfr JUGIE M., *Saint Sophrone et l'Immaculée Conception*, in *Revue Augustinienne*, t. 16 (1904), pp. 567-574.

Gladius a S. Simeone B. Virgini praedictus, intelligendus est, iuxta S. Sophronium, de tristitia et de admiratione momentanea animae Virginis stantis iuxta crucem, quae tamen non ita fuerunt ut B. Virginem ad dubitandum de Filii divinitate moverent (*De Hypapante*, *ibid.*, 3298).¹

Plenitudinem gratiae ita describit: « Invenisti enim apud Deum gratiam perire nesciam ... prae omnibus eximiam ... omnibus votis expetendam ... omnium gratiarum splendidissimam ... nunquam elanguentem ... quae te salvam praestet ... quae nullo impetu quatiatur ... plane invictam ... perenniter duraturam » (*Or. II in SS. Deip. Annunt.*, l. c., 3246).

d) **De cooperatione ad redemptionem:** « Vere “ benedicta tu in mulieribus ” quoniam *Evae maledictionem in benedictionem commutasti*; quoniam Adam, qui prius iacebat execratione percussus, ut per te benediceretur, effecisti. Vere “ benedicta tu in mulieribus ” quoniam benedictio Patris per te affulsit hominibus, eosque a vetere maledicto liberavit.

« Vere “ benedicta tu in mulieribus ” quia per te progenitores tui salutem inveniunt; tu siquidem genitura es Servatorem, qui divinam ipsis salutem comparabit » (*ibid.*, 3241). « Per la prima volta — animadvertit P. Ortiz de Urbina, l. c., pp. 76-77 — sentiamo dire non solo che la Madonna abbia tolto la tristezza di Eva e restituito agli uomini la pace, dopo averli liberati dalla maledizione (*Or. I in nat. Christi*, PG 87, 3201; *Or. II in Deiparam*, *ib.* 3241-3245) e anzi che essa sia diventata “ fonte di misericordia ” (*Anacreont.*, PG 87, 3846) e “ unico ausilio degli uomini ” (*ib.*, 2855), ma anche che le stesse potestà dei cieli debbono la loro gioia — la loro grazia — alla Madonna. Egli dice testualmente: “ Poichè da te viene data la gioia non soltanto agli uomini ma anche alle virtù superne ” » (*Or. II in Deip.*, *ib.* 3241).

7. S. IOANNES Ep Thessalonicensis († c 649)²

Fuit Patriarca Thessalonicensis inter annos 610-649. In Actis VII Concilii Oecumenici *Sanctus* appellatur.

Introduxit in sua Ecclesia Thessalonicensi festum Assumptionis B. M. V.,

¹ Circa idem tempus LEONTIUS DE NEAPOLIS eodem fere modo verba illa Simeonis exponebat (PG 93, 1580). Ante ipsum, medio saec. VI, idem tenuit ABRAHAM EPHEINUS (cfr JUGIE M., *Abraham d'Ephèse et ses écrits, Sermon sur l'Hypapante*, in *Byzantinische Zeitschrift*, t. 22, p. 58). Cfr etiam PSEUDO-CHRYSOSTOMUS (PG 50, 810-811). TIMOTHEUS, Presbyter Hierosolymitanus, in gladio illo videt dolorem Virginis in amissione Filii sui in Templo (*In Hypapantem*, PG 86, 245). Iure igitur scribebat JUGIE: « A l'époque où nous sommes arrivés (saec. VI-VII) l'exégèse origéniste prêtant à Marie des doutes positifs sur la divinité de Jésus est décidément écartée » (*Dict. de Théol. Cath.*, t. 7, col. 916).

² Cfr JUGIE M., in *Dict. de Théol. Cathol.*, t. 8, coll. 819-825 art. *Jean de Thessalonique (Saint)*; CARLI L., *Le fonti del racconto della Dormizione di Maria di Giovanni Tessalonicese*, in *Marianum*, t. 2, (1940), pp. 308-313.

et ob hanc rationem, ad fideles praeparandos, homiliam in Dormitione Virginis composuit, quae publici iuris facta est integraliter a P. Jugie (GRAFFIN-NAU, *Patrologia Orientalis*, t. 19, 344-438) in sua duplici redactione, authentica scilicet et interpolata. Invenitur haec homilia saltem in 15 manuscriptis, quorum quidam ad saec. X-XI ascendunt. Episcopi Thessalonicenses, usque ad ipsum, — prout apparet ex prologo — suspensi haerebant relate ad celebrationem Assumptionis B. M. V., ratione apocryphorum quae vagabantur et quae a sensu catholico discordabant. Ioannes, e contra, statuit sequi exemplum « fere universale » et ob hanc causam expurgare voluit apocrypha a deformationibus narrationis primitivae ab Apostolis ipsis conscriptae. Ipse tamen haud parum a Transitu B. M. (Germano) pendet.

Praecipua capita mariologica haec sunt:

1) S. Ioannes altissimam ideam de Deipara se habere ostendit; 2) Absolutam impeccabilitatem Deiparae proclamat; 3) *Maternitatem spiritualem* eiusdem explicite docet; ab Apostolis enim « *Mater* omnium qui salvi fiunt » appellatur; 4) Exhibetur B. Virgo tamquam Domina et beneficiorum auctrix totius mundi. S. Petrus in suo sermone asserit quod lux lampadis eius replevit universam terram nec extinguetur usque ad consummationem saeculi, ad hoc ut omnes qui salvi esse volunt, animum et fiduciam ab ipsa respiciant. Declaratur insuper *spes omnium*; 5) Relate ad *Assumptionem* haec animadvertit P. Jugie: « Chose curieuse, après avoir lu le morceau, on ne sait pas, au juste, quelle a été la pensée personnelle de l'auteur sur le mystère même de l'Assomption, c'est-à-dire sur la résurrection glorieuse de la sainte Vierge. La finale du discours, qui devrait nous l'apprendre, varie, en effet, dans presque tous les mss. Tous les Byzantins ont admis que le corps de la Mère de Dieu avait été préservé de la corruption du tombeau, mais nous n'ont pas enseigné qu'il ait été de nouveau réuni à son âme. Certains, à la suite de l'apocryphe *Iohannis liber de dormitione Mariae*, ont cru à un transfert du corps dans le paradis terrestre, où il serait conservé incorruptible jusqu'à la résurrection générale. Impossible de dire, d'une manière certaine, quelle a été la position prise par Jean entre les deux opinions » (l. c., 823).

8. S. GERMANUS Ep. Constant. (c. 635-733)¹

Ortus est ex nobilissima familia Byzantina. Celebris fuit ob defensionem cultus sacrorum imaginum, ob quam causam a Leone III e sua sede Constantinopolitana ad quam circa a. 715 electus erat, eiectus fuit. Fere centenarius obiit a. 733. Eius doctrina mariana invenitur in octo homiliis de B. M. V.: duae agunt de Praesentatione ad templum, una de Annunciatione, tres de Dormitione et una de Transitu B. M. V. (PG 98, 291-383).

¹ Cf. CAYRÉ F., *Dict. de Théol. Cath.*, art. *Germain (Saint)*, t. 6, coll. 1300-1309.

Quidam de authenticitate harum homiliarum dubia quaedam moverunt. At de earum authenticitate sufficienter constat.¹ Inveniuntur enim etiam in manuscripto saec. XII (cfr OMONT H., *Manuscripts Grecs de la Bibl. Nat.*, Paris, 1898, t. 3, p. 372, cod. 542 Bibl. Engalensis).

Duce igitur S. Germano, B. Virginis devotissimo,² «pergamus simul ad exoptatissimos flores ex ipsomet Dei Matris prato decerpandos. Odorem eius pulchritudinem instar rosae e folliculis plenam odoramentorum erumpentem» (*In Praesent. Deip. I*, PG 98, 291).

a) DE B. VIRGINE CONSIDERATA IN ORDINE AD DEUM.

1. **De praedestinatione B. M. V.** In ore parentum B. M. V. haec verba ponit: «Suscipe quam ipse elegisti, quam praedestinasti, quam sanctificasti» (ibid., n. 8, col. 299). Et alibi: «summe perfecta ac consummata [iam triennis], tamquam universorum Deo ac moderatori praescitur, praedestinataque, atque electa» (ibid., *In Praesent. Deip. II*, 315).

2. **De prophetiis et symbolis.** B. Virgo «universorum speculum prophetarum» vocatur (*In Praesent. Deip. II*, 315). «Rationabilissimam et impollutam mensam te evasuram per plura symbola iam praesignificatum est» (*In Praesent. Deip. I*, n. 10, 303). Ad Iosephum dubitantem dicit: «Crede Dei prophetis» (ibid., *in Annuntiat. Deip. I*, 335). Ad varias prophetias, e. g. Ezechielis, Isajae, Davidis etc. alludit.

3. **De divina maternitate.** Summis laudibus illam extollit.³ «O quolibet miraculo maior, Maria!» (*In Praesent. I*, l. c., 306). Et alibi: «Sat tibi ad laudem, o admirabilis, quod non possimus dignis encomiis res tuas celebrare» (*In Dormit. Deip. II*, 354).

«Deficiet enim saeculum, si quis velit res tuas laudare» (*In Dormit. Deip. II*, 378). «Omnia tua, Dei Genitrix, incredibilia miraque sunt; cuncta naturam excedunt, cuncta rationem et potentiam» (*In S. Mariae Zona.*, 382). «Tu enim sola, Dei Genitrix, altissima super omnem terram» (*In Praesent. Deip. II*, 318). «Tuae magnitudinis non est finis. Te cogitandi nulla satiety» (*In Dormit. Deip. II*, 350). «Superat ipsa sane omnem mentis captum» (*In Praesent. Deip. I*, 172).

¹ Cfr BALLERINI, *Sylloge monumentorum...*, Romae, 1855, t. 1, pp. 249-258; 1857, t. 2, pp. 285-295. Cfr etiam JUGIE M., *Les homélies de saint Germain de Constantinople sur la dormition de la sainte Vierge*, in *Echos d'Orient*, t. 16, pp. 219-221.

² Sic enim incipit homiliam I in Dormit. Deip.: «Qui debitor est, continuis canticis beneficium celebrat... Quamobrem ipse quoque, o Deipara quae supra rationem ac cogitatum, rerum prodigium novarum mirabilia adepta sis, audeo laudare» (l. c., 339).

³ In homil. tamen *in Annunt.*, opinionem peregrinam, quibusdam Patribus Graecis communem, sequitur, iuxta quam B. Virgo statim in momento in quo salutata fuit ab Angelo, non vero post suum consensum, Christum concepisset.

b) DE B. M. V. CONSIDERATA IN ORDINE AD HOMINES.

I. De mediatione B. M. V. In hac veritate exponenda S Germanus omnes suos aequales supergreditur, et tantummodo a S. Bernardo forsitan aequabitur. Doctor Mediationis, inter Patres, iure appellari potest.

De ipsa agit praesertim in homilia in *Zonam B. M. V. Deip.* (l. c., 274-383).

Haud semel B. Virgo *mediatrix* appellatur.

I. DE COOPERATIONE AD OPUS REDEMPTIONIS. Vocatur B. Virgo «salutis auctrix» (*In Praesent. Deip. I*, 300). «*Coniunctrix* olim dissidentium» (*In Praesent. Deip. II*, 318). «Omnium peccatorum mediatrix vere bona» (*In Annunt. Deip.*, 321). «Christianorum omnium commune propitiatorium» (*In Annunt.*, 330), «mundi universi propitiatorium» (*In Annunt.*, 330), «fermentum reformationis Aadae, tu opprobriorum Evae liberatio ... Illa mortis demoratio et sedes; tu, a morte translatio» (*In Dormit. II*, 349). B. Virginem ita salutatur: «Ave quae gressuum tuorum concinnitate, serpentem truculentum mihi ad transgressionem ducem vaferrimum et scelestissimum diabulum, conculcasti; corruptam vero naturam quae ad labendum prona cernebatur, tecum per viam velut manu prehensens, ad caeleste et sanctum non senescens tabernaculum rursus adduxisti» (*In Praesent. Deip. II*, n. 14, 306). Effectus redemptionis, ut patet, B. Virgini immediate — aequae ac Christo — tribuuntur.

2. DE DISTRIBUTIONE OMNIUM GRATIARUM. Haec sat aperte et pluries, pluriusque modis, a S. Germano docetur. B. Virgo enim appellatur «fons *perennis* universis aquas affluens ... *thronus* ille excelsus et elevatus universorum Creatoris ac Redemptoris, tum quae in caelo, tum quae in terra» (*In Annunt.*, 322). Per assumptionem in caelum, nos homines non derelinquit, sed semper manet nobiscum, fitque *mediatrix* nostra apud Deum: «Nam et nos in te abunde vitae aeternae altum pignus accepimus, atque ad Deum *Mediatricem* humanis emigrantem, nanciscimur» (*In Dormit. III*, 366). Et in ore Christi, ipsi migranti apparentis, haec verba ponit: «Mundum tibi debitorem praestabo, et emigrantis nomen tuum maiori gloria collustrabo. Ego te mundi murum exaedificabo, eorum pontem, qui fluctibus iactantur, eorum qui manu ducuntur baculum, peccatorum advocatam, scalam denique quae provehere in caelum mortales sufficiat. Veni cum laetitia. Aperi paradysum, quem cognata tua Eva, eiusdemque consors generis occlusit. Intra in gaudium Filii tui» (*In Dormit. III*, 362).

Explicite insuper docet salutem nostram in manibus Mariae esse, omnesque gratias salutis ex ipsa ad nos defluere. «Tu es enim quae feceris semper, nec nunquam cesses facere nobiscum magnalia» (*In Dormit. III*, 371). Ipsa eiusque nomen est «Christianorum spiritus ac flatus ... (quod) vitae et iucunditatis et auxilii non solum indicium est, sed causa efficitur» (*In Zonam S. M.*, 378-379).

Christianorum spes, quae non confundit» (*ibid.*), ita ut homo «nullum alium

intercessorem *necessarium* habeat apud Deum » (ibid., 379). « Plane, enim, nullus tuae magnificentiae finis; insatiabilis opitulatio tua. Nullus munerum tuorum numerus est. Nullus enim, nisi per te, o sanctissima, salutem consequitur. Nullus nisi per te, o immaculatissima, qui a malis liberetur. Nullus nisi per te, o castissima, cui donum indulgeatur. Nullus nisi per te, o honoratissima, cui gratiae munus misericordia praestetur. Quamobrem, quis te beatam non praedicabit? Quis, sicut tu, secundum unum Filium tuum, humani generis curam gerit?... » (ibid., 379). Et haec est ratio cur *omnes* omnino, in *omnibus* necessitatibus, ad ipsam quae « materna pollet fiducia ac potestate erga Filium » fiducialiter confugiunt. Et addit: « Omnia tua, Dei Genitrix, incredibilia mira que sunt ... Quocirca etiam protectio tua, intelligentiae vim omnem superat » (ibid., 382). *Quotidie* enim, omnibus, et in omnibus, « adiutrices manus porrigit » (ibid.). « Quamobrem, — concludit — ad templum tuum sedulitate animi accurrimus; in quo cum stamus, in ipso nos caelo stare credimus » (ibid.). Eadem plus minusve, novis mirisque modis repetit alibi, e. g. « Quemadmodum enim siticulosus ad fontem properat, sic et fidelis omnis anima, tota aestuans accurrit, tuo implenda auxilio. Ac iterum, quemadmodum anhelitu haustus aer animale hominibus olfactum afflat: ita et te, orthodoxi omnis christiani flatus, ac spiratio, ore profert ac enuntiat. Nec enim tantum ab aëris hauriamus oblectatione, quantum a tui nominis haurimus protectione: adeo ut in Christo ac in te impleatur quod scriptum est; « Respiratio narium nostrarum es tu, in tegumento tuo et umbra vivemus » (Thren. IV, 20); (*In Dormit. II*, 355). « Tutela tua immortalis est; et intercessio, vita; et protectio perpetua. Nisi enim tu praerires, nemo spiritalis evaderet ... Nemo Dei cognitione repletus est, nisi per Te, o Sanctissima; *nemo salvus, nisi per te, o Deipara*; nemo periculis expers, nisi per Te, Virgo parens; nemo redemptus, nisi per Te, o Deipara; nemo donum per misericordiam consecutus, nisi per Te » (*In Dormit. II*, 350). « Tu autem, quae materna in Deum auctoritate polleas, etiam iis qui enormiter peccant, eximiam remissionis gratiam concilias. Non enim potes non exaudiri, cum Deus, ut verae ac intemeratae Matri suae, quoad omnia, et per omnia, et in omnibus, morem gerat » (ibid., 351). « Simul atque enim tremore correptus fuerit christianus aliquis, aut pedem ad lapidem offenderit, illico tui nominis praesidium invocat. Quare, ut quis nulla requie, te laudibus celebret, non existimat se celebrare; qui magis insatiabili affectu celebrare incipiat. Nemo enim satis pro dignitate celebrare possit » (ibid., 351). Cfr etiam alia praeclarissima quae ibidem dicuntur. Alibi Maria vocatur « meae spes salutis » (*In praesent.*, II, 318), « universorum patrocinium, gaudium ac laeta iucunditas » (ibid., 319). Ex quibus omnibus patet mediationem Deiparae esse *universalem* sive subiective (omnes homines complectentem) sive obiective (omnes gratias respicientem), et in praesenti ordine *necessariam*.

II. **De munere regio Deiparae.** Etiam de hoc saepe agit. Sic, e. g., in *homil. I in Praesent.*, B. Virgo, templum ingrediens, ita salutatur: « Sede, Domina; decet

enim, regina cum sis et praec omnibus regibus terrae gloriosa, sublimi aëreo loco sedere ... En tibi pro merito, tamquam universorum Reginae, primam offero sedem » (l. c., 303). Item, alibi.

III. **De cultu B. M. V.** Germanus unus ex maximis testimoniis, defensoribus et propagatoribus fuit cultus mariani fervidissimi sua aetate. B. Virgo enim est super omnem creaturam venerabilior » (*In Praesent. Deip. I*, n. 18, 307). « Tu enim merito dixisti fore ut te omnes hominum aetates beatam dicant: te inquam, quam nemo condigne magnificare possit; quae semper angustam ac praecipitem laudatorum tuorum animi paupertatem commiserationis affectu prosequaris » (*In Dormit. I*, 339). Et alibi: « Hodie ad promendas laudes Maria nos provocat, cuius encomia, ut in immensum quisquam congerat, nedum metam queat attingere; ne a longe quidem ad verum accessurus est, quippe cuius pulchritudo et sermonem omnem et omnem cogitationem infinito intervallo praetergreditur » (*In Praesent. I*, l. c., 294).

Testis insuper est universalitatis cultus Mariani tunc temporis fervidissimi et ubique diffusi. Scribit enim: « Nullus enim locus est, ubi non honori habearis » (*In Dormit. II*, 354). Demonstrat tandem quomodo honor qui impenditur Matri nullimode derogat honori qui tribui debet Christo. « Dum enim laudatur Mater, Matris amans Filius propense laetatur ac iucundatur » (*In S. Mariae Zonam*, 375).

c) *DE B VIRG. CONSIDERATA IN SEMETIPSA.*

I. **De sanctitate Deiparae.** In hac re — sicut et in mediatione — valde insistit S. Germanus, praesertim in homiliis in Praesentationem et in Annuntiationem, ubi incomparabilis Mariae puritas multis mirisque modis et comparationibus extollitur, nec non quaelibet macula, absque ulla vel minima restrictione, excluditur. Quaedam ex affirmationibus S. Germani iure meritoque ad immunitatem a peccato originali referri possunt. Sic, e. g., B. Virgo vocatur « susceptum a Deo pignus » inde a primo instanti suae existentiae in sinu matris. In ore parentum B. M. V. haec verba ponit: « Suscipe (Domine) quam ipse elegisti, quam praedestinasti, quam sanctificasti; habe tibi firmatam in te, et odore tuo attractam; quam, *tamquam lilium e spinis*, e nobis indignis elegisti » (*In Praesent. Deip. I*, 299). Et alibi: « Hodie in propitiatorio ea reponitur, quae *sola* mortalibus, inundatione peccatorum in transversum actis, novumque *Deo simillimum*, et emundanti virtute praeditum, et haudquaquam manibus hominum constructum, propitiatorium evasit » (*In Praesent. Deip. I*, 294). Ipsa est « Tota prorsus munda, omni carens reprehensione » (*In Annunt.*, 327). Ipsa est fermentum renovans Adam (*In Dormit. II*, 349).

Mors Deiparae, non tribuitur peccato originali — quae est unica causa dissolutionis corporum — sed consilio providentiae divinae, id est, ad hoc ut veritatis Incarnationis « confirmatum patesceret sacramentum; ut, inquam, tuo illo a temporaneis, ac a saeculo discessu, qui ex te natus est Deus, perfectus nihilominus ex vera

Matre crederetur processisse Filius, quae nimirum necessitatum naturae legibus subiaceret, divinae iussionis definitione, ipsoque ad mundi vitam concessio tempore sollicitante; cuius corpus, ut unius haberet reliquarum mulierum, eoque communis hominum mortis occursum vitare nequivisses: *quo etiam modo Filius tuus ac Deus universonum, ob nostrum, ut ita dicam, universi generis mortuum hominem, similem et ipse gustavit mortem* » (*In Dormit. Deip. I, 346*).

Ad immunitatem a fomite concupiscentiae alludere videtur cum celebrat « purrissimum ac immaculatissimum Dei Genitricis corpus » (*In S. Mariae Zonam, 375*). Laudibus extollit « illud corpus virginale, totum sanctum, totum castum, totum Dei domicilium » (*In Dormit. Deip. I, 246*).

2. **De subiectione dolori et morti.** Explicite asserit B. Virginem subiisse « inevitabilem humanae conditionis mortis necessitatem » (*In Dormit. Deip. II, 358*). De doloribus Virginis in morte et sepultura Filii sui fuse agit (*In Dominici corporis sepulturam, 270 et sq.*). Mors Mariae fuit veluti somnium.

3. **De virginitate Deiparae** fuse agit praesertim in homil. in *Annuntiat. B. M. V.*¹

4. **De assumptione B. M. V.** Huius mysterii S. Germanus testis est disertissimus in tribus Homiliis in *Dormit. Deip.*, ex quibus apparet factum Assumptionis tunc in Ecclesia Constantinopolitana in pacifica possessione fuisse. Iuxta ipsum, anticipata Virginis resurrectio — ab Angelo Gabriele, in annuntiatione mortis, ipsi promissa — non post tres dies (sicut legitur in apocryphis) sed statim ac corpus eius in sepulchro conditum fuit, evenit. De hac assumptione Apostoli ab ipso Christo, Matri suae occurrente, certiores fiunt. Pro S. Germano, igitur, origo divino-apostolica doctrinae de Assumptione patet. Huius autem facti vere mirabilis plures pulcherrimasque rationes theologicas affert.

9. S. ANDREAS Ep. Cretensis († 740)²

Natus est Damasci circa a. 660. Anno 15 aetatis suae, monasticam vitam amplexus est Hierosolymis, in monasterio S. Sepulchri. Circa a. 685 Constantino-polim missus, ibidem usque ad initia saec. VIII permansit, cum Episcopus Gortynensis Cretae electus est. Nestorianismo et Monophysitismo fortiter restitit. S. Andreas « inauguravit novam periodum ecclesiasticae poësis graecae inveniendone » (*Canones* » seu carmina, quae novem odas complectuntur » (STEIDLE, o. c., 226).

Multa scripsit de B. M. V. sive in sermonibus sive in canonibus seu carmini-

¹ In ipsa tamen aliquid S. Ioseph indignum invenitur. In ore enim eius, haec, inter alia ponuntur: « Prode, Maria, meae domus insidiatorem: produc in medium eum, qui stuprum, fecit, ut fabрили gladio eius auferam caput, eo quod ille meos probro affecerit canos, sitque futurum, ut me deinde duodecim tribus Israel subsannent » (l. c., 331).

² Cfr JUGIE M., *Dict. de Théol. Cath.*, art. *Imm. Conc.*, coll. 916-919; PETIT L., *Dict. Arch.*, coll. 2034-2041, art. *André de Crète*.

bus liturgicis. Reliquit enim octo homilias marianas (quatuor pro Nativ. B. M. V., una pro Annuntiat., tres pro Dormitione) nec non duos Canones pro festo Conceptionis S. Annae et pro festo Nativitatis B. M. V. (PG 97). Nemo inter Patres tam multa de B. M. V. scripsit. Attamen, doctrina mariana quae in tam multis scriptis invenitur relative exigua dicenda videtur. Inutiles prolixitates in ipsis abundant, ex quibus tamen praecipua Mariologiae lineamenta emergunt.

a) *DE B. M. V. CONSIDERATA IN ORDINE AD DEUM.*

1. **De praedestinatione B. M. V.** B. Virgo « ante saecula, ex communibus generationibus, futura praefinita erat atque electa » (*Can. in concept. S. Annae*, PG 97, 1313 C). Et alibi, haec verba in ore S. Annae ponit: « Exaudisti, Domine, preces meas, mihi hodie promissionis fructum eam praebens, quae casta, ex cunctis generationibus atque feminis, praefinita est intemerata Mater tua » (*ibid., Can. in Nativ. Deip.*, 1321 B). Ipsa est quae « ante omnes generationes naturae totius Creator elegit » (*In Nativ. Deip. II, ibid.*, 813 C).

2. **De prophetiis et symbolis B. M. V.** Saepe et multiplicibus modis de hac re agit. « De te cecinerunt Spiritus omnes interpretes » (*In Dormit. III*, 1096 A). Et statim (*ibid.*) ad plures prophetias alludit, e. g. Is. (7, 14, 11, 10), Ezechiel (44, 2), Daniel (9, 23), Sponsa Cantici Cant. etc. Vocatur « totius prophetiae perspicua plenitudo » (*ibid., in Nativitate Deip. IV*, 865 A). Varia symbola B. M. V. indicat: « Nec vero, quidquid tandem dicamus, charissimi, nuptiale pro meritis canticum ei absolvemus, donec etiam ex Scripturae pratis mystice ei flores corrogantes, encomiorum coronam texamus. Nusquam enim est; nusquam est, inquam, ubi Scripturam divinitus inspiratam lustrans, non varie perspersa eius nomina quis videat ... Vide itaque multimodis eam honestatam nominibus, *multisque Scripturae locis perspicue declaratam* ». Et varios hos locos rapide memorat (*In Nativ. Deip. IV, ibid.* 867).

3. **De divina maternitate.** Divinae maternitatis mysterium nec non ineffabilis magnificentia continuo mirisque modis extollitur. B. Virginem esse vere proprieque Matrem Dei ex hoc probat quod terminus concretus maternitatis non est natura sed persona. Sic, e. g., in iambis ad Agathonem ita fidem suam profertur: « Facemque illuminantem dogmatum iubar, — Atque adeo hominemque Deumque: Sed enim non usurpando divisionem nec confusionem — Docueris, quippe tutus in sermonibus; — *Nec etiam dispescere in duas hypostaseos — Patris eundem Filium, et natum Virginis*: — Huius namque in finibus saeculorum et sine semine est, — Quae coit natura cum Verbo incarnato. — *Hinc veluti proprie Deipara-Praedicaturque et colitur sola* » (PG 97, 1440 D - 1441 A). Et alibi: « Divinum tuum Filium adoramus; non dividentes o Dei Genitrix, quam ex te natus infans carura gloriam habet. Quippe unum persona, duplicem naturis confitemur » (*Magnus Canon*, 1367). « Eum utero habuisti, qui natura capi non potest: portasti eum, qui portat omnia; lactasti, o casta, Christum creata omnia alentem,

ac auctorem vitae » (ibid., 1374). B. Virgo, in conceptione Christi id omne praestitit, absque ulla organorum corruptione, quod ceterae matres in generatione praestare solent. Spiritus S. se habuit ut principium activum, vices seminis virilis supplens (ibid., 1416 C; 908 C). Verbum ex virginalibus incorruptisque Mariae sanguinibus (ibid., 837 B; 1056B) mirabiliter sibi ipse compegit carnem, anima rationali animatam (ibid., 1105 B) quam « statim a prima sacramenti coalitione » (ibid., 933 B) sibi hypostatice univit (ibid., 949 C).

Ratione divinae maternitatis B. Virgo « uno excepto Deo, rebus omnibus excelsior » est (*Homil. III in Dormit.*, 1099), est « thesaurus sacramenti a saeculis absconditi », vere vivens ille liber, scripti in te sine voce spiritalis Sermonis, vivifico calamo Spiritus Sancti, « sola vere, scriptus a Deo tomus testamenti novi, quod is olim ad homines est testatus » (ibid., *In Dormit. III*, 1098); « tomus, in quo, sine voce ac scriptis, inceptor ipse Deus ac Verbum quotidie legitur » (*In Nativ. IV*, 1097 A). « Potest solus Deus pro meritis laudare, qui iis quibus novit pse rationibus, mira illa opera in ea effecit » (*In Dormit. II*, 1090). « Quid enim. ad maiestatem maius, quam ut vocer simque Dei Mater? » (*In Dormit.*, l. c., 1056 B C).

« Quali voce, quibus sermonibus tua illa magnalia exornabimus? — Te enim grato animi affectu ac devote, lingua omnis, vitae Matrem glorificans praedicat. Impleta est omnis creatura gloria tua » (*Homil. III in Dormit.*, 1099).

A Deipara, ratione suae maternitatis, tota Trinitas glorificata est: « In te laudatur glorificaturque, intemerata, Trinitatis mysterium; quippe complacuit Pater; in nobis habitavit Verbum; tibi obumbravit divinus Spiritus » (*Canon in B. Mariae Nativit.*, 1323).

B. Virgo est « eximia pulchritudo, sculpta a Deo statua, divini Archetypi egregie expressa imago » (*In Dormit. III*, 1092 D).

b) DE B. M. V. CONSIDERATA IN ORDINE AD HOMINES.

I. De mediatione B. M. V. Saepe B. Virgo exhibetur a S. Andrea tamquam gratiae *Mediatricis* μεσίστης χάριτος pro hominibus (*In Nativ. IV*, PG 97, 865 A), apud Deum. Sic, e. g. in magno Can. S. Mariae Aegyptiacae assertit: « Te caeli terraeque *mediatricem*, magnificamus omnes generationes: quippe, Virgo, habitavit in te plenitudo Divinitatis corporaliter » (*Magnus Canon*, l. c., 1379). Et in *Triodiis Mai. Hebd.*: « Deiparam adducimus *Mediatricem* » (ibid., 1403). Vocatur « legis ac gratiae *Mediatricis*; veteris novique testamenti obsignatio » (*Or. in Nativ. IV*, l. c. 866). Et exclamat: « O dividuum, non quae dividue, sed quae insolubili vinculo, humanum genus unieris Deo!... » (*In Dormit. III*, l. c., 1108 B).

I. DE COOPERATIONE AD REDEMPTIONEM. Persaepe S. Andreas salutem nostram a Virgine repetit. Dicit enim quod, « Omnes nos per eam salutem consecuti sumus » (*Can. in Conc. S. Annae*, PG 97, 1307). Assertit Deum voluisse ut parentes B. M. V. illam « ad totius mundi regenerationem » « gignerent » (l. c., 1314).

In Nativitate Mariae « Eva damnatione absoluta est; est et Adam absolutus antiquis diris; clamat mundus in tua, o intemerata, nativitate; in te siquidem sumus ab interitu redempti (*Canon in Nativ. B. Mariae*, l. c., 1322). « Liberati sunt... Adam et Eva a corruptione et morte in tua sancta, o intemerata, nativitate. Eam celebrat et tuus populus a peccatorum solutus reatu tibi que clamat: Parit sterilis Deiparam, ac nostrae nutricem vitae » (l. c., 1323). « Adam liberatus est, Evaque choros ducit, ac in spiritu ad te Deiparam clamant: In te sumus a veteri primaque maledictione redempti » (l. c., 1325 C). Et in *Can. pro festo Annunt.*: « Gaudii hodie nuntia, virginalis habet festivitas: ima connectuntur summis; renovatur Adam, Eva a primae maledictionis tristitia liberatur, nostraeque substantiae tabernaculum, assumpta conspersione deitate donata, Dei templum efficitur. O Mysterium! » (l. c., 1330). « In te, Matrem pariterque Virginem, beatam dicunt omnes generationes; velut per te a maledicto redemptae: quippe gaudium nobis, Dominum scilicet, genuisti » (*Magnus Canon*, 1379). « Statim muliebris sexus maledictionem primae corrigit, salutis factus initium, qui initium fuerat peccati » (*In Nativ. Deip. I*, l. c., 814). B. Virgo vocatur « initium gaudii ac maledictionis finis » (*In Nativ. Deip. IV*, l. c., 881 A). « Hodie nata nobis est iuvenula, ex qua est salus, ac per quam totius mundi redemptio, Christus Iesus » (l. c., 882). B. Virgo vocatur « gaudii organum, per quod soluta est dirarum condemnatio eiusque loco inducta gaudii iustificatio », « divina cum hominibus reconciliatio » (*In Annunt.*, l. c., 896 A). « Communis reconciliationis officina » (*In Dormit. III*, PG 97, 1095). « nosque per Te (Christus) Deo et Patri reconciliavit » (l. c., 1098), « mundus te totus propitiatorium commune amplectitur » (l. c., 1099).

2. DE MATERNITATE SPIRITUALI. Particularis iste mediationis respectus in quibusdam locis saltem innui videtur, e. g.: « O vitae subministratrix, vitaque viventium, ac auctrix vitae! » (*In Dormit. III*, l. c., 1108 B).

3. DE DISTRIBUTIONE OMNIUM GRATIARUM. Pluribus modis aut exprimit aut saltem supponit S. Andreas hanc veritatem. Assertit enim: « Ex quo fuisti ex humanis translata, te totus mundus propitiatorium commune amplectitur » (*Or. III, in Dormit.*, l. c., 1101). « Deipara, qua bonum omne Christianis recte geratur et concilietur Dei similitudo » (l. c. 1108 B. C. D). Ipsa maiora quam petamus concedit (*In Dormit. III*, 1101 B). Ipsa est « praesidium fidelium » (*Canon. in Concept. B. Annae*, 1313 D), una Christianorum spes et mundi cura (l. c., 1316 C), commune Christianorum refugium (*In Nativ. IV*, 880 C), fidelium auxilium (*In Concept.*, 1308 B). Orationes Deiparae dicuntur *efficacissimae*: « ad Deum efficacissimis precibus » (*In Dormit. III*, l. c.). « Quippe Mater existens, potens est te [Christum] exorare » (l. c. 1417 C).

II. De munere regio Deiparae. Pluries titulum Reginae B. Virgini tribuit. « O Regina universorum hominum » (*In Dormit. III*, l. c., 1107). « O tu Regina. Dei Genitrix » (*In Dormit. III*, l. c. 1108 A); « Regina totius generis humani » (*Or. III in Dormit.*, l. c. 1099); « Gaude, diadema pulchritudinis, generisque ac

hominum Regina, regalibus undique magnifice decorata » (*Or. IV in Nativ. Deip.* l. c., 863).

c) *DE B. M. V. CONSIDERATA IN SEMETIPSA.*

1. **De perpetua sanctitate Deiparae.**¹ « Sa doctrine — scribit P. Jugie — peut se résumer dans les propositions suivantes: 1. La conception et la naissance de Marie ont été saintes; 2) elle est fille de Dieu, Theôpais, à un titre spécial, et Dieu est intervenu d'une manière particulière au moment de sa conception; 3) elle est les premices de l'humanité restaurée et reflète en sa personne la beauté primitive; 4) sa mort a eu une autre cause que celle des autres hommes » (l. c. 916).

Asserit P. Jugie, S. Andream esse primum testimonium irrefutabile existentiae festi Conceptionis Annae in Ecclesia Orientali. In canone ab ipso pro hac solemnitate composito, asserit quod « Dominus noster Deusque, animatum sibi templum domumque sanctam qua habitaret, parare volens », misit suum animum ad parentes B. M. V. qui conceptionem illius praenuntiaret (*Can. 2 in Conc. Annae*, 1314). B. Virgo vocatur « reformationis nostrae primitiae » (*In Nativ. Deip. III*, 859), « fermentum sacrum Deo perfectum, quo tota massa humani generis conspersa, ac quo ex uno Christi corpore in panes formata, in unam coivit novam concretionem » (*In Annunt.*, 896 A). Corpus eius fuit « delibatio massae ex Adam generis in Christo deitate donatae ... congruentissima divinae humanationis materia; divine perfectum eius qui omnia efficit optimique artificis lutum » (*In Dormit. I*, 1067). *In homil. I in Nativ. Deip.* dicit: « Hodie ex nobis pro nobis Deo Adamus primitias offerens, Mariam primitias facit; ... Hodie reformari incipit natura, mundusque veteratus deiformem omnino reformationem accipiens, secundae a Deo fictionis initia suscipit. Quia enim prima hominum formatio ex terra munda incontaminataque, auctore Deo, extiterit: natura vero inobedientiae lapsu, qua ex loco vitali fueramus eiectione, spoliata gratia, cognationem divinam oblitteraverat ... Optimo tandem visum est universorum artifici, ut velut concinnissimum quemdam recensque compactum mundum alium de novo exhiberet: hactenusque gradatam olim peccati luem, ex qua mors est, comprimeret: tumque quamdam, nec obnoxiam servituti, vereque affectionibus et vitiis vacuissimam vitam, nobis utique divinae regenerationis baptisate regeneratis, monstraret ... Cum enim generis Redemptor, novam prior nativatem et fictionem succedaneam voluisset exhibere, quemadmodum illo luto accepto ex illibata virgine terra primum formavit Adam, sic et hoc modo, suam ipse incarnationem operatus, pro alia terra, ut ita dicam, munda hac prorsusque immaculata, de natura tota electa Virgine, novoque modo, quod est nostrum ex nobis in ea ficto, novus Adam Adae fctor evasit; ut recens ille et antiquior saeculis, veteri,

¹ Cfr JUGIE M., *Saint André de Crète et l'Immaculée Conception*, in *Echos d'Orient*, t. 13 (1910), p. 129.

saluti esset » (814-815). Idem dicit in *homil. I in Dormit. Deip.*, 1067. S. Andreas continuo de morte Virginis miratur. Pro ipso, enim, est factum *incredibile*. B. Virgo, iuxta illum, non est mortua, sicut nos, ratione sententiae a Deo latae post peccatum originale, sed modo superiori, ob rationes excellentiores, analogas rationibus quibus Filius eius morti subiectus esse voluit ad hoc ut illi conformis fieret. Mors eius veluti somnus extaticus fuit (cfr *Homil. I in Dormit.*, 1051). Ex hoc apparet quomodo S. Andreas non viderit in B. Virgine, *necessitatem moriendi* ex peccato originali contractam. Hisce omnibus praemissis, bene intelligi potest valor assertionum universalium quibus S. Andreas B. Virginis puritatem absolutam extollit, e. g.: «eximia pulchritudo, sculpta a Deo statua, divini archetypi egregie expressa imago... divinorum splendorum fons inexhaustus... puritate rebus omnibus elevatior » (*Homil. III in Dormit.*, l. c., 1901), «nubes tota lucida... purior omni auro, et materia omni sensibus subiecta... quae caelum ac caeli naturam puritate supergressa est... illa vere » «pulchra et macula non est in te » (*ibid.*, 1098), «sola immaculatissima » (*Can. in Concept. S. Annae*, l. c. 1036).¹

2. **De virginitate perpetua Deiparae.** Pluries a S. Andrea profitetur. Vocatur enim «Virgo perpetua » (*Canon in Nativ. Deip.*, l. c., 1319), «semper Virgo » (*ibid.*, 1327). «Et paris, et es virgo, manetque utraque praerogativa. Qui natura virgo natus est, innovavit leges naturae. Porro gestas uterum, non suscepto semine. Vincit Deus, ubi est visus, naturae ordinem; nam, «Quaecumque vult facit » (*ibid.*, 1354). «Ut plane Mater, quae sunt matrum nesciret, mirabiliter lactans, quem sine viro filium procreasset: virgoque, partu edita, prole sine semine, virgoque casta maneret, post etiam partum integra ferens virginitatis signacula » (*Or. I in Nativ. Deip.*, l. c., 814).

3. **De assumptione B. M. V.** In suis tribus homiliis in *Dormit. Deip.*, de morte et de mirabilibus quae illam comitata sunt (inter quae incorruptio et translatio corporis Mariae) fuse agit. Victoria supra mortem in incorruptione corporis, iuxta ipsum, reponitur. Attamen, dubitare videtur S. Andreas utrum corpus B. M. V., per anticipatam resurrectionem, animae in coelo regnanti, rursus unitum fuerit, an alibi (e. g. in paradiso terrestri) — prout in pluribus apocryphis et apud quosdam auctores Byzantinos legitur — translatum fuerit. In homiliis enim in *Dormit. Deip.* habentur loci qui utrique opinioni favere videntur. Ad hoc ut valor huius conclusionis plene perpendatur, necesse est ut illae tres homiliae integre perlegantur.

In quibusdam locis resurrectionem Virginis admittere videtur, theologicis rationibus ductus, et praesertim ratione maternitatis divinae, seu «quia B. Ma-

¹ Purificatio Virginis quae peracta fuit a Spiritu S. in momento Incarnationis (*In Annuntiatione*, PG 97, 909 B), intelligenda non est in sensu *stricto* et *absoluto* (i. e. pro transitu ab impuritate ad puritatem) sed sensu *lato* et *relativo* (i. e. pro transitu a minori puritatis gradu ad maiorem). Hoc sensu verbum *καθαίρειν* quo usus est S. Andreas, accipitur a Ps. Dionysio ubi agit de purificatione angelorum (PG 3, 272, 537).

ria Deum Verbum in sinu gestavit»; ob hanc rationem, quidquid est naturaliter extraordinarium, pro Matre Dei fit ordinarium. Asserit insuper quod natiuitas et mors Deiparae, miraculis plenae fuerunt. Dicit, insuper: « domum, quod oculis conspicuum est, corporalibus abstractum, una cum spiritu, velut spiritualiter abit, quibus novit rationibus, is qui olim ambo devinxerat, quique iterum a solutione devinxit » (*In Dormit. II*, PG 97, 1080 C - 1081 A).

Asserit, tandem, *spectaculum novum* esse quod *cum suo corpore* in Sanctuarium caelorum penetret, et quod Mater ipsius Vitae, vitam clauderet *eodem miraculo* ac Filius eius (*In Dormit. II*, PG 97, 1081 C).

Attamen, animadvertendum est quod S. Andreas, statim post, de assertionibus istis explicite *dubitare videtur* (*In Dormit. II*, PG 97, 1084 AB), non iam de *circumstantiis facti* (prout eum benigne interpretatus est HELDET-PIROT in *Dict. Bibl.*, Suppl., I, 657), sed de *ipso facto* unionis animae cum corpore, prout ex verbis ipsis quibus utitur patet.¹

Singularis triumphus Deiparae a S. Andrea tres rationes theologicae afferuntur, desumptae 1) ex sua singularissima puritate, 2) ex suo regali dominio (eo quod omnia ipsi sunt subiecta, et ideo nulli subici debet), et 3) ex harmonia privilegiorum quae ipsi a Deo — iuxta singularissimum suae Providentiae ordinem — concessa fuerunt. Omnia enim, in *Virgine*, mirabilia sunt, ab initio usque ad finem (cfr l. c., *Or. II in Dormit.*, 1081 D).

10. IOANNES EUBAEENSIS († c. 750)

Celebrem reliquit Sermonem in *Conceptionem Sanctae Deiparae*, in quo Virginis « laudes e corde erumpentes » celebrat (PG 96, 1459-1500). Praecipua notatu digna haec videntur:

a) **De prophetiis B. M. V.** « Ipsa enim est, quam prophetae omnes salutem per ipsam expectantes praenuntiarunt » (PG 96, 1475).

b) **De Immaculata Conceptione.** Terminis sufficienter claris hoc Virginis privilegium profitetur. Allusio enim ad sanctitatem initialem Deiparae sat aperte in pluribus locis habetur. « Ecce nova ab ipso Conditore praeparatur arca, quae infinito intervallo Noeticam, atque etiam Mosaicam antecellit: illa siquidem continendis legis tabulis (extracta fuit), haec vero Deo excipiendo (aedificatur) » (n. 4, l. c., 1463-1466). Conceptio Virginis « principium est novi testamenti, principium est novae arcae ad Deum excipiendum in Annae utero extractae quae est ex radice Iudae, Iesse, et Davidis » (n. 11, l. c., 1475-1476). Ioachim et Anna

¹ Nuper tamen cl. P. OTHO FALLER, S. I. (in op. *De priorum saeculorum silentio circa Assumptionem B. M. Virginis*, Romae, 1946, pp. 9-18) demonstrare conatus est S. Andream Cretensem minime sibi contradixisse sed *factum Assumptionis* corporeae ut certum docuisse et solummodo *de modo* huius assumptionis seu de modo coniunctionis animae cum corpore « philosophasse ». Demonstratio eius valde suasiva videtur.

«rationalem paradisum» et «prorsus immaculatam puellam» genuisse dicuntur (n. 12, l. c., 1479). Asserit quod «sine manibus hominum construitur palatium caelestis regis, et hoc palatium in Eden ad orientem portam habet, et nemo per eam portam ingreditur, nisi solus Dominus Deus; et erit porta clausa. Palatium prorsus admirandum, adeo ut ipsae quoque caelorum Virtutes illud demirentur. Atque omnem sane cogitationem opus superexcedit. Palatium enim istud sine ullius humani architecti opera exaedificatur, coelis sublimius, et creatura omnium ostensum est, et nemo in ipso praeterquam architectus ille, et opifex et coelestium rerum omnium ac terrestrium Creator habitabit» (l. c., 1487). B. Virgo «Immaculata» «plane Immaculata» salutatur per antonomasiam, seu labis omnis plane expers.

c) **De cooperatione ad redemptionem.** Angelus dixit ad Annam: «Ne tristeris, o Anna; fructus tuus finem imponet earum dolori, quae in angustiis pariunt» (l. c., 1475). Habetur hic allusio ad sententiam pariendi in doloribus adversus Evam a Deo prolatam, cui sententiae B. Virgo nullimode fuit obnoxia. Alibi ad Adam et Evam haec verba dirigit: «Exulta itaque, o Adam, propter Mariam Dei Matrem. Quoniam per mulierem a serpente deceptus fuisti, et per mulierem serpentem conculcabis. Venit enim tempus ut *sagittae potentis acutae* ex eadem illa natura proveniant, unde inimicus nocendi sumpsit instrumenta. Lignum enim et mulier origo fuerunt in paradiso tui exilii; nunc autem lignum et mulier tibi sunt restituito. Mulier quidem manu Dei aedificata te decepit; at mulier e lumbis Ioachim et Annae utero progenita, sine semine gignet mortis victorem, debellatoremque illius qui nos captivos abduxit ... Tu quoque mater matrum, Eva, gaude; quoniam filii tui non amplius ad corruptionem nascentur, sed incorruptione potientur ...» (l. c., 1495). B. Virgo «spes est omnium nostrum» (l. c., 1498).

II. S. IOANNES Damascenus (saec. VII - c. 749) ¹

Natus est Damasci in Syria, ex familia christiana saec. VII. Circa a. 732 in Monasterium S. Sabae, prope Hierosolimam, se recepit. A Ioanne V Ep. Hierosol. († 725) presbyter ordinatus, orationi et studio totum se dedit. Obiit circa

¹ Bibliographia: CHEVALIER, S. I., *La Mariologie de S. Jean Damascène*, Romae, 1936, (*Or. Chr. Anal.*, 109); cfr etiam in *Bulletin de la Soc. Française d'Et. Mar.*, 1935, pp. 155-177; GRUMEL, *La Mariologie de S. Jean Damascène*, in *Echos d'Orient*, 1937, 323.; JUGIE, *Jean Damascène et l'Immaculée Conception*, in *Bessarione*, 1923, 1 sq.; Cfr etiam art. *Jean Damascène* (S.), in *Dict. de Théol. Cath.*, t. 9-1, coll. 693-751, et praesertim col. 737 ubi de *Mariologia* S. Ioannis Damasceni agit. Art. *Immaculée Conception dans l'Eglise Grecque*, t. 7, coll. 920-921.; MITCHEL, S. M., *The Mariology of St. J. D.*, in *Kirkwood*, 1933; SCHUMPP, O. P., *Zur Mariologie des H. J. D.*, in *Divus Thomas* (Frib.) 1924, pp. 222-234.; VERCRUYSSSEN F., *De Marialeer van den H. Joannes Damascenus*, in *Handelingen van het Vlaamsch Maria-Congres te Brussel*, 8-11 sept. 1921, t. 1, pp. 239-249.

a. 749. Ob suam auream doctrinam, *Chrisorroa* (a=urum versans) appellatus est. (Cfr JUGIE M., in *Dict. de Théol. Cath.*, t. 8-1, coll. 693-751).

« Iohannes, maximus istius periodi Ecclesiae orientalis Theologus, sapientiam magnorum Patrum graecorum quodammodo in se reassumpsit. Ideas, quas Patres aetatis imprimis aureae uberrime protulerunt, Iohannes diligenter collegit, in suis operibus redegit et posteris (imprimis medio aevo) transmisit. Iohannes usque ad hodiernum diem auctoritas simpliciter est theologica Ecclesiae graecae. Sapientiam praesertim ex operibus Natianzeni hausit » (STEIDLE, *Patrologia*, p. 219).

Relate vero ad Mariologiam S. Ioannis Damasceni, haec iure scribebat P. Chevalier S. I.: « Le premier, Damascène offre en ses œuvres une Mariologie complète — complète pour son temps; il expose les résultats acquis, en éliminant avec un flair théologique rare, les déficits et les erreurs de ceux qui l'ont précédé, — complète en soi; il n'est pas un chapitre de nos Mariologies actuelles sur lequel le docteur damasquin n'ait et ne donne son avis, du moins, à mots couverts » (in *Bull. de la Soc. Française d'Et. Mar.*, 1935, p. 155).

S. Ioannes Dam. amore Virginis flagrabat. « Quid Dei Matre dulcius? Haec mentem meam captivam tenet: haec linguam depredata est: hanc diu noctuque meditor: haec cum Verbi sit parens, verba quoque suppeditat » (*Homil. III in Dormit.*, n. 1, PG 96, 754).

Et alibi: « Orationem suscipe servi peccatoris, qui te tamen ardentem amat colitque, teque solam gaudii spem habet, et vitae praesidem, nec non apud Filium pacatricem, ac certam salutis arrham » (*Homil. I in Nativ. Deip.*, n. 12, PG 96, 679). Eius doctrina mariana continetur praesertim in percelebri opere *De fide orthodoxa* (in quo prima veluti lineamenta Theologiae scholasticae continentur, et ipsa largiter usi sunt Petrus Lombardus et S. Thomas), et in quibusdam sermonibus circa Deiparam, quorum tamen quidam apocryphi sunt. Authentica est *Homilia de Nativitate B. M. V.* quae continetur in PG 96, 661-680. Sunt apocrypha: a) *Homilia de Nativitate* quae continetur in PG 96, 680-698, probabilissime ad Theodorum Studitam († 826) pertinet, iuxta testimonium Alatii (in suo *De Simeonibus*) et manuscriptorum, quorum unum ad saec. IX ascendit (cfr G. A. SCHNEIDER, *Der heil. Theodor von Studion, sein Leben und Wirken*, Münster, 1900, p. 8, et C. VAN DE VOORT, *A propos d'un discours attribué à Saint Jean Damascène*, in *Byzant. Zeitschrift* [1914-1920], pp. 128-132); b) secunda *homilia de Annuntiatione* quae legitur in PG 96, 648-662, et quae a Lesquien ut authentica habita est, ab hodiernis criticis ut apocrypha communiter habetur. Fragmentum vero arabicum alterius *homiliae de Annuntiatione* (l. c., 643-648) inter scripta dubia recenseri debet; c) *homilia II in Natali B. Virginis* (PG 97, 842).

Authentici sunt tres sermones *de Dormitione Deiparae*, quamvis critici quidam de illorum genuinitate dubitaverint. Testimonium enim manuscriptorum elo-

antiquissimum est. Inveniuntur, sub nomine S. Ioannis, in antiquissimo (a. 890) codice 1470 fundi graeci Bibl. Nat. Paris. In hoc codice antiquissimo invenitur inserta citatio *historiae Euthimianae* (748-752), quae a quibusdam criticis ut interpolata habetur (cfr NIESSEN, *Panagia Capuli*, Dulmen, 1906, pp. 128-140).

Habentur etiam quidam hymni in honorem B. M. V. inter quos certe authenticissimi sunt hymnus pro Annuntiatione B. M. V. (PG 96, 851-852), pro Dormitione B. M. V. (PG 96, 1363-1368) nec non troparii pro funeribus (l. c. 1368-1370).

« A l'époque où paraît saint Jean Damascène, la doctrine mariologique des Byzantins a atteint son plein développement. Les siècles suivants ne feront guère qu'ajouter quelques précisions à l'enseignement déjà universellement reçu. De cet enseignement notre docteur est l'écho fidèle; mais il faut dire, à sa louange, qu'il se montre beaucoup plus discret et plus réservé dans l'emploi des sources apocryphes, que plusieurs de ses prédécesseurs et que la plupart de ses successeurs. Il consacre à la généalogie et à la vie de Marie tout un chapitre du *De fide orth.*, l. IV, 14. Il revient sur le même sujet dans la première homélie sur la Dormition, 5-7, PG 96, 708-709. Il connaît sans doute les apocryphes et les utilise sans aucun scrupule, mais, avec un sens assez juste de la critique, il a soin d'écartier tout ce qui paraît par trop invraisemblable... Pour tout ce qui touche au dogme, son enseignement est irréprochable » (JUGIE, l. c., 737).

Mariologia S. Ioannis Dam. ad haec praecipua capita reduci potest:

a) *DE B. M. V. CONSIDERATA IN ORDINE AD DEUM.*

1. **De praedestinatione B. M. V.** Scribit: « Certabant inter se saecula, quod tibi ortu tuo gloriaretur. Sed eorum intentionem superavit praefinitum Dei consilium, a quo saecula facta sunt, ac postrema prima evaserunt, quibus tua haec natiuitas obtigit... Dignitatem tuam, praecognoscens universorum Deus, Te proinde dilexit, dilectamque praedestinavit, atque extremis temporibus produxit ac Deiparam matrem sui que Filii ac Verbi nutritiam fecit » (*Homil. in Nativ. B. M. V.*, PG 96, 672, 3).

2. **De prophetiis et symbolis B. M. V.** « Ipsa ... ante omne aevum praescientiae Dei consilio praedestinata erat, variisque prophetarum imaginibus et sermonibus a Spiritu Sancto adumbrata et praenuntiata... » (*De fide orth.*, l. IV, c. XIV, PG 94, 1156 A). Et alibi: « Hanc quidem Pater praedestinavit, prophetae vero per Spiritum praenuntiaverunt » (*In Dormitionem Deip.*, PG 96, 704 A). « Quo loco praeconia prophetarum ponam? ». B. Virginem videt: a) in virga de radice Jesse (Is. 11, 1); b) in Virgine concipiente et pariente Emmanuele (Is. 7, 14); c) in porta clausa (Ezech. 44, 2-4). In symbolis et figuris B. M. V. exponendis, S. Dam. abundantissimus est (cfr CHEVALIER, o. c., pp. 49-58).

3. **De divina maternitate.** Pro S. Joanne Dam., divina maternitas non est nisi corollarium unionis hypostaticae, vi cuius Christus est vere Deus et Maria

vere Deipara, *Theotocos*. In duobus capitibus l. *De fide orth.* (l. III, 12, et l. IV, 7), contra Nestorianos, maternitatem divinam plenissime exponit. Verbum *Theotocos*, solum, sufficit ad Incarnationis mysterium plene stabiliendum et illustrandum (1029). Generatio non naturam sed personam respicit; est enim persona quae generatur (1113). « Qui te Dei Genitricem confitentur, hi benedicti sunt; qui inficiantur, maledicti » (n. 11, *Homil. in Nativ. Deip.*, 679). Cfr etiam PG 96, 721 C D).

Hanc Deiparae dignitatem summis laudibus effert. Ratione eius B. Virgo p. eum inter omnes creaturas obtinet (PG 95, 49 C). In *de fide orth.* (PG 94, 1027) scribit: « Sanctam Virginem Dei proprie et vere genitricem praedicamus. Sicut enim verus est Deus qui ex ipsa natus est, ita perinde Dei Mater est quae verum Deum ex se incarnatum genuit. Deum porro ex ea natum esse dicimus, non quod Verbi divinitas existendi principium ex ea traxerit; sed quia Verbum ipsum, quod ante saecula citra ullum tempus genitum est, ac sine exordio et sempiternae una cum Patre et Spiritu Sancto est, in extremis diebus salutis nostrae causa, in utero ipsius habitavit et assumpta carne ex ea genitum est sine sui demutatione. Non enim hominem purum sancta Virgo genuit, sed Deum verum, non nudum sed carne vestitum, nec ita ut corpore de coelis allato, per eam velut per canalem transierit, sed ex ipsa carnem eiusdem ac nos substantiae acceperit quae in seipso subsisteret. Nam si corpus e coelo devictum est ac non ex natura nostra acceptum quid tandem inhumatione opus est? ».

In *Or. I de Dorm. Deip.*: « Si igitur iustorum omnium memoria cum laude recolitur, quisnam est qui Iustitiae fonti et Sanctitatis thesauro laudem non exhibeat? Hanc non hominum lingua, non angelorum mundo sublimior mens, sat dignis laudibus efferre potest, per quam datum nobis est Domini gloriam perspicue contueri?... At infinitum servorum ac matris discrimen est » (PG 96, 700).

In *hom. II in Nat. B. M. V.*: « Quamvis innumera quis de te dixerit, numquam tamen argumenti dignitatem assecutus erit » (PG 96, 690). Cfr etiam *Homil. II in Dormit. Deip.*, PG 96, 17, 746.

b) DE B. M. V. CONSIDERATA IN ORDINE AD HOMINES.

1. De B. M. Virgine mediatrice hominum. Explicite asserit: « Ut enim ille (Iacob) per extremas scalae partes caelum cum terra copulatum ... vidit: sic tu quoque, *Mediatricis* munus obiens ... ea quae dirempta erant collegisti » (*Homil. I in Dormit. Deip.*, PG 96, 714).

a) DE COOPERATIONE AD OPUS REDEMPTIONIS. B. Virgini omnia beneficia redemptionis tribuit. Imo, ratio ipsa essendi B. Virginis ab opere nostrae salutis repetitur: « Vitam naturam potiore[m] habebis. Habebis autem non tibi ipsi, quippe quae non tui ipsius causa genita sis: quocirca Deo bene habebis, cuius gratia in mundum prodiisti; ut orbis universi veluti obsequaris » (*Hcmil. in Nativ. Deip.*, PG 96, 676 B). Per ipsam primigeniae matris Evae luctus in gaudium est com-

mutatus» (*Homil. in Nativ. Deip.*, n. 1, PG 96, 662). Vocatur «primigeniae parentis Evae emendatio! Tuo namque partu, quae ceciderat, erecta est ... Quamvis enim prima Eva praevaricationis rea extiterit, ac per eam mors, dum illa serpenti adversus primum parentem inserviret, ingressa sit: attamen Maria, divinae obsequens voluntati, deceptorem anguem ipsa decepit, ac mundo immortalitatem invexit (l. c., n. 7, 671). «Adam et Eva, nostri generis auctores, exultantibus labiis alte exclamarunt: Beata tu, filia, quae violati mandati poenas nobis substulisti. Tu mortale corpus a nobis sortita, immortalitatis indumentum nobis peperisti. Tu, cum a lumbis nostris ortum accepisses, nobis ut bene essemus rependisti. Dolores solvisti; mortis fascias rupisti; ad veterem sedem nos postliminis revocasti. Nos paradisum clausimus, tu ligno vitae iter patefecisti. Per nos ex laetis tristia venerunt: ex tristibus contra laetiora per te redierunt» (*Homil. II in Dormit.* n. 8, PG 96, 734). «Per te salutem nostram (Christus) est operatus» (*Homil. III in Dormit.*, n. 5, PG 96, 762).

b) DE MATERNITATE SPIRITUALI B. M. V. Ipsa est illa «per quam mors expulsa est, vita autem importata» (*Homil. II in Dormit.*, n. 16, PG 96, 746). In ore Virginis haec verba ponit: «Tu (Christe) charissimis meis *filiiis*, quos tu *fratres* appellare non dubitasti, migrationis meae solatium esto» (*Homil. II, in Dormit.* n. 10, PG 96, 735).

c) DE DISTRIBUTIONE OMNIUM GRATIARUM. In *Homil. II in Dormit. B. M. V.*, haec in ore Virginis ponit: «Ego officina medicinae aegrotantibus evasi. Ego fons sanitatum perennis. Ego daemonum profligatio. Ego iis qui ad me confugiunt, civitas refugii. Accedite populi cum fide, et gratiarum dona affluentissime haurite ... Ego universis evangelice clamo: quisquis morborum sanationem sitit, vitiorum animae depulsionem, peccatorum abstersionem, quarumcumque calamitatum submotionem, regni coelestis requiem, ad me cum fide veniat donumque gratiae efficacissimum exhauriat ... Gaudii fontem hospitio excepi, perennisque huius scaturiginis divitiis affluo» (PG 96, 746).

Saepe B. Virgo exhibetur tamquam fons cuiuslibet auxilii, sive temporalis sive spiritualis (cfr PG 96, 717 B, 761 C, 721 B, 677 CD, 745 C, 729 D).

«Per hanc nobis cum eo [Deo] reconciliatio sancita, paxque et *gratia* donata est: unde angeli una cum[†] hominibus choros agitant, et qui prius contempto eramus, Dei filii effecti sumus. Ex ea vite uvam collegimus: ex ea immortalitatis germen excepimus. Haec nobis omnia bona conciliavit. In hac Deus homo factus est, et homo Deus» (*In Dormit. III*, n. 16, PG 96, 743).

2. **De B. M. V. Regina.** S. Ioannes Dam. praecipuus assertor videtur muneris regii B. M. V. in sensu proprio et formali. B. Virgo enim, appellatur ab ipso Regina, hera, Domina, «domina omnis creaturae (cfr PG 94, 1158-1159; 1162; 96, 670, 690, 719, 722, 742, 755, 759, 839). In *Homil. II in Dormit. Deip.* assertit: «Oportebat denique Dei Matrem ea quae filii essent, possidere et ab omnibus adorari. Quamquam enim haereditas a parentibus ad filios semper devolvitur,

nunc tamen, ut eruditi cuiusdam verbis utar, sacrorum fluminum fontes sursum cursum religunt. Res quippe omnes Filius Matri mancipavit » (PG 96, 742).

In *De fide orth.*: « Itaque gratia (Anna) Dominam parit quae vere omnis creaturae Domina facta sit, cum Creatoris Mater exstitit ... Profecto vero et proprie Dei Genitrix est et Domina, omnibus creatis imperat, quae Mater exstitit Creatoris » (PG 96, 1158).

c) DE B. M. V. CONSIDERATA IN SEMETIPSA.

Est summum Dei opus « encomiorum omnium leges superans » (*Homil. II in Dormitionem B. M. V.*, PG 96, 721 CD). Nemo illam digne laudare potest « nec si omnes hominum toto orbe dispersorum linguae in unum coeant dignas eius laudes exequi possint » (l. c.).

I. - De respicientibus animam B. M. V.

I. DE IMMACULATA CONCEPTIONE.¹ Plures theologi orthodoxi recentiores tenent S. Ioannem Damascenum hoc privilegium Deiparae negasse; et hoc probant ex duplici textu, videlicet: a) ex op. *De fide orth.* (l. III, c. II, PG 94, 985) ubi B. Virgo dicitur *purificata* a Spiritu S. post suum consensum in Incarnationem; et b) ex I homil. in Dormitione B. M. V. (PG 96, 704) ubi idem dicitur. Igitur, iuxta illos, peccatum originale in B. Virgine usque ad diem Annunciationis permansisset.

Attamen, interpretatio haec componi nequit cum iis quae S. Ioannes Dam. in aliis locis asserit, et praesertim cum illis ex quibus deducitur B. Virginem a) singularem omnino sanctitatem habere; b) puriorem esse illis omnibus qui peccatum originale non habuerunt (protoparentes, Angeli); c) antithesim esse praevaricationis (cfr CHEVALIER, o. c., pp. 141-163). In ipso op. *De fide orth.* legitur quod B. Virgo, tempore quo vivebat in templo, erat iam « tota sancta », « domicilium omnium virtutum ». « La purification du jour de l'annonciation (iure animadvertit P. Jugie) ne peut donc s'interpréter, d'après les principes même du Damascène, que d'une pureté plus parfaite, d'une sainteté plus grande, idée que nous avons déjà rencontrée chez plusieurs docteurs » (*Dict. de Théol. Cath.*, t. 7, col. 920). Idem ex aliis scriptis S. Ioannis Dam. probatur.

¹ Pseudo-HERZOG (TURMEL, modernista) in op. *La sainte Vierge dans l'histoire*, Paris, Nouroy, 1908, et in art. *Débuts de la croyance à la Sainteté de Marie*, in *Rev. d'histoire et de littérature religieuse*, t. 12 (1907), p. 549, scripsit quod tempore S. Ioannis Damasceni Ecclesia Orientalis ignoravit dogma peccati originalis, et ideo Patres Orientales de Immaculata Conceptione loqui non poterant. At, Patres Orientales, sive ante sive post Concilium Ephesinum, dogma peccati originalis explicite omnino professi sunt, et quidem etiam terminis ab hodiernis minime diversis. Cfr e. g. *S. Gregorius Natanzenus (Oratio XIX, 13, PG, 25, 1060)*, *S. Basilii Magnus (Homilia dicta tempore famis, PG 31, 324)*, *S. Ioannes Chrysostomus (In Epist. ad Rom., homil. X, PG 60, 477)* etc. Cfr *Dict. de Théol. Cath.*, 7, 894-897.

In homil. in *Nativ. Deip.* legitur: « O par beatum Ioachim et Anna! Per vos enim donum omnium donorum praestantissimum Creatori obtulit, nempe castam matrem, quae sola Creatore digna erat. O lumbos Ioachim beatissimos, ex quibus mundissimum semen iactum est! O praeclaram Annae vulvam, in qua tacitis accrementis ex ea auctus atque formatus fuit fetus sanctissimus! O uterum in quo animatum coelum, coelorum latitudine latius, conceptum fuit! O miraculorum miracula et rerum admirabilium rex maxime mirabiles! Aequum quippe erat, ut ad ineffabilem Dei incarnationem, qua se ille ad nos inclinavit, iter per miracula muniretur ... Hodie ille fabri filius, rerum omnium artifex Verbum filius, qui per ipsum omnia condidit, forte illud Dei altissimi brachium, obtusam naturae asciam Spiritu Sancto ceu digito suo exacuens, animatam sibi ipse scalam fabricavit, cuius ima pars in terra firmata est, summa autem ad caelum usque porrigitur, cui Deus innitatur » (PG 96, 673). Cfr etiam *ibid.* (673), ubi B. Virgo primogenitura sanctitatis vocatur. In hoc textu sat clare idea sanctitatis initialis Deiparae exprimitur. Insuper B. Virgo dicitur « tota pulchra, tota Deo propinqua ... divinis gratiis affluens ... lilium inter spinas ... filia quae, ... igneis maligni telis latuisti: quae, in Spiritus thalamo versata es, et sine macula custodita, ut sponsa Dei, naturae Dei mater esses » (l. c., 669, 672). B. Virgo, iuxta S. Ioannem, fomitem concupiscentiae (qui est effectus peccati originalis) ignoravit. Scribit enim: « O divinum vivumque simulacrum, cuius conditor Deus pulchritudine delectatus est, quod mentem quidem divinitus gubernatam habet, Deoque soli addictam; cupiditatem vero omnem ad id quod solum expetendum est, et amore dignum, intentam » (l. c. 676) « sola semper, tum mente, tum animo, tum etiam corpore virginitatem cultura » (*ibid.*, 668). Corpus eius « beatissimum et immaculatum » dicitur (*Homil. I in Dormit. Deip.*, n. 11, PG 96, 715). Miratur S. Doctor quomodo Maria morti, poena et consequentia peccati (*in Ep. ad Rom.*, PG 95, 477, 481), subiecta esse potuerit.

« Quomodo, o immaculata, mortem obnoxia efficieris? » (*Homil. II in Dormit. Deip.*, 733). In ipsa stimulus mortis, i. e. peccatum, mortuus est (l. c., 728); et haec est ratio cur corpus eius a corruptione sepulcri fuit immune.

B. Virginem habet « puram, atque omnibus post Deum puritate praestantem » (*Homil. II in Dormit. Deip.*, PG 96, 726). In ore Virginis morientis haec verba ponit: « Accipe animam quam immunem a culpa servasti » (*Homil. II in Dormit. Deip.*, PG 96, 727). B. Virgo declaratur « antiquae maiorum suorum scortationis adversaria » (*Homil. in Nativ.*, 8, l. c., 673 b), « humanae venustas naturae, primigenae parentis, Evae emendatio » (7, l. c., 672 b); « humani generis ornamentum, omnisque creaturae decus » (*Homil. I in Dormit. Deip.*, 2, l. c., 702 c).

2. DE VIRTUTIBUS B. M. V. In ipsa fuerunt omnes virtutes. « Hanc feminam Deo, universorum Regi, offeres, (o Anna), virtutum, tamquam fimbriis aureis, circumamicta, elegantia Sanctique Spiritus gratia coronatam, cuius gloria ab intus » (*Homil. in Nativ. Deip.*, n. 9, PG 96, 674).

Deinde varias virtutes B. Virginis describit (n. 11, l. c., 678-679). « S. Jean Dam., est le premier qui ait placé Marie au sommet de toute sainteté créée, sans réticence » (CHEVALIER, l. c., p. 168).

Gladius qui tempore Passionis animam B. M. V. pertransivit, non est (pro S. Ioanne Dam.) dubitatio aliqua de divinitate Christi, sed est dolorosa Matris compassio coram Unigenito Crucifixo (*De fide orth.*, l. IV, 14, 1161 c. d.).

II. - De respicientibus corpus B. M. V.

1. ORIGINIS NOBILITAS. B. Virgo fuit ex familia Regia et Sacerdotali (*Homil. I in Nativ. B. M. V.*, n. 6, PG 96, 687). Cfr etiam *De fide orth.*, l. IV, 14; et *Homil. II in Dormit. Deip.*, 5-7, PG 96, 708-709.

2. DE PASSIBILITATE ET MORTALITATE. B. Virgo « mortale corpus (a parentibus) sortita » est (*Homil. II in Dormit. Deip.*, n. 8, PG 96, 734). Mortua est ut Filio similis evaderet qui paternum debitum solvere voluit (*Homil. I in Dormit. Deip.*, n. 10, l. c., 713 d.; *Homil. II in Dormit. Deip.*, 3, 728 c.). « Papae! papae! fons vitae, Domini Mater moritur? Oportebat enim, ut quod e terra conflatum erat, ad terram reverteretur ... » (*Homil. III in Dormit. Deip.*, n. 3, PG 48, 758). B. Virgo mortua est Hierosolymis, in monte Sion, ubi habitabat (*Homil. II in Dormit. Deip.*, n. 4, l. c., 729).

III. - De respicientibus animam simul et corpus.

1. DE PERPETUA VIRGINITATE DEIPARAE. Hanc pluries profitetur; e. g.: « Cum omnis virgo virginitatem pariendo amittat, haec tamen et ante partum, et in partu, ac demum post partum virgo permansit » (*Homil. II in Dormit. Deip.*, PG 96, 724 C; cfr etiam 96, 668 C).

2. DE ASSUMPTIONE B. M. V. Etiam hoc privilegium apertissime docetur. Sicut corpus Iesu, ita et corpus Mariae corruptionem sepulcri ignoravit (*Homil. I in Dormit. Deip.*, n. 10, l. c., 716 B); et animae suae, tertia die post mortem, rursus unitum fuit, ut vitam incorruptibilem et aeternam haberet. Hoc enim privilegium ipsi debebatur utpote Matri Vitae et Novae Evae (*Homil. II in Dormit.*, 2-3, 8, 14, 17, l. c., 725-728, 733 C, 741 A, 745 B; *Homil. III in Dormit.*, 3, l. c., 757 B C). Plures rationes convenientiae exponit, pro assumptione B. M. V.

In caelo vero, B. Virgo ad dexteram Filii sui sedet, supra Cherubim et Seraphim, universalis regalitatis Christi particeps. « Ut in caelum delata est, et Filio super omnes Angelorum classes adstat: nihil enim inter Filium et Matrem medii est » (*Homil. III in Dormit.*, nn. 4, 5, PG 96, 758-762).

d) DE CULTU B. M. V.

Haec, inter alia, digna sunt quae recolantur. « Domina, Domina, inquam, atque iterum Domina, animas nostras ad spem tuam, non secus atque ad firmissimam, solidissimamque anchoram alligantes, mentem, animam, corpus, ipsosque denique totos tibi consecramus » (*Homil. II in Dormit. Deip.*, n. 14, PG 96, 719).

« Curemus ut mens memoriaque nostra Dei Genitricis promptuarium fiat..., vitia alacri animo vitando, virtutes omni studio persequendo, (tunc), frequens ipsa ad famulos suos veniet et secum bonorum omnium agmen trahet, Christumque Filium suum una assumet qui in cordibus nostris habitet » (l. c., n. 19, 751).

CONCLUSIO: S. Ioannis Damasceni merita et positio in Mariologia, ita a Chevaller in syntheses rediguntur: « En Mariologie ... il semble que Dam. peut revendiquer comme siennes les positions suivantes: 1) Un système physiologique sur l'Incarnation, qui propose le premier accord du dogme et d'Aristote. 2) Avec clarté et insistance, Dam. met Marie au premier rang des pures créatures, alors que d'autres ou n'osent ou contredisent. 3) Des intuitions fécondes sur Marie médiatrice universelle et canal de toutes les grâces, et mère des hommes. 4) Une affirmation plus claire et mieux avisée de l'Immaculée Conception. 5) Une insistance extraordinaire sur la sainteté du corps de Marie. Et nous ne parlons pas de ses thèses, connues sans doute avant lui, mais qu'il fut le premier à étager théologiquement, Dormition et Images » (o. c., p. 248).¹

II. - Patres occidentales

I. S. FULGENTIUS Ep. Ruspensis (c. 467-532)²

Telepti, in Africa, ex nobili stirpe ortus, et a pia matre egregie educatus, post lectionem expositionis S. Augustini in Ps. 36, monasticam vitam amplexus est. Circa a. 507 Episcopus Ruspensis electus, paulo post, una cum aliis 60 Episcopis Catholicis a Vandalorum Rege in Sardiniam insulam relegatus est. Anno 523, in patriam rediit, ibique obiit a. 532. Fuit, iuxta Bossuet, « le plus grand théologien et le plus saint évêque de son temps » (*La défense de la tradition*, t. I, c. XIV).

Quaedam etiam de B. M. V. scripsit. Sermo tamen II in *Purificatione B. M. V.* (PL 65, 838 sq.) est apocryphus. Sunt etiam apocrypha: a) Sermo I de *Nat. Domini* (PL 65, 859-860); b) Sermo IV de *Epiphania et de Innocentibus* (PL 65, 863 sq.); c) Sermo XXXVI de *laudibus Mariae ex partu Salvatoris* (PL 65, 898-900).

¹ Ad hanc periodum (saec. VI-VIII) pertinent: 1) *Sermo de Simeone et Anna ac de S. Deiparae* (PG 18), Pseudo-Methodii (saec. VI-vel VII); 2) *Sermo in Annuntiationem Deip.* (PG 28) Pseudo-Athanasii (saec. VII vel. VIII); 3) *Homiliae Marianae* Pseudo-Gregorii Thaumaturgi (PG 10); 4) *Homilia in laudem SS. Deiparae*, Pseudo-Epiphanii (PG 43, 478-490).

² Cfr GODET P., in *Dict. Théol. Cath.*, t. 6-1, coll. 968-872.

a) **De divina maternitate.** Pluries factum affirmat, defendit atque illustrat. Sic, e. g. « Beatam vero Virginem Mariam, non propter dignitatem illius qui ex ipsa natus est (quem gratia et non natura Deum quidam impie praedicare non metuunt), sed proprie et secundum veritatem credimus *Theotokos*, id est Dei Genitricem, eo quod pepererit vere et proprie Deum Verbum incarnatum et hominem factum, atque essentialiter sive naturaliter carni unitum » (Ep. 16, c. 3, n. 4, PL 65, 444); cfr etiam Ep. 17, *ibid.*, 454, 458 etc.). « Deus factus est filius Virginis Mariae, et Maria Virgo facta est Mater Unigeniti Dei » (PL 65, 680).

B. Virgo tamen Deum et hominem concipere, non humanis meritis, sed Dei dignatione promeruit (PL 66, 458).

b) **De perpetua virginitate Deiparae.** « Solius eius (Christi) mater, sicut virgo fuit ante conceptum, sic virgo permansit inviolata post partum » (*De veritate praedestinationis*, c. 2, n. 5, PL 65, 605).

c) **De sanctitate Deiparae.** Asserit S. Fulgentius — post S. Augustinum — carnem Virginis fuisse *carnem peccati* (ep. 12 n. 13, PL [65, 458]). Attamen, in sermone 2 de duplici nativitate Christi, n. 6 (PL 65, 728) scribit: « Primum hominem mulier corrupta mente decepit, secundum hominem virgo incorrupta virginitate concepit. Per primi hominis coniugem nequitia diaboli seductam depravavit mentem, in secundi autem hominis matre gratia Dei et mentem integram servavit et carnem: menti contulit firmissimam fidem, carni abstulit omnino libidinem ».

Asserit insuper quod Deus « qui de ea fuerat nasciturus, ita singulari gratia praevenit atque replevit, ut ipsum haberet ventris sui fructum, quem ex nihilo habet universitatis Dominum » (*De fide*, n. 17, PL 65, 680).

d) **De cooperatione ad opus redemptionis.** Notissimum parallelismum inter Evam et Mariam ita evolvit: « Sic ergo peccatum et poena peccati, quae per scelus corruptae mulieris intravit in mundum, per inviolatae virginis partum aufertur a mundo. Et quia in conditione generis humani per mulierem quae de solo viro facta est, contigit ut mortis vinculo teneremur obstricti, hoc in redemptione humani generis divina bonitas egit, ut per virum qui de sola muliere natus est, vita hominibus redderetur ... Ibi foemina decepta est ut fieret filia diaboli: hic virgo gratia repleta est ut fieret mater summi atque incommutabilis Unigeniti Dei ... » (*De fide*, n. 18, PL 65, 680).

Spiritualem hominum maternitatem innuit in verbis illis ubi agit de alloquio Gabrielis « ad ipsam quoque beatam virginem, futuram scilicet Creatoris, sui, imo *omnium rerum genitricem* ... » (epist. 17, 3, n. 6, PL 65, 455).

2. S. ELEUTHERIUS Ep. Tornacensis († 531?)¹

Et tribuuntur quinque sermones (PL 65, 91 sq.) quorum tamen tres priores ~~quodammodo~~ authentici sunt. Sermo igitur *in die natali Domini* et *in festo Annuntiationis*, in quibus quidam loci mariani inveniuntur, dubii sunt, et recentiores ~~ante~~ S. Eleutherii videntur.

In sermone de *Incarnatione Domini* (PL 65, 91-93) agit: 1) DE PROPHETIIS ~~ante~~ B. M. V. Asserit enim quod « de partu Mariae Virginis prophetae sunt ~~praecognati~~ » (PL 65, 92). Et laudat prophetiam Isaiae de virgine matre ~~Emm-~~ ~~an-~~ ~~nis~~ (Is., 9, 7); 2) DE VIRGINITATE DEIPARAE: « Necessarium quidem erat hu- ~~mano~~ ~~generi~~, ut quem Pater ab initio invisibilem genuerat, virgo conciperet, virgo ~~visibilem~~ produceret, et virgo post partum permaneret » (o. c., 92).

3. S. GREGORIUS Ep. Turonensis (538-594)²

Natus est in Gallia, in urbe Avernorum, a. 538. Circa a. 579 Episcopus Tu- ~~ronensis~~ electus est. Plura reliquit opera, inter quae *Historia Francorum* nec non ~~quaedam~~ opera hagiographica in unum opus collecta, cui titulus *Octo miraculo-* ~~rum~~ ~~libri~~, inter quos inveniuntur libri *de gloria Martyrum* et *De vita Patrum*, in ~~quibus~~ etiam quaedam de B. M. V. habentur (PL 71). Est primum testimonium ~~deposcitur~~ in Occidente.

In scriptis huius Sancti, praeclarum habetur testimonium de VIRGINITATE ~~DEIPARAE~~: « Credo beatam Mariam, ut Virginem ante partum, ita Virginem et ~~post~~ ~~partum~~ » (*Hist. Franc.*, lib. 1, prolog.). Testimonium pariter praeclarum ha- ~~betur~~ de CORPOREA ASSUMPTIONE B. M. V. (*De gloria martyr.*, c. 4).

Narrantur insuper miracula quaedam a B. Virgine patrata (*De glor. martyr.*, ~~cap. 11~~) et apparitio quaedam B. M. V. (*De gloria martyr.*, c. 10). Tandem, plu- ~~res~~ Ecclesiae Deiparae dicatae, a S. Greg. Tur. memorantur, videlicet: apud ~~Constantinopolim~~ (p. 730),³ De portu, Avernis (p. 490), Lugduni (p. 947), Pic- ~~cardia~~ (pp. 420, 475), Romae (p. 483), Tolosae (pp. 338, 1394), Trevis (p. 447), ~~Tarvis~~ (pp. 412, 534, 743), Dives (p. 1396), De scriniolo (p. 456).

4. S. VENANTIUS FORTUNATUS (c. 530-c. 601)⁴

Natus est apud Cenedam in agro Tarvisino circa a. 530. Ravennae in studium ~~grammaticae~~ et rethoricae incubuit. Cum per invocationem S. Martini Ep. Tu- ~~ronensis~~ a morbo oculorum liberatus esset, ad eius sepulcrum invisendum, Tu-

¹ Cfr FIÉVET, *S. Eleuthère évêque de Tournai*, 1890; HEURTEBIZE B., in *Dict. Théol. Cath.*, t. 4, col. 2320.

² Cfr LOEBELL J. W., *Gregor von Tours und seine Zeit*, 2. ed., Leipzig, 1896.

³ Paginae hic indicantur iuxta editionem Ruinart.

⁴ Cfr GODET P., in *Dict. Théol. Cath.*, t. 6, coll. 611-614.

ronem se contulit; postea Pictavii sedem constituit, ibique presbyter ordinatus, in parvo conventu monialium pro bono animarum adlaboravit. Circa finem saec. sexti Episcopus Pictaviensium electus, paulo post obiit.

Reliquit 300 fere carmina, quae sermonis elegantia et venustate excellunt (PL 88). Iure meritoque inter maiores Ecclesiae Latinae poëtas communiter recensetur. Plura de B. Virgine scribit in longo poemate « *In laudem sanctae Mariae Virginis et Matris Domini* » (PL 88, 276-284). Ad ipsum etiam pertinet hymnus « *Quem terra, pontus, aethera* », ¹

a) **De prophetiis B. M. V.** Assertit quod « lingua Prophetarum cecinit de Virgine partum » (PL 88, 276). Et statim varia memorat vaticinia, videlicet: prophetia Isaiae (de virgine, de virga e radice Iesse), Ezechielis (de porta clausa), Danielis (de lapide exciso e monte), Michaeae (de pariente paritura in Bethlehem) etc.

b) **De maternitate divina.** Repetitis mirisque laudibus divinam maternitatem extollit. « Ipse pater mundi, filius ipse tibi! — Unde tuum, mater, generas natum atque parentem: — hinc prolem, inde patrem: hoc Deus, illud humus. — Cuius honore sacro, genitrix, transcendis Olympum. — Et super astrigeros erigis ora polos » (PL 88, 282). Et exclamat: « Quis tibi digna canat? » (l. c., 265). « Pulchra super gemmas, splendorem solis obumbrans — alba super caelos, et super astra nitens » (l. c., 284). Deiparam insuper, super omnes caelites, in gloria caelesti, mirifice exaltat.

c) **De virginitate Deiparae.** In hymno « *Ave, maris stella* », Deipara dicitur « semper virgo », « virgo singularis » (PL 88, 265). Deipara fuit virgo « qualis nulla fuit, nulla futura venit » (ibid., 277). In amplo poemate « *De virginitate* » (PL 88, 266-276), Deiparam, super omnem chorum Virginum exaltat. « Inde Dei Genitrix, quia Virgo Maria coruscat, — Virginesque Agni de grege ducit oves. — Ipsa puellari medio circumdata coetu, — luce pudicitiae splendida castra trahit » (l. c., 267). « Virginitas felix, quae partu est digna Tonantis — quae meruit Dominum progenerare suum! » (l. c., 268). « Nec violata parit, nec pariendo doles » (l. c., 282). « Cuius fructus adest, et flos non perdit honores, — quae nato es genitrix, et tibi virgo manes » (l. c., 281).

d) **De sanctitate Deiparae.** In B. Virgine videt « germen iustum » quod Deus Davidi promiserat (Ier. 23, 5), et in Virgine opus proprium divini artificis salutatur, opus pulchritudinis incomparabilis, massa luminosa novae creationis: « *Hoc germen iustum Virgo* est, et *Rex* suus infans, — Iudicium faciens, arbiter, orbis herus ... — Figmentum figuli, super omnia vasa decorum, — atque creaturae fulgida massa novae » (l. c., 277, 281). Ipsa est « flos novus e terra », « ad laudem artificis nobilis artis opus », « omnes ultra homines dona decoris habens — Inde rubore rosas, candore hinc lilia vincens » (l. c., 281). Modi isti dicendi et praeser-

¹ De auctore percelebris hymni « *Ave Maris stella* » qui inter opera Venantii Fortunati invenitur (PL 88, 265-266) disputatur utrum sit Venantius Fortunatus vel S. Bernardus vel Robertus II, (cfr PLAINE O., S. B., *Studien und Mittel*, t. 14, pp. 244-255).

tim unio Matris cum Filio in unica notione « germinis iusti », virginem in ordine ad se collocare videntur, et ad sanctitatem *initialem* Deiparae alludere videntur.

e) **De cooperatione ad opus redemptionis.** B. Virgo appellatur « femina forma salutis » (l. c., 283). Ipsa est nova Eva, reparans damna prioris. « O Virgo insignis, nobis — quae medela monades (i. e. Evae) — Quam Deus implevit totius orbis spe. — Quaeque creatorem meruisti ventre tenere, — et generare Deum, concipiente fide. — Mundatura novo partu de crimine mundum, — atque sacro fetu progenitura Deum. — Humano generi genuit quos Eva dolores, — curavit genitus, virgo Maria, tuus. — Peccati iaculo defixa in stirpe cicatrix — uicera nulla gerit, nec sua signa patent » (l. c., 279). Et alibi exclamat: « Felix quae generi humano sub Tartara lapso, — ad caelos facta es sors, via, porta, rota. — Aula Dei, ornatus Paradisi, gloria regni, — hospitium vitae, pons penetrando polos » (l. c., 281). B. Virgo illa est « per quam omnes fines terrae meruere salutem » (l. c., 284).

Ad actualem dispensationem gratiarum alludere videtur cum B. Virginem vocat « auxilium terrae » (l. c., 285), et in conclusione poematis sui: « Haec tibi qui indignus quamvis corde, ore susurro, — spes mihi vis veniae, quae vehis orbis opem » (l. c., 284).

f) **De munere regio B. M. V.** « Conderis in solio felix regina superbo — cineris et niveis lac ea virgo choris » (l. c., 282). « Sic iuxta genium regem, regina perennem, — ornata ex partu, mater opima, tuo » (l. c., 282).¹

5. S. HILDEPHONSUS Ep. Toletanus († 669)²

Natus est Toleti anno 607; iuvenis, discipulus fuit S. Isidori Hispalensis; postea in Ordine S. Benedicti monasticam vitam amplexus est. Fuit Abbas sui monasterii et postea Episcopus Toletanus. Obiit die 27 ianuarii 669. Fuit Virginis devotissimus et addictissimus servus: « Quam prompte servus huius Dominae effici concupisco, quam fideliter servitutis huius iugo delector, quam plene famulari huius imperiis opto, quam ardentem ab illius dominio dissociari non quaero, quam avide ab ipsius famulatu nusquam abstrahi cupio » (PL 96, 107). Iuxta Cixilam (qui fuit Episcopus Toletanus inter a. 774 et 783), S. Hildephonsus, in festo *Expectationis partus*, visione Virginis recreatus fuit, quae ipsi pallium dedit. Plura scripsit, inter quae eminet tractatus *De Virginitate perpetua S. Mariae adversus tres infideles* (PL 95, 51-110).³ Tres infideles sunt Iovinianus, Helvidius

¹ De locis istis Venantii Fortunati nulla mentio fit in opere DE GRUYTER, *De B. Maria Regina*, 1934.

² Cfr BAREILLE G., in *Dict. Théol. Cath.*, 7-1, coll. 740-743.

³ Liber *de partu Virginis* (PL 96, 207-227), S. Hildephonso tributus, ad Pascasium Radbertum pertinet. Dubiae authenticitatis sunt *Liber de corona Virginis* (PL 96, 283-317) nec non 14 Sermones de B. M. V. (PL 96, 239-283).

et Iudaeus quiaam (qui probabiliter utebatur argumentis Ioviniani et Helvidii contra perpetuam virginitatem Deiparae).

« Tractatus iste, in quo repetitiones rethoricae abundant, in 12 capita dividitur. In I, capite, contra Iovinianum ostendit Deiparam *in conceptu et partu* virginem permansisse, Dei dono atque gratia singulari. Ita incipit: « O Domina mea..., mater Domini mei..., te rogo, te oro, te quaeso, habeam spiritum Filii tui, habeam spiritum Redemptoris mei, ut de te vera et digna loquar, de te vera et digna quaecumque dicenda sunt dicam (alius Cod. habet: quaecumque sunt diligam) » (PL 96, 58). In cap. 2, virginitatem Deiparae post partum, contra Helvidium confirmat. In cap. 3, aliquot prophetarum oraculis ostendit virginitatem summam oportere cum maternitatis gloria coniungi. In c. 4 Iudaeum hortatur ne Virginis et matris gloriam minuat, eo quod matris ignominia in Filium ipsum redundat; et quod Virginem adorant omnes caelestes virtutes, et confluent ad eam omnes populi, Iudaeorum quoque perfidiam obiter ostendit ab antiquis Patribus divinitus prophetatam. « Ecce — scribit — impleta est omnis terra, per hanc Virginem, gloria Dei » (PL 96, 67). « Unde iam veni mecum ad hanc Virginem, ne sine hac properes ad gehennam » (l. c. 69). In cap. 5, explicat sacrum Incarnationis arcanum. In cap. 6, oratione ad Iesum praemissa, probat filium B. M. V. esse Deum. In cap. 7 docet quomodo Christus sit Deus simul et homo, eiusque vitam usque ad Spiritus sancti in Apostolos missionem copiose depingit. In cap. 8, ostendit Deum multa fecisse magna in Virgine gloriosa, et ideo illius virginitatem in partu facile servare potuisse. In cap. 9 docet Christum, attestazione angelorum et rerum omnium insensibilium obedientia, Deum simul ac hominem fuisse, ad hoc ut exinde Iudaeus aperte colligat ipsum cum virginitatis decore matrem suam servare potuisse. In cap. 10 concludit Mariam toto incarnationis mysterio virginem permansisse. In cap. 11, Deiparae virginitatem perpetuo servatam angelica attestazione concludit. In cap. 12 sermonem ad B. Virginem et ad gloriosum eius Filium convertit, et concludit adversus impios perpetuae virginitatis profanatores. « Quod enim in mea redemptione est operatus, in tuae personae veritate formavit. Quod mihi redemptor factus est, tibi filius fuit. Quod pretium emptionis meae factus est, ex carne tua eius incarnatio fuit. In quo vulnera mea sanavit, ex carne tua vulnerandum corpus exhibuit; in quo mortem meam tolleret, a mortalitatis tuae corpore mortale corpus attraxit; in quo mea deleret peccata, quod tulit a te corpus sine peccato susceptum » (PL 96, 105-106). Servitum suam erga Deiparam pluries profitetur: « Ut sim devotus servus filii generati, servus fieri appeto genitricis. Sic iamque refertur ad Dominum quod servitur ancillae, sic redundat ad Filium, quod impeditur matri » (l. c. 109).

III. - DE DOCTRINA MARIANA SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM

Post aetatem Patristicam, quamplurimi floruerunt scriptores seu Theologi qui doctrinam Marianam in S. Scriptura et in Traditione patristica contentam, evolvere, logico ordine disponere aut philosophicis rationibus illustrare curarunt. Quidam inter istos, illi nempe qui prae caeteris eminentiorem scientiam habuerunt, titulo *Doctoris* ab Ecclesia decorati fuerunt. Sunt et ipsi *media* quibus Traditio apostolica cognoscitur.

Scriptores isti, simili, non tamen aequali omnino ratione, auctoritate gaudent ac Patres, ideoque eadem regulae, quas pro Patribus dedimus, pro ipsis etiam valent.

I. - Scriptores Orientales

I). - SAEC. IX

1. S. TARASIVS, Patr. Constant. († 806)¹

Homiliam reliquit in SS. Deiparae praesentationem in templo, in qua praecipua Mariologiae capita tanguntur (PG 98, 1481-1499).

a) DE B. M. V. CONSIDERATA IN ORDINE AD DEUM.

1. **De praedestinatione B. M. V.** B. Virgo dicitur « a creatione mundi praedestinata, et ex omnibus generationibus electa in impollutum domicilium » (n. 13, PG 98, 1498). Ipsa « Ex omnibus generationibus in Dei habitationem electa est » (l. c., 5, 1486).

2. **De prophetiis et symbolis.** Vocatur Maria « a prophetis praedicata » (l. c., 1482), « prophetorum vaticiniorum implementum divinarumque promissionum compendium » n. 8, l. c., 1490, « prophetarum speculum et rerum ab ipsis praenuntiarum exitus » (l. c., n. 9, 1491). Ad prophetias Ezechielis (44, 1-3), Isaiae (11, 1), Ieremiae (43, 31, 32), Danielis (10, 11; 2, 34, 35) etc. alludit (n. 9, l. c., 1492-1493). Plura pariter symbola B. M. V. memorat (n. 9, l. c., 1491).

3. **De maternitate divina.** Ita laudibus extollitur: « Miraculorum abyssus, fons bonorum, divitiarum copia inviolabilis, multis nominibus atque detibus insignita et semper Virgo Dei Mater » (n. 8, l. c., 1490). Et alibi: « Quo igitur nomine Mariam appellabimus? Num caelum? et sane caeli terraeque effectorem suo utero conclusit. An solem? Ipsa enim septies solae splendidior enitens, iustitiae Solem concepit. An lunam? etenim incomparabili pulchritudine emicans, Christum omni pulchritudine decorum peperit... » (n. 12, l. c. 1495). Ipsa est « caeli terraeque magnificentissima celebritas » (n. 15, l. c., 1499), « veluti divinitus conscriptus liber magnalium Dei » (l. c. n. 8, 1490).

b) DE B. M. V. CONSIDERATA IN ORDINE AD HOMINES.

1. **De mediatione B. M. V.** Deipara appellatur a Tarasio « *Mediatrix* omnium quae sub caelo sunt » (n. 15, l. c., 1499). Insistit praesertim S. Tarasius in *Cooperatione ad Redemptionem*. Iuxta S. Tarasium, B. Virgo est « expressa effigies nostrae instaurationis » (n. 2, l. c., 1482), « causa salutis omnium mortalium » (n. 15, l. c., 1499), « salutis mortuorum conciliatrix » (n. 5, l. c., 1486), illa quae

¹ Cfr IGNATIUS DIAC., *Vita Tarasii*, ed. I. Heikel, Helsingfors, 1889. — PARGOIRE I., *L'Eglise byzantine, Paris, 1905, passim.*

« beatos effecit omnes mortales » (n. 8, l. c., 1490), « secundae regenerationis apud Deum conciliatio » (n. 9, l. c., 1491), « totius orbis reparatio » (n. 15, l. c., 1499), « quae a maledicto in primam parentem Evam immisso nos liberat » (n. 8, l. c., 1490), « mundi gaudium inenarrabile » (n. 15, l. c., 1499). Deipara exhibetur tamquam « liber divinitus concinnatus, in quo scriptum est sacramentum regenerationis, et divinis digitis insculpta in tabulis lex est tamquam in monte Sina, ubi novus Israel ab intelligibilium Aegyptiorum servitute vindicabitur » (n. 9, l. c., 1941). Insuper: « *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia*. Per mulierem mortem lucrati sumus, per mulierem universa rursus instaurabit » (n. 11, l. c., 1494). Et in ore Virginis haec verba ponit: « Laudabo te, omnipotens Altissime, qui primae genitricis meae abstulisti opprobrium » (n. 11, l. c., 1494).

2. **De munere regio Deiparae.** Annam de filia sua ita exclamantem inducit: « Hanc lauda velut *reginam* universitatis rerum » (l. c., n. 8, 1940).

c) DE B. M. V. CONSIDERATA IN SEMETIPSA.

B. Virgo est « multis nominibus atque dotibus insignita » (n. 8, l. c., 1940).

1. **De immaculata conceptione.** Sat aperte indicatur. Vocatur enim « filia Dei » per excellentiam (n. 6, l. c., 1486), « immaculata puella ac Dei filia » (n. 7, l. c., 1487), « sanctior Cherubim » (n. 15, l. c., 1498), « celebrata propter innocentiam » (n. 9, l. c., 1491), « omnino immaculata » (n. 13, l. c., 1495), « oblatio immaculata humanae naturae » (n. 13, l. c., 1498), « mulierum ornamentum, filiarum nitor » (n. 9, l. c., 1490). Asserit quod ipsa « stultorum ora » « nullam labem in illibata invenire potuerunt » (n. 6, l. c., 1486). Ipsa est « Adami maledicti expiatio, debiti Evae solutio » (n. 10, l. c., 1491), « Sancta Sanctorum, immaculatus Verbi thalamus » (l. c., 1483).

2. **De virginitate perpetua Deiparae.** Deipara est « Mater virgo » (n. 9, l. c., 1940), quae « praeter naturae ordinem Deum pariter et hominem peperit » (n. 13, l. c., 1495). Ipsa est « virginum beatissima gloriatio » (n. 15, l. c., 1499), « semper virgo Dei Mater » (n. 8, l. c., 1490).

2. S. THEODORUS Studita (759-826)¹

Natus est Constantinopoli ex nobili familia a. 759. Una cum tota familia a Platone, abbate Monasterii Sakkudion, ad vitam monasticam perductus est. Circa a. 787 ordinatus Presbyter est. Anno vero 797 Platoni in officio abbatis successit. Ter, propter Christi causam, exilium subiit. Plura praeclara scripsit, et iure meritoque inter maximos sui temporis Theologos nec non praeclaros Ecclesiae Graecae Patres recensetur. Ipsi cum omni certitudine tribui debet *Homilia in Nati-*

¹ Cfr JUGIE, *La doctrine mariale de S. Théod. Stud.*, in *Échos d'Orient*, 1926, pp. 421 sqq. MARIN, *Saint Théodore*, Paris, 1906 (versio ital., Roma, 1908).

vitatem Deiparae quam Lequien sub nomine S. Ioannis Damasceni edidit in PG 96, 680-697 (cfr *Byzantinische Zeitschrift*, 1914, pp. 128-132).

Praeter hunc sermonem, reliquit etiam Homiliam pro festo *Dormitionis B. M. V.* (PG 99, 730-729) nec non varia *theotokia* (quae in suo Monasterio Studita primam originem habuerunt) in *Triodion* dispersa, in quibus perpetua Deiparae virginitas, maternitas divina nec non maternitas gratiae seu universalis mediatio multipliciter exprimitur.

Praecipua capita doctrinae Marianae quae in duobus sermonibus continentur haec sunt:

a) **De divina maternitate.** Summis extollitur laudibus. «Ave, Maria, quasi *myria* (*μυρία*), *infinita*, ob infinitam laudationum copiam. Quamvis innumera quis de te dixerit, numquam tamen argumenti dignitatem assecutus erit. Ave, Domina, quae materna auctoritate, universorum Domini dominatum nacta sis: cui si quis cuncta ancillari dicat, non longe a meta abierit» (n. 7, PG 96, 690). B. Virgo insuper appellatur «Iuvenula solis radios fulgoribus obscurans» (n. 1, l. c., 679), «tomus navi mysterii, illibata prorsus incorruptione, in qua omnis expers formae Verbum, humanae speciei penicillo nobis per omnia factum sit excepto peccato» (n. 7, l. c., 69ff).

b) **De immaculata conceptione.** Sat aperte et variis modis docetur a S. Theodoro. B. Virgo, iuxta illum, est novus mundus i. e. novum caelum, nova terra, novum mare a Deo praeparatus ad Christum, novum Adam, recipiendum, pro reformatione generis humani: «Cunctis itaque, ut verbo expediam, interitioni deditis miserante Deo, ne quem suis ipse manibus formasset, in nihilum cederet, penitusque aboleretur, coelum aliud novum, terramque ac mare fabricat, in quibus propensiori consilio humanum genus reformaturus ipse caperetur, qui capi nusquam potest, Isthac porro est beata multipliciterque celebranda Virgo. O rem miram! Caelum quidem est, cum velut ex penitissimis virginitatis thesauris Solem iustitiae proferat; terra vero, ceu quae ex intemeratis lumbis vitae spicam edat: mare tandem, utpote quae ex uteri sui sinu spiritalem margaritam prodit. Nunc itaque nova eius qui capi nequit, creatura eluxit: universorum Regis regalis aula parata est, eius qui incomprehensibilis est, ratione utens diversorium instructum. Quam mundus iste magnificus est! quam stupenda creatio, quae virtutum arboribus venustatem habet, castitatis odore fragrat, sensuum splendoribus claret, cunctisque bonis aliis nulla penuria fruitur; digna denique prorsus est, in qua Deus ad homines veniens inhabitet! Quinimo, inquit, mundus anterior quam maxime est admirabilis. Tunc enim, cum creata sunt sidera, laudaverunt me voce magna angeli mei, et praedicaverunt. Nihil vero sic Deo decens gratumque fuit, uti sancta omnibusque modis miranda Virgo. Quod ita esse ex patientissimo Iob noveris. Num caelum quidam minime mundum esse ait, nec stella in conspectu eius reprehensione vacare. Hac vero quid purius sit? quid irreprehensibilis? quippe quam Deus supremum ac purissimum lumen sic amaverit, ut il-

lapsu Spiritus sancti substantialiter cum ea commixtus sit, ex ipsa perfectus homo, nihil demutato aut confuso eorum quae propria sunt statu, prodiens. Rem plane mirabilem! Qui humanissimus est, ancillam suam in parentem sibi adsciscere non erubuit. O indulgentiae demissionem! Qui eximie bonus est, proprii figmenti proles audire non renuit, amore captus illius quae creatis omnibus speciosior est; illam amplexus, quae coelestibus virtutibus dignitate praeit » (n. 4, l. c., 683).

Insuper B. Virgo « terra est, in qua nulla peccati enata spina... Terra est non uti prius maledicta, ac cuius fructus spinis ac tribulis horrescant; sed super quam benedictio Domini fuit, et cuius fructus ventris benedictus, ut sacro dictum est oraculo » (n. 4, l. c., 686). Dicitur insuper « peccato inaccessa » (n. 7, l. c., 690), « liber signatus, libidiosa omni contagione innoxius » (n. 7, l. c., 691), « aurum purum, quae igne Spiritus in vitae huius conflatorio probata es, nec malitiae usquam ruga deformis » (l. c., 694), « pura, quae sola mundum cor habere gloriari possis; mons vere eo gratus, ex quo novus Israel vetere praestantius diuturniusque sanctificatur » (l. c., 695).

c) **De virginitate Deiparae.** « Ave, Virgo prolem enixa, sola inter virgines puerpera, inter matres insignia virginis gestans, prodigium prae caeteris stupendum » (l. c., 691).

d) **De morte et assumptione B. M. V.** Aperte docet B. Virginem obiisse, seu potius in placidum somnum incidisse. Attamen, mors haec novam vitam Ei attulit (*In Dormit.*, PG 99, 724 A), eo quod vera resurrectio eam subsequuta est (n. 5, l. c., 728 C). Discrete ad legendas tunc temporis communes alludit.

e) **De mediatione B. M. V.** Conceptum mediationis bene exprimit scribens: « Ave, proprie et vere Deipara, tremenda hominibus cum Deo copula, per quam coniuncta terrenis caelestia, et humana Deo, vicissimque homini rependens divina » (l. c., 695).

Cooperatio vero ad redemptionem ita exprimitur: « Exaudivit itaque eos (parentes B. M. V.) Dominus qui velox sit ad miserandum, et tardus ad iram, donans eam quae proprie Mariae nomen gerit, in splendidum et magnificum pro Eva pretium. Matris medicamentum filia effecta est: divinae reformationis nova conspersio, sanctissimae generis primitiae: rami divino ore prolati radix: primi parentis exsultatio. O beneficium! o munificentiam! Numquid non sol splendiores nunc radios eiaculatur, qui gaudii exsuperantiam velut persentiscat? Annon natura omnis quodam modo superbit ac gloriatur, libertatem a corruptela sperans in illius nativitate, quae sine labe mundi liberatorem est paritura? »

« Sed et quae sequuntur inspice. Libens, velim audias, dilectissime, nec te perscrutari pigeat. Mulge, inquit Scriptura, lac et erit butyrum. Consentaneus iustorum precationis locus. In horto preces fundentes, hortum priore longe feliciorum genuerunt. Illic susurro serpens Evam facili strue seduxit. Hic Gabriel archangelus Mariam laeto sermone conveniens, turbavit quidem, sed non decepit. Illic serpens auditus tristem mortem importavit: hic angeli suada sempi-

ternae iucunditatis vitam hominum generi vicissim invexit. Illic doloris plena sententia, et quae ex praevaricatione paritura est: hic Spiritus Sancti adventus, gaudio eam complens, quae ex prophetae oraculo partus dolores effugit. O veram commutationem! o novitatem eorum quae modo geruntur! *Vetera transierunt* (quod hic quoque dicatur), *et ecce facta sunt omnia nova*. Domus initium, secundum exquisitissimam eius considerationem, Deique ad homines adventus inchoatio, praesentis diei solemnitatis praeferet » (n. 5, l. c., 686-687).

3. EPIPHANIUS monachus

Fuit Monachus et presbyter Monasterii Kallistratos, Constantinopoli, ubi floruit circa finem saec. VIII et initium saec. IX. Scripsit *Vitam B. M. V.* iuxta notitias historicas et legendas Byzantinis familiares (PG 120).¹ Prima esse videtur vita de B. M. V. conscripta. In ipsa (193) sat aperte affirmatur immaculata conceptio B. M. V. Dicit enim B. Virginem *per naturam* (et ideo inde a sua conceptione et nativitate) immunem fuisse a concupiscentia, ob privilegium ipsam elevans supra omnes feminas et supra ipsam humanam naturam.

4. S. IOSEPH Hymnographus († 886)²

Innumerabiles reliquit troparios seu *Theotokia* in variis libris liturgicis graecorum dispersos (PG 105, 983-1422). Varia privilegia B. M. V., et praesertim immaculatam Conceptionem, celebrat (cfr PITRA, *Analecta sacra*, Paris, 1876, t. 1). Pro B. Virgine, quae est tota pura, « novum Dei caelum, omnino Ei gratum », mors est omnino illegalis (l. c., 989, 1000, 1001 etc.). Cfr etiam JUGIE, art. *Immaculée*, in *Dict. Théol. Cath.*, t. 7, coll. 923-924.

5. PHOTIUS Patr. Constant. († 891)³

Fuit pater tristissimi schismatis Ecclesiae Graecae ab Ecclesia Latina. Reliquit tres homilias Marianas, unam pro festo Nativ. B. M. V., et duas pro Annuntiatione (cfr S. ARISTARCHIS, *Sermones et Homiliae Photii*, Constantinopoli, 1901, t. 2). Iuxta ipsum B. Virgo fuit obiectum specialis praedestinationis, praecipuum Dei opus, ab ipso Deo propriis manibus formatum, immunis a concupiscentia et a culpa originali (l. c., pp. 372, 374, 376). Aperte etiam docet coopera-

¹ Edita fuit etiam a DRESSEL, Parigi-Lipsia, 1842. Pro vita et operibus istius Epiphanii, cfr KRUMBACHER K., *Geschichte der byzantinischen Literatur*, 2. ed., Monaco 1897, pp. 192 sq. et 420. Cfr etiam DIEKAMP, *Hippolytos von Teben*, Münster i. W. 1898, p. 134 ss.

² Cfr THÉARVIC, in *Échos d'Orient*, 7 (1904); P. VAN DE VOST, in *Analecta Bollandiana*, XXXVIII (1920).

³ Cfr AMANN E., in *Dict. Théol. Cath.*, t. 12-2, coll. 1536:1604.

tionem B. M. V. ad Redemptionem; per ipsam enim diabolus victus fuit et suis pedibus subiectus, et amara sententia contra genus humanum lata, per ipsam ablata est (l. c., *Homil. I in Annunt.*, p. 224). Cfr JUGIE, *Dict. Théol. Cath.*, t. 7, coll. 924-926. Idem, *Photius et l'immaculée conception*, in *Echos d'Orient*, t. 13 (1910), p. 198.

6. GEORGIUS Patr. Nicomediensis († 860)

Fuit amicus Photii. Reliquit 170 homilias, quarum decem tantummodo typis impressae fuerunt, ex quibus omnes, una excepta, B. M. V. celebrant (PG 100 1335-1504; 1527).

Ad ipsum pertinet, iuxta A. Ehrhard,¹ homilia « In occursum Domini Dei ac Salvatoris N. I. C. » (PG 28, 973-1000) quae invenitur inter spurias S. Athanasii. Georgio enim favent attestations antiquissimorum manuscritorum nec non critica interna.

Docet B. Virginem immunem fuisse a concupiscentia et absolute impeccabilem (*In Praesent. III*, 1448, 1449). Per ipsam, imago Dei a peccato deformata, pristinam recuperavit pulchritudinem. Ipsa est mediatrix nostrae regenerationis et causa nostrae reformationis (*In Praesent. I*, 1416). Cfr JUGIE, l. c., col. 926).

7. THEOGNISTES monachus² († 890)

Fuit fidelis amicus Ignatii Patriarchae, eiusque causae, contra Photium, defensor. Ab a. 861 ad a. 868, fuit Romae, abbas cuiusdam monasterii.

Reliquit homiliam pro festo *Dormitionis B. M. V.* quae invenitur in cod. 763 fundi graeci Bibl. Nat. Paris. (saec. x foll. 8-11). In ipsa praeclarissimum testimonium habetur pro immaculata Conceptione B. M. V. seu pro sanctificatione in primo instanti. Ex initio sancto et ex existentia iugiter sancta ad finem sanctum concludit (l. c., fol. 8). Cfr JUGIE, l. c., coll. 926-927. Homilia haec edita fuit a P. JUGIE in *Patrologia Orientalis* (Graffin-Nau), Paris, 1922, I, pp. 455-462.

8. THEODORUS ABOU-KURRA Ep. Haran († c. 820)

Fuit discipulus S. Ioannis Damasceni. Opuscula eius inveniuntur apud Migne, PG 97, 1461-1602. Asserit mortem B. M. V. non fuisse veram mortem sed potius somnum extaticum, similem somno extatico Adae dum ex ipso formata fuit Eva (l. c., 1593). Cfr JUGIE, l. c., coll. 927-928.

¹ *Eine unechte Marienhomilie des hl. Cyrillus v. Alexandrie*, in *Röm. Quartalschr. f. christl. Altertumskunde u. f. Kirchengesch.* 3 (1889), 97-113.

² Cfr JUGIE, *La vie et les œuvres du moine Th.*, in *Bessarione*, XXII (1918) 162-174.

9. **SIMEON Metaphrastes** (859)

De hoc auctore habentur:

a) *De ortu, vita et dormitione SS. Deiparae oratio* (PG 115, 529-566); b) *In lamentationem B. V. cum amplexata fuit corpus pretiosissimum D. N. I. C. oratio* (PG 114, 209-218).

II). - SAEC. X

1. **NICETAS DAVID** († 890) ¹

Fuit Episcopus Dabybrae in Paphlagonia, et ob hoc Paphlagoniensis dictus est. Reliquit homiliam, sat singularem, *de Nativ. B. M. V.* (PG 105), in qua de immaculata conceptione B. M. V. sat aperte loqui videtur (cfr JUGIE, l. c., col. 929). Asserit insuper B. Virginem maledictionem protoparentum nostrorum fugasse (l. c., col. 17).

2. **LEO Sapiens, imperator** († 911) ²

Reliquit homilias Marianas pro festis Nativitatis, Praesentationis, Annuntiationis, Partus, Purificationis et Dormitionis B. M. V. (PG 107), in quibus immaculata conceptio sat aperte doceri videtur. Cfr JUGIE, l. c., col. 930. Versionem latinam harum Homiliarum publici iuris fecit H. Marracci a 1651 Romae, sub titulo: *Leonis Imperatoris cognomento Philosophi seu Sapientis, Mariale*.

3. **S. EUTHYMIUS, Patr. Constant.** († 917)

Reliquit duas homilias Marianas, quarum prima agit de *Conceptione S. Annae*, et invenitur in *cod. Laudianus* 69 Bodleiensis, foll. 122-126 (saec. XI); secunda vero agit de *Zona B. M. V.* et invenitur in *cod. Vatic. graec.* 1671 (saec. X). Haec ultima edita fuit latine a Migne (PG 131, 1243-1250) sub nomine Euthymii Zigabeni. In prima homilia, praesertim, sat aperte affirmatur plena sanctificatio B. M. V. in primo suae conceptionis instanti (cfr JUGIE, l. c., coll. 930-931).

¹ Cfr JANIN R., in *Dict. de Théol. Cath.*, t. 9-1, coll. 471-472.

² Cfr SALAVILLE S., *Dict. de Théol. Cath.*, t. 9-1, coll. 365-394. Cfr etiam MARRACCI H., in *Summa Aurea*, t. 10, coll. 1463-1465.

Inter alia haec scribit: « Scripsit graece de Conceptione, Nativitate, Praesentatione, Annuntiatione, Partu, Purificatione et Assumptione sanctissimae Virginis orationes disertissimas piensissimasque, quibus se eiusdem Sanctissimae Virginis amatorem fervidum oratoremque eximium luculentissime declaravit. Hanc appellabat Caelum caelo honoratius, Causam communis instaurationis, foederis et sanctimoniae Arcam honestissimumque Thalamum, divinisimum Thronum, omnis virginitatis imaginem, peccatorum Refugium et Praesidium, cande-

4. **COSMAS Vestitor** (saec. x)

De hoc auctore nabentur:

a) *Sermo in SS. Ioachim et Annam*; b) *Canon acrostichus in festivitatem Conceptionis SS. Deiparae* (PG 106, 1006-1018).

5. **PETRUS Ep. Argorum** († post 920)

De ipso habemus sermonem pro festo *Conceptionis Annae* in quo aperte initialis sanctitas Deiparae docetur (PG 104). B. Virgo flos generis humani appellatur; asserit insuper quod in sinu Annae germen nobilitatis originalis nostrae naturae plantatum fuit (PG 104 1353). Cfr JUGIE I. c., col. 931.

6. **S. IOANNES Geometra**¹

(Floruit post medium saec. x)

Reliquit sermonem pro Annuntiatione (PG 106, 811-848) et quinque hymnos in honorem B. M. V., in quibus aperte (l. c., 854-868) docet B. Virginem, quae est « mundum novum », « creatura nova », « praecipuum opus artificis divini » in hunc mundum venisse in statu iustitiae originalis (l. c., 220, 825, 857, 861). B. Virgo est secunda post Trinitatem (l. c., 857). Cfr SAIDAK G., *Hymni in SS. Deiparam*, in *Anal. Byzantina Societatis Liter. Posnaniensis*, I (Poznan, 1931).

7. **S. GREGORIUS de Nareg** (951-1003)²

Inter opera eius opera classica illud eminet cui titulus: « Orationes de Nareg » in quibus plura mariologica elementa inveniuntur magni momenti.

labrum perpetuo lumine collustratum, Tegumentum, Perfugium et Ancoram, quae totum mundum continet et servat, divinum gloriae Dei Templum, Sponsam Regis aeterni, Tabulam nostrae libertatis, Manifestationem magni mysterii, Oeconomiam Dei ad homines obtemperantis, Matrem Patris omnium, Correptionem errati Evae, Hilaritatem ineffabilem. Habitaculum gloriae, Virginem aeternam, Gaudium commune generis nostri, Propitiatorium sacratissimum, Locum implentis omnia, Domum sedentis super Cherubim, Radicem Dei progerminatricem, Laetitiam humani generi, Originem lucris, Gloriationem salutis nostrae, et facilius arbitrabatur caeli sidera oratione complecti quam virgineae gloriae magnitudinem metiri » (l. c., coll. 1463-1464).

¹ Cfr TACCHI VENTURI P., *De Ioanne Geometra ...*, in *Studi e Documenti di storia e diritto*, XIV, (1893).

² Cfr BOVER J., *Un notable mariologo Armeno: S. Gregorio de Nareg*, in *Revista Española de Teología*, Enero-marzo 1941, pp. 409-17).

III). - SAEC. XI

Saeculo hoc consummatus fuit, sub Michaële Cerulario, schisma inter Ecclesiam Graecam et Ecclesiam Latinam. Attamen, prout animadvertit P. Jugie « La consommation du schisme entre l'Eglise romaine et l'Eglise grecque sous Michel Cérulaire, n'exerça aucun influence immédiate sur le développement de la théologie mariale chez les byzantins. Cette théologie continua sa marche pacifique jusqu'à la chute de Constantinople » (l. c., col. 937).

1. MICHAEL Psellos († 1199)¹

Fuit amicus Michaëlis Cerularii. Reliquit sermonem *de Annuntiatione*, adhuc ineditum (invenitur in cod. 1630 fundi graeci Bibl. Nat. Paris., foll. 240-244), in quo de immunitate B. M. V. a culpa originali aperte loquitur. Asserit quod anima B. M. V. in sua unione cum corpore, nullam ex materia maculam contraxit, quinimmo ipsi materiae splendorem contulit (l. c., fol. 241).

2. IOANNES MAUROPUS, metrop. Euchaitensis
(circa med. saec. XI)²

Longum sermonem reliquit de Assumptione B. M. V. (apud BALLERINI, *Sylloge* etc., t. 2, pp. 549-602. Cfr etiam PG 120, 1075-1114), in quo B. Virgo appellatur immortalis, primitiae vitae, nobilitas originalis, archetypus naturae humanae, pulchritudo incomparabilis totius universi. Affirmat quod corpus immaculatum Deiparae statim post mortem fuit animae denuo unitum (l. c., p. 577).

3. IACOBUS monachus

Reliquit sequentes sermones Marianos: 1) In Conceptionem SS. Deiparae (BALLERINI, *Sylloge* etc., 543-68); 2) In Nativitatem (COMBEFIS, 567-600); 3) In Praesentationem (BALLERINI, 599-632); 4) In Annuntiationem (ibid., 659-98); 5) In Desponsationem (ibid., 697-700).

« C'est un écrivain — scribit JUGIE, l. c., col. 938 — diffus et sans originalité, qui s'est beaucoup inspiré de ses devanciers, particulièrement de Georges ed Nicomédie. On trouve chez lui à peu près tous les lieux communs de la rhétorique mariale ». Insinuat B. Virginem in sinu matris usum rationis habuisse (cfr PG 65, 269 sq.).

¹ Cfr JUGIE M., *L'homélie de Michel Psellos sur l'annonciation*, in *Échos d'Orient*, t. 8 (1915), p. 138.

² Cfr JUGIE, in *Dict. Théol. Cath.*, t. 10-1, coll. 443-447.

4. **THEOPHYLACTUS Arch. Bulgariae** († post. a. 1107)¹

Sermonem reliquit *De Praesentatione B. M. V.* (PG 126, 144), in quo sat aperte Immaculata conceptio affirmatur (cfr l. c., coll. 177, 701).

IV. - SAEC. XII

1. **IOANNES PHURNES** (initio saec. XII)

In sermone *In Dormitione Deiparae* (edito a G. Palamas in fine homiliarum Thephanis Kérameus, Ierusalem, 1860) nexum exprimit inter impeccabilitatem Mariae immunitatemque a concupiscentia et sanctitatem originalem, quae ei debetur ob speciale Dei interventum (l. c., v. 272). Insuper, ex privilegio immunitatis a culpa originali, privilegium Assumptionis deducit (ibid., p. 273; Cfr JUGIE, *Dict. Théol. Cath.*, t. 7, col. 940).

2. **THEODORUS PRODRAMOS**

Poeta iste saec. XII nobis reliquit *Commentarium* Canonum sancti Ioannis Damasceni, in quo de immunitate Virginis a qualibet culpa et a concupiscentia aperte agit (cfr STEVENSON H. M., *Theodori Prodromi Commentarii* etc., Romae, 1888). Reliquit etiam scriptum poëticum *In Praesentationem Deiparae* (PG 133, 1177-8).

3. **MICHAEL GLYKAS** († initio saec. XII)²

In *Annales* (MG 168, 440) agit de immunitate Deiparae a culpa originali et de assumptione eiusdem (cfr JUGIE, *Michael Glykas et l'Immaculée Conception*, in *Echos d'Orient*, t. 13, 1910, pp. 11 sqq.).

V. - SAEC. XIII

1. **NEOPHYTUS Reclusus** († circa a. 1220)³

Reliquit duas homilias Marianas (pro festo Nativ. B. M. V. et Praesent.) quae inveniuntur in codice 1189 fundi graeci Bibl. Nat. Paris. In homil. de Nativ.,

¹ Cfr *Enciclopedia Italiana*, t. 33, col. 524.

² Cfr GRUMEL V., in *Dict. Théol. Cath.*, t. 10-2, coll. 1705-1707.

³ Cfr GRUMEL V., in *Dict. Théol. Cath.*, t. 11-1, coll. 67-68; PETIT L., *Vie et ouvrages de Néophyte le Reclus*, in *Échos d'Or.*, t. 2, pp. 257-268, 372.

separat omnino B. Virginem a massa generis humani originali peccato infecta (l. c., fol. 13 v), eo quod carnem immaculatam Verbo ministrare debebat; et ideo B. Virgo fuit primitiae humanitatis instauratae.

2. GERMANUS II Patr. Constant. (1222-1240)¹

Longam reliquit homiliam *de Annuntiatione* a Ballerini (*Sylloge* etc., t. 2, pp. 283-382) editam, in qua praeservatio B. M. a labe originali sat aperte significatur eo quod speciale Dei interventum inde a primo instanti conceptionis futurae Deiparae ponitur (l. c., pp. 370-371). B. Virgo, in vertice humanitatis collocata, prima pluviam divinam e caelo descendentem recepit (l. c., pp. 308-310).

VI). - SAEC. XIV

Est saeculum vere aureum Theologiae marianae apud Graecos. Omnes enim magni theologi byzantini huius saeculi inter se veluti decertant ad Virginem summis laudibus extollendam. Maior tamen pars sermonum huius aetatis adhuc inedita est (cfr JUGIE, l. c., coll. 942-943).

I. IOANNES GABRAS

In sermone *de Praesentatione B. M. V.*² pulchre laetitiam allatam a nativitate Mariae, contraponit tristitiae ab inobedientia protoparentum allatae, eo quod B. Virgo, iuxta aeternum Dei consilium, humanitatem peccatricem regenerare debebat (l. c., p. 100).

2. GREGORIUS PALAMAS Archiep. Thessal. († 1360)³

Natus est Constantinopoli circa finem a. 1296 aut initium a. 1297. Post studia litterarum et philosophiae, anno circiter 22 aetatis suae, vitam monasticam professus est. Anno 1326 sacerdos ordinatus est. Fuit valde devotus B. M. V., et plures homilias marianas reliquit, quarum quaedam inveniuntur apud Migne (PG 151) aliae vero apud SOPHOCLIS, in op. *Homiliae S. P. N. Gregorii Palamas*, Athenis, 1896. B. Virgo, iuxta Palamas, est electa electorum, quam sibi Deus, ante omnia saecula reservaverat (SOPHOCLIS, *In Christi genealogiam*, o. c., pp. 213-214). Scriptura universa ratione Virginis Deiparae composita est (ibid., p. 216).

¹ Cfr CAYRÉ F., in *Dict. Théol. Cath.*, t. 6-1, coll. 1309-1311.

² Cfr BOISSONADE, *Anecdota Graeca*, Paris 1831, pp. 71-111.

³ Cfr JUGIE M., *Palamas Grégoire*, in *Dict. Théol. Cath.*, t. 10-1, coll. 1735-1776; IDEM in art. *Immaculée Conc.*, t. 7, coll. 943-945; IDEM, *Grégoire Palamas et l'Immaculée Conception*, in *Revue Augustinienne*, t. 17 (1910), pp. 97 et seqq.

Asserit quod Deus, creare volens imaginem absolutae pulchritudinis, ad potentiam suam angelis et hominibus ostendendam, Mariam fecit vere totam pulchram. In ipsa pulchritudines omnes partiales, in aliis omnibus creaturis diffusas, adunavit, ipsamque commune ornamentum creaturarum, visibilium et invisibilium, constituit; seu melius, miscelam veluti fecit in ipsa omnium perfectionum divinarum, angelicarum et humanarum, pulchritudinem quamdam sublimem, duplicem mundum adornantem, a terra ad caelum, imo supra caelum ipsum sese elevantem. (*In Dormit. Deip.*, PG 151, 468, 472). B. Virgo, sola, inter omnes creaturas, est omnimode perfecta, omnibus perfectionibus cumulata (*In Praesent. II*, SOPHOCLIS, pp. 142-143). Dona divina illi impertita fuerunt a Deo absque mensura, e. in illa totalitatem charismatum Spiritus Sancti Deus refudit (*In Praesent. II*, SOPHOCLIS, pp. 163, 141; *In Dormit.*, 469 A). — *Immaculatam conceptionem* sat explicite docet. B. Virgo enim est vas a Deo electum et dignum ad inservendum unioni hypostaticae naturae divinae cum natura humana (*In Christi genealogiam*, SOPHOCLIS, o. c., pp. 213-214). A peccato originali praeservata, B. Virgo immunis fuit a concupiscentia (*In Praesent. I*, l. c., pp. 125-129; *In Praesent. II*, p. 167; *In Annunt.*, FG 151, 172 AB). Quamvis morti, utpote Immaculata, subiecta non fuerit, *m o r t i* tamen sese subiecit, sive ad ostendendam originem ex Adam, sive ad Filium suum imitandum. Attamen per aliquam horam tantummodo mortua remansit, et statim resurrexit (*In dormit.*, PG 151, 461 C, 465-468). B. Virgo est domina et *r e g i n a* hominum et Angelorum, eiusque nomen *Dominam* significat (*Homil. in Annuntiat.*, l. c., 172 A). Insuper B. Virgo est etiam *m e d i a t r i x* hominum et Angelorum, eo quod per ipsam omnes receperunt gratiam et gloriam. Maria est causa omnium quae ipsam praecesserunt, et praesidet omnibus quae ipsam subsecuta sunt; ipsa bona aeterna procurat (*In Dormit.*, 473; *In Praesent. II*, p. 162). Ipsa est ineffabilium bonorum principium, fons et radix. Ipsa mediante entium spiritualium agmina caelestia Deum inaccessibilem, nobiscum, attingunt eiusque beatitudini participes efficiuntur. Nemo pervenire valet ad Deum sine ipsa et sine mediatore, Filio eius. Motus omnis in Deum, impulsus quilibet in bonum naberi non potest nisi Ipsa mediante, quae est veluti candelabrum Deum portans radiosque suae lucis effundens (*In Dormit.*, 472; *In Praesent. II*, pp. 158-159). Ex hac brevi expositione liquido constant divitiae mariologiae Gregorii Palamas.

3. NICOLAUS CABASILAS († 1371)¹

Inter Theologos Mariales Byzantinos saec. XIV, Cabasilas, absque dubio, copiositate et soliditate doctrinae, praecipuus est. Quidam, illum Episcopum Thessalonicensem faciunt; at falso, cum neque utrum fuerit sacerdos cum certi-

¹ Cf. JUGIE M., *L'Immaculée Conception dans l'Eglise Grecque* etc., in *Dict. Théol. Cath.* t. 7, coll. 893-979; IDEM, *La doctrine mariale de Nicolas Cabasilas*, in *Échos d'Orient*, t. 19 (1916) p. 375 etc.

tudine scimus. Plura scripsit, inter quae tres homilias de B. M. V.,¹ videlicet: 1) *In Nativitatem SS. Deiparae*, 2) *In Annuntiationem SS. Deiparae*, 3) *In Dormitionem SS. Deiparae*, ampla et profunda doctrina mariologica refertas. « Nous sommes loin des tirades et des exclamations interminables des premiers panégyristes byzantins de la Théotocos. Ici tout est riche d'idée, chargé de doctrine. C'est une âme profondément théologienne qui nous parle, et nous livre le fruit de sa contemplation sur les privilèges de l'Immaculée ». Ita P. JUGIE, in *Patrologia Orientalis* (Graffin-Nau), t. 19, fasc. 3, p. 458. Et RIVIÈRE de homiliis istis asserit: « rarement sans doute en fut-il de plus grandiose » (*Le dogme de la Rédemption, Etudes critiques et documents*, p. 288, Louvain, 1931).

Auctor sublimitatem argumenti persentit et exclamat: « Quisnam, o beata, sermo sufficet ad celebrandam tuam iustitiam, ad Salvatoris erga Te, ad tua erga universum hominum genus beneficia praedicanda?... Verum, quae omnes superas laudes omneque quod nominatur nomen, hymnum accipe, studiumque contemnere noli! » (*In Dormit.*, § 13, pp. 509-510). Praecipuae vero notae hymni a Cabasilas decantati hae sunt:

a) **De praedestinatione B. M. V.** Aperte asserit Deum « non ex omnibus hominibus optimam matrem, sed optimam absolute sibi elegisse; neque eam quae ipsi congrueret melius quam omne genus, sed quae ita per omnia ei conveniebat, ut eam eius matrem esse deceret » (*In Annuntiat.*, § 8, p. 492).

Creationis scopus, iuxta Cabasilam et alios etiam, fuit Incarnatio Verbi, per quam omnia a Deo procedentia, in Deum revertuntur. Posito vero peccato, ab aeterno a Deo praevisto, Incarnatio non erit tantummodo rerum omnium deificativa sed etiam redemptiva. Ad hoc ministerium electa est Virgo Maria, omnibusque praerogativis convenientibus ornata. Quapropter « caelum et terra et sol et universum istud propter beatam Virginem, quemadmodum propter fructum arbor, ad bene esse, et ad esse simpliciter processit » (*In Annunt.*, § 2, pp. 496-497).

b) **De immaculata conceptione.** Explicite hoc dogma docetur. B. Virgo, iuxta Cabasilam, in se praebuit hominem qualem in initio Deus illum voluit, nempe in statu iustitiae originalis: « Cum necesse esset ut unus homo saltem naturam prout in se est, sincere manifestaret, ceteri vero omnes hoc conferre non possent, hanc sortem immaculatae assequi reliquum erat » (*In Nativ.*, § 15, p. 481). Hoc autem in B. Virgine factum est. « (Virgo) in hoc mundo, tamquam in paradiso, sincerum atque integrum hominem manifestavit, qualis ab initio formatus est, et qualem ipsum manere oportuit et qualis postea evasisset, post certamina pro nobilitate inita » (*In Nativ.*, § 10, p. 482). Quapropter « Immaculata Virgo ... sola contra omnem stetit malitiam et Deo quam nobis venustatem contulit, reddidit integram » (*ibid.*, § 6, p. 471). B. Virginem comparat arcae a diluvio immuni: « quemadmodum arca, hominem salvans in communi naufragio *ne obiter quidem*

¹ Homiliae istae editae fuerunt a JUGIE, in *Patrologia Orientalis* (Graffin-Nau), t. 19, fasciculo 3, Parisiis, 1925.

ipsa communis infortunii particeps fuit, et generis [conservavit salutis praesidia, ita etiam et Virgini contigit ...] » (*In Annunt.*, § 3, p. 486). Et alibi, explicitiori modo: « homo erat (B. Virgo) ex hominibus orta; eorundem omnium ac nostrum genus particeps fuit; parem vero animus non est sortita, neque tantae vitiorum consuetudini imolicata est, sed contra peccatum stetit, et nostrae obstitit corruptioni, malitiaeque finem imposuit » (*In Dormit.*, § 8, p. 503). Et tandem: « caelum novum et terram novam fecit Virgo; quin etiam ipsa est nova terra et novum caelum; terra quidem, quia hinc fuit; nova autem quod nulla ex parte avis coniuncta, nec vetus fermentum haereditate sortita est, sed ipsa secundum Pauli dictum conspersio nova extitit (1 Cor., 5, 7), cuiusdamque novi generis principium fuit » (*In Dormit.*, § 4, p. 498). Vetus fermentum, iuxta Cabasilam, est peccatum originale. Consequenter « id omne quod humanum genus a Deo dividebat ex parte illius sublatum erat. Et ante communem reconciliationem foedus inivit; immo vero haec nullatenus unquam foedere opus habuit, quippe quae a principio in choro amicarum praesul extitit » (*In Annuntiat.*, § 3, p. 486). Et tandem: « Nullus ... sanctus fuit, priusquam Beata esset: sed prima et sola a peccato prorsus immunis » (*In Nativ. Deip.*, § 8, p. 504).

Ad valorem horum testimoniorum plene intelligendum, animadvertendum est Cabasilam in suis scriptis recte omnino sive de peccato originali sive de eius transmissione sentire.¹

c) **De cooperatione ad redemptionem.** Non solum cooperatio, uti aiunt, remota et mediata sed etiam cooperatio proxima et immediata ad Redemptionem sat aperte a Cabasila docetur. Ipsa enim fuit « ad dispensationem tamquam adiutrix assumpta non simpliciter (ut) aliquid contribuat, velut cum ex iis, quae ab alio moventur, sed ipsa seipsam conferat, Deique cooperatrix evadat] ad providendum numano generi; ita ut cum eo et socia et particeps sit gloriae, quae exinde provenit » (*In Annunt.*, § 5, p. 488).

B. Virgo socia fuit Chrisi in universo redemptionis opere. Imprimis vero cooperata est nostrae saluti per suum consensum, ad redemptionis opus *necessarium*. Asserit enim quod fides, consensus, ministerium Virginis fuerunt « omnino requisita; quibus deficientibus hominibus nihil amplius perstitisset. Si enim ... Beata non se praeparavisset, fieri non poterat ut Deus benigno vultu hominem respiceret atque descendere vellet, nemine extante, qui eum suscepturus esset, et ad dispensationem ministrandi facultatem haberet. Si vero non credidisset vel non consensisset, voluntas Dei pro nobis ad effectum prodire non potuisset. Et hoc patet ex eo quod Gabriel, Virginem alloquens ac plenam gratia illam [appellans, omnia quae ad mysterium] spectant enuntiavit. Donec Virgo graviditatis modum discere quaerebat, Deus nondum descendit. Postquam vero illam vidit

¹ Notatu dignum est Cabasilam ponere etiam *corpus* B. Virginis fuisse *immaculatum*, immo *spirituale* (cfr *In Nativ.* § 4, p. 469). « Anima luce purior, corpus per *omne spirituale*; sole fulgidius, caelo purior » (*In Annuntiat.*, § 2, p. 486).

obsequentem¹ invitationemque admittentem, totum opus confestim perfectum est; et Deus hominem induit, et creatoris mater Virgo fuit » (*In Annuntiat.*, § 4, p. 487). Et alibi: « illa (Maria) ... si inter Deum et homines mediatrix non fuisset relicta, terrestres caelestium participes fieri omnino impossibile erat » (*In Dormit.*, § 4, p. 499). « Immaculata consensum et fidem denegante, propositum ad effectum adduci impossibile erat » (*In Annunt.*, § 4, p. 488). Pro libertate vero consensus B. M. V. triplicem rationem adducit (cfr *In Annunt.*, § 5, p. 488).

At Virgo socia fuit etiam dolorum Christi pro nostra salute. « Poenas pro nobis doloresque, loco gaudii sibi propositi (Hebr. 12, 2) experta est. Et ignominiae opprobriorumque Filii particeps fuit ... ad eam salutem procurandam Filii socia effecta est » (*In Dormit. III*, § 11, p. 507). Post vero longam et vividam descriptionem dolorum Passionis qui Filio et Matri communes fuerunt, rationem huius rei hoc modo manifestat: « *Oportebat* enim, eam sociam esse in omnibus quae ad providentiam, quae circa nos erat, spectabant » (*In Dormit.*, pp. 507-508). Ratio ultima igitur a Dei dispositione dependet. Quapropter B. Virgo appellatur « salus hominum, lux mundi, et ad Salvatorem via, et porta, et vita, ceterisque digna appellationibus quas Salvator propter meam salutem audivit! Hic enim causa, tu mihi es *concausa* sanctitatis bonorumque, quae ex Salvatore per te et quae ex te percepit sola » (*In Dormit.*, § 13, p. 510) Prout patet Virgo dicenda est *Corredemptrix* non solum quia Mater Redemptoris (i. e. mediate et remote) sed etiam quia, ex Dei dispositione, socia fuit passionis Christi pro nostra salute (i. e. ob cooperationem immediatam ad ipsam redemptionem obiectivam).¹

d) **De assumptione B. M. V.** Explicite hoc Virginis privilegium profitetur, cuius triplicem rationem proponit: a) maternitas divina (si fructus, i. e. Filius, glorificatus fuit, et arbor i. e. Mater illius gloriae particeps esse congruebat); b) associatio Christo in universo opere eius mediativo, et ideo etiam gloriae; c) puritas corporis Mariae.²

4. MATTHAEUS Cantacuz. imperator (1354-1356)³

In suo *Commentario* in Canticum Cant. pluries de B. M. V. et praesertim de eius absoluta sanctitate loquitur (PG 152). Ipsa enim prima fuit quae a daemonis laqueis fugit (l. c., 1040).

¹ Alludit etiam Cabasilas ad maternitatem spiritualem B. M. V. cum asserit B. Virginem Redemptorem reddidisse « fratrem eorum pro quibus ad Deum accessurus erat; unde et illos tamquam cognatos atque familiares sibi vindicat » (*In Dormit.*, § 6, p. 501).

² Cabasilas tenet B. Virginem gavisam esse *permanenter* visione beatifica etiam in hac vita (*In Dormit.*, § 10, pp. 506-507).

³ Cfr JUGIE M., in *Dict. Théol. Cath.*, t. 10-1, coll. 374-375.

5. THEOPHANES Ep. Nicaenus († 1381)¹

Inter varia scripta theologica, optimum sane est illud cui titulus *Sermo in Sanctissimam Deiparam*, a P. JUGIE a. 1935 editum (pp. xxxii-221). Sermo iste parva quaedam at profunda Mariologia dici potest. Synthesis huius pulcherrimi sermonis haec est:

1. Post *prologum* in quo declarat quod amor Deiparae illum ad laudes eius canendas movit, asserit quod « Illa omnes laudes simul, sicut et omnia quae sunt, absque comparatione superat », et statuit quod B. Virgō, sicuti Deus ipse, ex eadem via, id est, ex rebus creatis aliquatenus cognosci potest.

2. Late exponit quomodo, iuxta aeternum Dei consilium, universa creatio subordinata est Incarnationi Verbi, ita ut si Verbum incarnatum non esset, mundus creatus non fuisset. Sine incarnatione enim, creatio, utpote opus imperfectum, inutilis et vana fuisset. Haec autem perfectio creationi advenit mediante Verbo Incarnato eiusque Matre. Universa sunt propter hominem; homo vero (qui est veluti nodus universae creationis, *microcosmos*) est propter Christum; et Deus, hominem creando, ad Christum respiciebat. Et haec est ratio cur universae creaturae visibiles et invisibiles non sunt nisi umbrae, figurae et imagines Verbi Incarnati et etiam Matris suae. Logice igitur, ex rebus creatis devenire possumus ad cognitionem Deiparae.

3. Quapropter Maria 1) *terrae* comparatur, « quia ex ea secundum carnem sumptus est Dominus noster et Deus, novus Adam fit alter Adam, idem creator existens et creatura; atque hoc modo ab illo procedit altera illa creatio, quae bene esse confert toti veteri creaturae, quae in *Christo nova creatura* iam tota facta est. Ideo novus Adam et creator a seipso formatus, in praedefinito ante saecula tempore, Virginem tamquam quamdam terram praestituit, suaque creatrice manu, Spiritu Sancto scilicet, ipsius carnem ex ipsa tamquam quemdam pulverem assumens, in forma nostra factus est, eius figurationi ac formationi nulla prorsus voluptate, nullis carnalibus desideriis praeaeuntibus. Vides quomodo modus creationis novi Adami typus et adumbratio extitit alterius » (l. c., pp. 19-21). Asserit insuper quod « quemadmodum ad Patrem nemo venire potest nisi per Iesum, ita neque ad Filium, qui est Sancti Spiritus fons naturalis, pariter accedere valet nisi per huius matrem » (l. c., p. 41).

4. Maria insuper *caelo* sub diversis rationibus, comparatur, « utpote vere et proprie thronus Omnipotentis existens; siquidem caelum thronum Dei eiusque domicilium, Scriptura Sacra appellare novit: *Caelum mihi sedes est* » (l. c., p. 45). Est etiam caelum quia omnia bona gratiarum complectitur et continet,

¹ Cfr AUBRON, *Le discours de Théophane de Nicée sur la très Sainte Mère de Dieu*, in *Recherches de science religieuse*, t. 27 (1937), pp. 257-279. Cfr JUGIE, in *Dict. Théol. Cath.* t. 15, col. 513-517.

ita ut nemo hominum aut angelorum bonorum illorum sine ipsa particeps esse potest.

B. Virgo est « huiusmodi supernaturalis negotiationis officina... Quemadmodum enim illa Deo Verbo nostram immediate naturam dedit, ita et Deus Verbum deificationem omnium illi immediate rependit; ita ut quemadmodum Filius Dei per propriae matris mediationem ex nobis nostram accipit naturam, ita et nos, per eiusdem mediationem, illius deificationem recipiamus. Fieri ergo nequit, ut quis Dei donorum quomocumque particeps aliter fiat quam secundum modum a nobis enuntiatum » (l. c., p. 55).

5. Maria *creaturis intellectualibus*, et primum angelis sub diversis rationibus, comparatur.

6. Deiparam superexaltat, Ipsi nomina divina (Deus, Rex, Dominus) accommodando, quorum, supra caeteros omnes, particeps facta est (l. c., pp. 82-86).

7. Praedestinationem Mariae ad Maternitatem divinam mirabiliter exponendo, asserit quod ex omnibus creaturis intellectualibus illa ad maternitatem divinam electa est, quam ab aeterno praevидit Deus ad summum sanctitatis gradum, auxiliante gratia, perventuram (l. c., pp. 87-99). Exponit denique quomodo Deus naturam humanam potius quam angelicam assumpsit ad hoc ut Christus esset omnium *caput*, cuius tamen *collum* B. Virgo est.

8. Exponit tandem singularissimam habitudinem Mariae ad Deum (Patrem, Filium et Spiritum S.) et ad homines. *a*) Relate ad Patrem: Pater et Maria eundem Filium communem habent (l. c., p. 137); *b*) Relate ad Filium: perfecta similitudo sive physica, sive moralis inter Matrem et Filium, nec non « Matris cum Filio coniunctio in omnibus eximia » (l. c., p. 159); *c*) Relate ad Spiritum S.: inde « ab initio Spiritui, vitae fonti, unita » fuit (l. c., p. 181); Spiritus S. autem illam digne ad maternitatem divinam praeparavit (pp. 177-193).

Exponit tandem habitudinem Mariae ad homines. B. Virgo « a Patribus et Theologis vocata est fons gratiae et fluentis vitae sempiternae, vel etiam fons vitae principium, quatenus absconditam Spiritus gratiam integram recipit eamque iis qui foris sunt copiose distribuit ac partitur, hoc pacto illam manifestans... Inde Deus per eam huiusmodi operationes erga omnia, quae ab Ipso facta sunt, nunc exercet... Etenim eorum qui post Christum secundum Christum conversati sunt viamque evangelicam varie perfecerunt, nullus ad quaesitum beatumque scopum ac finem pervenit sine illius cooperatione, quemadmodum nec sine Spiritus adiutorio » (l. c., pp. 193-195). « Ut breviter dicam, neque martyrum fortitudo, neque ascetarum tolerantia de communi hoste victoriam reportavit sine auxilio et imperatorio ductu Matris Verbi, reginae et imperatricis caelestis, omnis ac terrestri exercitus » (l. c., p. 197). Est, insuper, Maria *Mater nostra*, cuius maternus amor amorem Christi erga nos imitatur, matrisque nostrae carnalis amorem incomparabiliter excedit, ita ut ista respectu eius, quae est vera Mater nostra, per quam omne supernaturale donum ad nos pervenit, « nutritis

vices vix gerere dicenda sit » (l. c., pp. 197-207). « Quemadmodum enim singulae matres filiis simplicem existentiam conferunt, ita Domini Mater universis creaturis beatam existentiam largitur, et quemadmodum illae filios homines natura mortales generant, eorumque praeterea curatrices sunt ac nutrices, ita Haec eosdem et deos et immortales secundum gratiam efficit; insuper eadem et eorum necessitatibus prospicit et divinarum ac deificantium deliciarum pingue convivium praebet » (l. c., p. 205). Ob haec omnia « nominis eius meminisse debemus omnes in omni generatione et generatione, frequentius quam respiramus ... unusquisque nostrum, insanorum auri vel cuiuslibet alterius rei amatorum iustae, nocte ac die in corde revolvat Pulchritudinem, quae post Deum omni intellectuali ac rationalis naturae revera amabilis est ac tota desiderabilis » (l. c., p. 209).

In hoc sermone, prout etiam ex expositis patet, immaculata conceptio, ac praesertim universalis mediatio (cuius est veluti hymnus) perpulchre exponuntur.

6. ISIDORUS GLABAS, Archiep. Thessal. († 1394)¹

Reliquit quatuor homilias marianas (*de Nativ. B. M. V., de Praesent., de Annunt., et de Assumpt.*), editae a Ballerini (*Sylloge* etc., pp. 204-242, 418-458; t. 2, pp. 377-439, 597-661). Aperte docet B. Virginem in iniquitatibus conceptam non fuisse (*In Praesent.*, BALLERINI, o. c., t. 2, pp. 443-445). Illam tantummodo Deus capacem invenit liberandi homines. Ipsa est novus homo ad similitudinem Dei creatus, ad hoc ut cooperari possit cum Deo ad salutem hominum (l. c., t. 2, pp. 428-429, 396-397).

7. NICEPHORUS CHUMNUS (1270)

Reliquit Sermonem pro *festo Dormitionis S. Mariae* (PG 140, 1497-1526).

8. MAXIMUS PLANUDES (1353)

Reliquit Orationem *in sepulturam D. N. I. C. et lamentationem Deiparae* (PG 147, 985-1016).

VII). - SAEC. XV

1. DEMETRIUS CYDONIUS († 1460)²

Lectio Patrum nec non operum S. Thomae Aquinatis (cuius vertit in sermonem graecum Summam C. G. et Summam Theologicam), illum a schismate ad Ecclesiam catholicam convertit. Reliquit sermonem *de Annuntiatione* (PG 154,

¹ Cfr PETIT L., in *Dict. de Théol. Cath.*, t. 8-1, col. 111.

² Cfr PALMIERI A., in *Dict. Théol. Cath.*, t. 3-2, coll. 2454-2458.

959-960). Explicite docet Immaculatam Conceptionem (cfr JUGIE, in *Dict. de Theol. Cath.*, t. 7, coll. 951-952; idem, *Le discours de Démétrius Cydonès sur l'Annonciation, et sa doctrine sur l'Immaculée Conception*, in *Echos d'Orient*, t. 17 (1910), pp. 97 et sqq.).

2. **EMMANUEL Paleologus** († 1425)¹

Sermonem reliquit in *Dormitione Deip.* (PG 156, 91-108), in quo sanctificationem B. M. V. in primo instanti conceptionis aperte docet (cfr JUGIE, in *Dict. Théol. Cath.*, t. 7, coll. 952-953).

3. **IOSEPH BRIENNIOS** († c. 1435)²

In suis homiliis marianis aperte docet sanctitatem originalem Deiparae (cfr Editionem E. BULGARIS, Leipzig, 1768-1774).

4. **GEORGIUS SCHOLARIUS. Patr. Constantinop.** († 1468)³

Fuit ultimus et maximus Theologus Byzantinus; interfuit Concilio Florentino et multa scripta reliquit inter quae tres homilias marianas (*de Annuntiat.*, *de Praesent.* et *de Assumpt.*), ex quibus parvus tractatus Mariologiae erui potest. Docet IMMACULATAM CONCEPTIONEM seu praeservationem a peccato originali inde a primo instanti conceptionis (cfr praesertim secundum tractatum *de origine animae*, 20, *Opera*, t. 1, p. 501; Homil. *de Annunt.*, 42, t. 1, p. 40; *Sermo pro Dormit. Deip.*). In virtutibus B. Virgo iugiter crevit, et exemplum evasit vitae perfectae (*Sermo pro Praesent.*, t. 1, pp. 161-172). Insuper ASSUMPTIONEM B. M. V., seu anticipatam corporis resurrectionem gloriosam admittit, tamquam sententiam sapientiorem et convenientiorem (*Sermo pro Assumpt.*, 11, t. 1, p. 205). COOPERATIONEM AD REDEMPTIONEM illustrat, B. Virgini titulos redemptricis nostrae, liberatricis tribuendo, tamquam causae secundariae et ministeriali (*Oratio ad Virginem*, t. 4, p. 366; cfr praesertim *Sermo de Assumpt.*, 10, t. 1, pp. 203-204).

VIII). - SAEC. XVI

1. **DAMASCENUS Studita** († 1577)⁴

In collectione Sermonum cui titulus *Thesaurus* (Athenis 1893), habentur sermones *de Annuntiatione* et *de Praesentatione B. M. V.* In sermone *de Annunt.* admittit in B. Virgine peccatum originale a quo tantummodo in die Annuntia-

¹ Cfr PETIT L., in *Dict. Théol. Cath.*, t. 9-2, coll. 1925-1932.

² Cfr DRAESEKE J., *Jos. Br.*, in *Kirchliche Zeitschrift*, 7 (1906), pp. 208-228; MEIER PH., *Des. Ios. Br. Schriften, Leben und Bildung*, in *Bizantinische Zeitschrift*, 5 (1896), pp. 74-111.

³ Cfr JUGIE, *Scholarios*, in *Dict. de Théol. Cath.*, t. 14, coll. 1521-1570. IDEM, *Georges Scholarios et l'Immaculée Conception*, in *Échos d'Orient*, t. 17 (1910), pp. 527 et seqq.

⁴ Cfr PETIT L., in *Dict. Théol. Cath.*, t. 4-1, coll. 27-28.

tionis liberata fuit (l. c., pp. 5-6). At, in sermone *de Praesent.*, ponit coexistentiam, in anima Virginis, peccati originalis et gratiae Spiritus S. (l. c., p. 159).

2. ALEXIUS RHARTUROS

In sermone *de Annuntiatione* admittere videtur immaculatam Virginis conceptionem (cfr *Opus*, editum Venetiis, 1560).

IX). - SAEC. XVII

1. CYRILLUS LUCARIS Patr. Constant. († 1638)¹

In duobus sermonibus (*De Dormitione* et *De Nativit. B. M. V.*) docet: 1) B. Virginem immunem fuisse a macula peccati originalis, eo quod tota sanctificata fuit in ipso instanti conceptionis (Homil. *De Dormit.*, codex 263 apud Metochion S. Sepulchri, Constantinopoli, foll. 612-613); 2) B. Virginem morti subiectam non fuisse, quia causa mortis peccatum est (ibid., fol. 614); 3) Deum Matri suae concessisse, per gratiam, bona et privilegia quae ipsemet habet per naturam (Homil. *de Nativ.*, cod. 39, fol. 93).

2. GERASIMUS I. Patr. Alex. († 1636)

Inter varios sermones ab ipso compositos (et asservatos in Bibl. Patriarchali Cairensi), sermo habetur *de Dormitione* in quo docet B. Virginem subiectam non fuisse peccato originali (cfr HYPsilantis, *Chronica*, Constantin., 1870, p. 131).

3. NICOLAUS CURSULAS († 1652)²

Composuit opus *Synopsis sacrae Theol.*, duo vol., a. 1862 edita. In primo vol. pp. 336-342, fuse exponit quaestionem de immaculata Conceptione; admittit in Virgine debitum peccati, non tamen peccatum, et asserit quod temerarium esset hanc doctrinam reicere.

X). - SAEC. XVIII

1. ELIAS Miniates Ep. Kernitza († 1714)³

Plures sermones marianos reliquit (2 *De Nativ.*, 2 *de Annunt.*, 2 *de Praesent.*) editos, simul cum aliis sermonibus, Venetiis 1778, in-4, VIII-416 pp.

In sermonibus istis docet: 1) B. Virginem praedestinatam fuisse ut instrumentum nostrae salutis (o. c., p. 378); praedestinatam ad debitum naturae hu-

¹ Cfr EMEREAU C., in *Dict. Théol. Cath.*, t. 9-1, coll. 1003-1019.

² Cfr PALMIERI A., in *Dict. Théol. Cath.*, t. 3-2, coll. 1983-1984.

³ Cfr SALAVILLE S., in *Dict. Théol. Cath.*, t. 10-2, coll. 1769-1778.

manae solvendum (ibid.); ipsam, caput venenosi serpentis contrivisse antequam in terris appareret; 2) immunem fuisse a culpa originali (l. c., pp. 378-379; 380-381; 407-408 etc.). Cfr SALAVILLE S., *La croyance et le culte de l'Immaculée Conception chez les Grecs et les Slaves au XVIII^e siècle. La doctrine d'Elie Miniatis sur l'Immaculée Conception*, in *Marianum*, t. 2 (1940), pp. 114-144.

2. MACARIUS Patmensis († 1738)¹

In suo Sermonario cui titulus *Tuba evangelica* (Leipzig, 1758) quasdam homilias marianas reliquit (*De Annuntiat.*, *de Praesent.*) in quibus immaculatam conceptionem profitetur.

3. MACARIUS SCORDILES

In suis homiliis Venetiis editis a. 1787, immaculatam Virginis conceptionem docet (pp. 16, 136, 151).

XI). - SAEC. XIX

ANTONIUS AMPHITHEATROV, Archimandrita

Anno 1848 edidit opus *Theologia dogmatica Ecclesiae Orthodoxae* in quo Immaculatam Virginis Conceptionem docet.

II. Scriptores Occidentales

I). - SAEC. VIII

1. S. BEDA Venerabilis († 735)²

Reliquit sequentes homilias: 1) *in festo Annuntiationis B. M. V.* (PL 94, 9-13); 2) *In festo Visitationis B. M. V.* (ibid., 13-22); 3) *In purificatione B. M. V.* (l. c. 79-83). Aliae homiliae de B. M. V. (etiam illa quae legitur in Breviario Rom., i. e. homil. 58 super verba *Extollens vocem* etc. (PL 94, 421-422), iuxta Mabilon, supposititiae sunt.

2. S. AMBROSIUS AUPERTUS O.S.B. († 781)³

Natus est in Gallia, initio saec. VIII. Anno 776 electus fuit Abbas Monasterii S. Vincentii apud Vulturum. Iuxta communem sententiam, mortuus est die 19 iulii anni 778; attamen, ex epistola quadam Stephani IV ad Carolum Ma-

¹ Cfr PETIT L., in *Dict. Théol. Cath.*, t. 9-2, coll. 1459-1561.

² Cfr GODET P., in *Dict. Théol. Cath.*, t. 2-1, coll. 523-527.

³ Cfr *Chronicon Vulturense*, ed. FEDERICI (*Fonti per la storia d'Italia*), 1, Roma, 1925, pp. 177 et sq.; *Histoire littéraire de la France*, 4, Paris, 1738, pp. 141-161; BERLIERE U., in *Dict.*

gnum apparet quod die 15 aprilis 781, adhuc inter vivos esset. Inter primos vindices mariani cultus merito recensetur. Lectiones secundi nocturni officii die 8 sept. (pro festivitate Nativitatis B. M. V.) et diei 8 decembris (pro festivitate Immaculatae Conceptionis) extractae sunt ex sermonibus eius, non vero ex sermonibus S. Augustini vel S. Hieronymi. Est etiam auctor Sermonis in purificatione S. Mariae (PL 89, 1291-1304).

3. PAULUS Diaconus Warnefridus O.S.B. († 799)¹

Paulus Diaconus natus est inter annos 720-730, probabiliter in loco vulgo Cividale del Friuli. Fuit monachus Cassinensis. Iuxta necrologium quoddam Cassinense, mortuus est die 13 aprilis, probabiliter a. 799. Plura scripsit opera, praesertim historica. Plures sermones et homilias marianas reliquit, videlicet: 1) quatuor homilias in *festo Purificationis* (PL 95, 1200-1305), 1461-1463); 2) tres homilias in *Annuntiatione B. M. V.* (l. c., 1470-1475); 3) in *Vigilia Assumptionis* (l. c., 1490); 4) septem homilias in *festo Assumptionis* (l. c., 1490-1508; 1565-1574); 5) duas homilias in *Nativitate B. M. V.* (l. c., 1515-1522). F. Wiegand conatus est restituere textum homiliarum prout ex Pauli calamo fluxerunt in op. *Das Homiliarium Karls des Grossen*, in *Studien zur Gesch. der Theol. und Kirche*, t. 1, fasc. 2, Leipzig, 1897. Cum editio critica homiliarum Petri Diaconi desit, in usu homiliarum a Migne editarum, ad opus Wiegand attendi debet. — Hymnus in *Assumptionem B. M. V.*, Paulo Diacono tributus, non est eius.

4. B. ALCUINUS (735 c. -804)²

Vir sua aetate doctissimus, appellari potest primus minister intellectualis Caroli Magni. De Beata Virgine reliquit: 1) *Sabbato Missa de Sancta Maria* (PL 101, 455-456); 2) *De Maria Virgine et Incarnatione Verbi Dei* (cap. 14, Libri tertii, opusculi *De fide sanctae et individuae Trinitatis* l. c., 46); 3) *Orationes de sancta Maria* (l. c., 464); 4) *De B. Virgine versus* (l. c., 743, 749, 757, 758, 760, 762, 771, 774).

Sermones in *Hypapante Domini* (PL 89, 1291) et *De Nativitate perpetuae Virginis Mariae* (PL 101, 1308), inter opera *supposititia* a Migne referuntur.

d'hist. et géograph. ecclés., 2, coll. 1115 et sq.; MORIN, in *Revue bénédictine*, 8 (1891), pp. 275-76, 278; 27 (1910), pp. 204-212; IDEM, in *Revue d'hist. ecclésiastique*, 6 (1805), pp. 327-345. IDEM, in *Études, textes, découvertes*, 1, Maredsous, 1913, pp. 23 et sq.

¹ Cfr DEL GIUDICE P., *Lo storico de Longobardi e la critica moderna*, Milano, 1880; AMELLI, *Pietro Diacono, Carlo Magno e Paolo d'Aquileia*, Montecassino, 1899; AMANN E., *Paul Diacre*, in *Dict. Théol. Cath.*, t. 12, coll. 40-43; WAITZ, in *Mon. Germ. hist., Script. rer. germ. et ital.* Berolini, 1878, in praef. ad edit. op. *Histor. Longobardorum*.

² Cfr VERNET, in *Dict. Théol. Cath.*, t. 1, coll. 687-692.

II). - SAEC. IX

1. **HAYMON, Ep. Halberstadt** († 853)¹

Homiliam reliquit *in solemnitate perpetuae Virginis Mariae* (PL 118, 765-767).

2. **S. PASCASIUS RADBERTUS** († 865)²

Natus est circa a. 790; monasticam vitam professus est in monasterio Corbeiensi, cuius a. 844 Abbas fuit. Opera eius inveniuntur apud MIGNE, PL, 120. Iuxta LAMBOT (in *Revue Bénédictine*, apr. et iul. 1934), ad Paschasium pertinent: 1) homilia *de Assumptione* edita inter op. S. Hieronymi (PL 40, 126-127) et Ambrosio Autperto († 778) postea tributa; 2) *Historia de ortu S. Mariae*, edita inter opera S. Hieronymi (ibid., 308-315); 3) probabiliter, *Sermo de Assumptione*, editus inter op. S. Augustini (PL 40, 1141); 4) Liber *de partu Virginis*, editus inter op. S. Hildephonsi (PL 96, 211 sq.). In hoc ultimo opere exponit quomodo Christus per viam naturae natus sit, attamen *clauso utero*, quin Matris suae virginitatem violaret. In eodem libro docet quod B. Virgo « neque contraxit, in utero sanctificata, originale peccatum » (PL 120, 1391). Circa authenticitatem horum verborum, cfr LE BACHELET, in *Dict. de Théol. Cath.*, t. 7, coll. 984-985.

III). - SAEC. X

S. FULBERTUS Ep. Carnotensis (960-1028)³

Reliquit sermones 1) *de Purificatione* (PL 141, 319-320), 2) tres *de Nativitate* (l. c., 324-331).

In duobus sermonibus, id est in *Serm. IV de Nativ. B. M. V.* (PL 141, 322) et in *Serm. VI in ortu almae Virginis* (l. c., 326), immaculatam Virginis Conceptionem sat aperte profitetur. Recognoscit enim praesentiam Spiritus Sancti in parentibus Virginis inde « ab initio creationis suae » (*De ortu Virg.*, l. c.).

IV). - SAEC. XI

1. **S. PETRUS DAMIANI** (1007-1072)⁴

Natus est Ravennae, ex pauperibus parentibus, anno 1007. Iuvenis, inter monachos Fontis Avellanae, in Dioecesi Eugubina, monasticam vitam amplexus est. A Stefano IX (1057-1058) Cardinalis et Episcopus Ostiensis creatus, assidue,

¹ Cfr HEURTEBIZE, in *Dict. Théol. Cath.*, t. 6-2, coll. 2068-2069.

² Cfr PELTIER H., *Radbert (Paschase)*, in *Dict. Théol. Cath.*, t. 3, coll. 1628-1639.

³ Cfr *Dict. Théol. Cath.*, t. 6-1, coll. 964-967.

⁴ BALDASSARRI S., *La Mariologia in S. Pier Damiano*, in *La Scuola Cattolica*, t. 41 (1933) pp. 304-312.

sicut antea, pro Ecclesia et clericorum reformatione adlaboravit. Mortuus est Faventiae, die 22 febr. 1072.

S. Petrus Damianus, Virginis apprime devotus, plura et praeclara de B. M. V. scripsit, praesertim in duabus homiliis in *Nativ. B. M. V.*, sermo 45 (PL 144, 740-748) et sermo 46 (PL 144, 748-761). Sermo 44 de *Nativ. B. M. V.* (PL 144, 736-740), Sermo 40 de *Assumptione B. M. V.* (PL 144, 717-722) nec non sermo 11 in *Annuntiatione B. M. V.* (PL 144, 559-563), ad Nicolaum Claravallensem, S. Bernardi secretarium, pertinent (cfr PL 144, 506, in nota). Laudes Virginis etiam celebrat in pluribus hymnis de B. M. V. (PL 145, 933-941).

a) DE B. VIRGINE CONSIDERATA RELATE AD DEUM.

1. **De praedestinatione B. M. V.** In sermone *de Nativ. B. M. V.* (PL 144, 741) asserit quod Deus una cum praevisione lapsus generis humani, « redemptionis humanae consilium ante saecula in immensae pietatis suae visceribus habuit », et modum, rationem, tempus humanae redemptionis « praefinivit », adeo ut « impossibile erat ut humani generis redemptio fieret, nisi Dei filius de Virgine nasceretur »; et ideo Virgo nascere debuit: « oportebat quippe prius aedificari domum, in quam descendens caelestis Rex habere dignaretur hospitium ... Quam ubique aeterna Sapientia, quae attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter, talem construxit quae digna fieret illum suscipere, et de intemeratae carnis suae visceribus procreare ».

2. **De prophetiis et figuris B. M. V.** B. Virgo fuit « in lege praefigurata, in patriarcharum et prophetarum oraculis praenuntiata » (l. c., 746). Et alibi dicitur quod « a prophetis multifariam est promissa » (sermo 46 *de Nativ. B. M. V.*, l. c., 757).

Ad varias prophetias alludit, e. g. Ier. de femina virum circumdatura (XXXI), et Ezech. XLIV (PL 144, 753), etc. Pro figuris cfr PL 145, 935.

3. **De divina maternitate.** Factum divinae maternitatis saepe et mirificis laudibus extollit.

In serm. 45 *in Nativ. V.* dicit: « Qualiter enim laudare poterit mortalis hominis transitorium verbum eam, quae illud de se protulit Verbum quod manet in aeternum? Quae lingua in eius laude invenitur idonea, quae illum genuit cui omnia benedicunt et cum tremore obediunt elementa? Nam dum cuiuslibet martyris fortia facta extollere cupimus, dum virtutem eius ad gloriam Redemptoris praedicamus, etiamsi ad cogitandum tardior sensus impediatur, vel ad loquendum balbutiens lingua non suppetat, verborum tamen copiam ipsius rei materia subministrat. Cum vero B. Genitricis Dei laudes scribere volumus, quia nova et inaudita sunt, quae tractanda suscipimus, nulla invenimus verba, quibus ad haec exprimenda sufficere valeamus. Tollit enim facultatem sermonis materia singularis ».

Et alibi: « Ad eius namque digne efferenda praeconia non rhetoricorum diserta facundia, non dialecticorum subtilia argumenta, non acutissima philosophorum apta reperiantur ingenia. Et quid mirum, si haec ineffabilis Virgo in suis laudibus modum hu-

— vocis exsuperat, cum et ipsam generis humani naturam excellentium meritorum dignitate transcendat » (*Sermo* 46, PL 144, 752).

« Caeteris per partes Spiritus affluit, Mariae tamen tota plenitudo gratiae supervenit » (l. c., 722).

« Non denique excellentissimus ille patriarcharum chorus, non providus prophetarum numerus, non iudex apostolorum senatus, non martyrum victor exercitus, non aliquis antiquorum, non quisquam sequentium Patrum huic beatissimae Virgini poterit comparari. Quid enim sanctitatis, quid iustitiae, quid religionis, quid perfectionis singulari huic Virgini deesse potuit, quae totius divinae gratiae charismate plena fuit? Sic namque ab angelo, dum salutaretur, audivit: "Ave, gratia plena, Dominus tecum (Luc. 1)". Quod, rogo, vitium in eius mente, vel corpore vindicare sibi potuit locum, quae ad instar coeli, plenitudinis totius divinitatis meruit esse sacrarium? ». (*Or.* 46, *in Nativ. B. M. V.*, PL 144, 752; Cfr. etiam praeclarissima verba *Serm.* 46, l. c., 753).

b) DE B. M. V. CONSIDERATA IN ORDINE AD HOMINES.

I. De **mediatione B. M. V.** Mediationis conceptus sat clare in hisce verbis exprimitur: « Scala quae caelum terris, — iungis ima supernis » (PL 145, 937).

a) DE COOPERATIONE AD OPUS REDEMPTIONIS. Parallelismus inter Evam et Mariam haud raro invenitur etiam apud S. Petrum D. « Per mulierem infusa est maledictio terrae, per mulierem redditur benedictio terrae. Per cuius manus potus mortis amarae porrigitur, per eam quoque dulcis vitae poculum exhibetur. Largissimum benedictionis novae fluentum detersit maledictionis antiquae contagium » (*Homil. in Nativ. V.*, PL 144, 758, 743). Per Virginem omnia quae homo amiserat recuperantur: « Per hanc enim beatissimam Virginem, non solum amissa olim vita hominibus redditur, sed etiam beatitudo angelicae sublimitatis augetur, quia, dum homo ad superna reducitur, illorum numerus, qui diminutus fuerat, reparatur » (PL 145, 752). B. Virgo « Coelum nobis aperuit » (PL 145, q. 33); in ipsa Redemptor condidit gladium, per quem hostem stravit » (l. c., 940); ipsa est « aerarium talenti — per quod sumus redempti » (l. c., 938); « Dives Mariae graemium — mundi gestavit pretium — quo gloriamur redimi, — soluti iugo debiti » (l. c., 933). Iure igitur meritoque concludit: « Hic, dilectissimi fratres mei, hic rogo, perpendite quam debitores simus huic beatissimae Dei Genitrici, quantasque illi post Deum de nostra redemptione gratias agere debeamus » (*Sermo* 45, *Nativ. B. V.*, PL. 144, 743).

b) DE MATERNITATE SPIRITUALI B. M. V. Per B. Virginem « amissa olim vita hominibus redditur » (PL 145, 752). Ergo B. V. est mediatrix nostrae regenerationis. Admittit quod « ex Maria profluisset videtur Ecclesia » quia ex eius « visceribus caro Christi desumpta est, ex qua rursus per aquam et sanguinem prodidisset videtur Ecclesia » (*Sermo de S. Ioanne Ap. et Ev.*, PL 144, 861).

c) DE DISTRIBUTIONE OMNIUM GRATIARUM. Habetur solummodo aliqua implicita allusio. Ipsa enim est « praeclara vitae ianua — qua caeli patent atria » (PL 145, 936). Omnes gratias a B. Virgine pluries implorat: « Tu solve quod de-

bemus, — averte quod timemus, — impetra quod optamus, — perfice quod speramus » (l. c., 939). Et alibi: « Inferantur a te vota nostra atque suspiria conspectui Redemptoris, ut quae nostris excluduntur meritis, per te locum apud aures divinae obtineant pietatis. Dele peccata, relaxa facinora, erige lapsos, solve compositos. Per te succidantur vepres et germina vitiorum, praebeantur flores et ornamenta virtutum. Placa precibus Iudicem, quem genuisti singulari puerperio Salvatorem, ut qui per te factus est particeps humanitatis nostrae, per te quoque nos consortes efficiat divinitatis suae » (PL 145, 936).

2. **De munere regio B. M. V.** Saepe B. Virgo vel « regina » « Regina mundi » aut « dominatrix » appellatur (e. g. PL 144, 722, 736; PL 145, 934, 940, 935).

c) DE B. M. V. CONSIDERATA IN SEMETIPSA.

1. **De sanctitate Deiparae.** Asserit B. Virginem ita gratia plenam fuisse ut angelicas creaturas superaret (*Homil. in Nativ. B. V.*, PL 144, 741); dicit illam plenam « totius divinae gratiae charismate » (l. c., 752), « septem Spiritus sancti donis » dotatam (l. c., 741). Gratiis vero ita correspondit ut virtutes in summo gradu exercuerit: « quid enim sanctitatis, quid iustitiae, quid religionis deesse potuit quae totius divinae gratiae charismate plena fuit?... Quod, rogo, vitium in eius mente vel corpore vindicare sibi potuit locum? » (*Homil. in Nativ. B. V.*, PL 144, 752). In virtutibus iugiter crevit: « sicut virgula fumi ex aromatibus ascendit quia ex vitae suae virtutibus in interni semper incensi rectitudinem proficere studuit » (l. c., 760).

De immaculata conceptione quaedam habet. Textus: « ex Adam assumpta, maculas Adae non admisit » invenitur in serm. de Assumpt (PL 144, 721) ad Nicolaum Claravallensem pertinente. In Rhythmo super salutatione angelica, scribit: « Et benedictus Deus qui cuncta creavit — qui matris in utero te sanctificavit » (PL 145, 940). Attamen in hymno quodam canit: « Ille dum te salutat — Evae nomen commutat ¹ — Reduc nos, Virgo sancta, — unde es numquam lapsa ».

2. **De perpetua virginitate Deiparae.** Pluries hoc Virginis privilegium extollitur. B. Virgo est « semper virgo » (PL 145, 589); est porta Ezechielis « incorrupta ante partum, incorrupta post partum » (PL 144, 753). « Et ante partum virgo — sed post partum Virgo; — crevit in ortu prolis — integritas pudoris » (PL 145, 38).

Contra quosdam impugnantes sustinet *veritatem* matrimonii B. M. V. cum S. Ioseph (cfr PL 145, 662).

3. **De assumptione B. M. V.** In opusculo XXXIV (PL 145, 586-587) meminit de festo Assumptionis B. M. V. Iamvero, pro assumptione, saec. XI, intelligebatur

¹ Animadvertit P. Charles quod S. Petrus Dam. primus est qui celebrem lusum verborum *Eva-Ave* invenit (cfr CHARLES, *Congrès de Bruxelles* 1921, 2, 478). Attamen idem haberi videtur in hymno *Ave Maris stella*: « mutans Evae nomen ».

Romae glorificatio corporea B. M. V. Pro hac festivitate composuit etiam hymnum (PL 145, 934).

d) *DE CULTU B. M. V.*

S. Petrus Damianus praesertim in cultu imitationis insistit: « et quia reliqui vobis exemplum ut sequamur vestigia eius, talis etiam debet esse anima nostra » (PL 144, 508). Cfr etiam PL 144, 510-511. Facto quodam mirabili comprobatur quomodo B. Virgo, in suae festivitate Assumptionis, innumeros quodammodo liberat a poenis Purgatorii (Op. XXXIV, c. III, PL 145, 586-587).

Quidam dixerunt S. Petrum Damiani instituisse Parvum Officium B. M. V. Attamen haec opinio, prout apparet sive ex iis quae scripsit antiquus Sancti Biographus (cfr PL 144, 132) sive ex frequentibus allusionibus ipsius Sancti ad parvum officium, non videtur sustineri posse. Potius quam institutor, S. Petrus D. propagator parvi officii dici debet (cfr PL 144, 419-420; PL 145, 230-231). Ante ipsum enim parvum officium, analogum officio nobis cognito, iam existebat (cfr BRÄUMER, *Histoire du Bréviaire*, versio gallica Dom. Birom, t. I, pp. 375-376).

2. S. ANSELMUS Archiep. Cantuariensis (1033-1109)¹

S. Anselmus, « Theologiae scholasticae pater », inter annos 1033-1109 vitam sanctissime degit. In suis operibus doctrina patristica suae aetatis in compendium veluti redacta invenitur. Generalis eius methodus in inquisitione veritatis ab ipso adhibita illo percelebri effatu exprimitur: « Fides quaerens intellectum » (titulus *Proslogion*). Doctrina igitur mariana S. Anselmi magnum habet momentum. Haec autem doctrina praecipue in *Orationibus* continetur. Plures tamen *orationes* et *meditationes*, idemque *opuscula*, *hymni* et Psalterii ipsumque *Mariale* (poema 539 strophis constans)² in quibus magna doctrinae marianae copia invenitur,

¹ JONES E. R., *Sancti Anselmi Mariologia*, Mundelein, Illinois, 1937; MEUSING E. P. S., O. S. B., *De Marialeer van den H. Anselmus*, in *Handelingen van het Vlaamsch Maria-Congres te Brussel 8-II sept. 1921*, t. 1, pp. 250-259.

² Ed. P. RAGEY, *S. Anselmi Cant. Archiep., Mariale*, Burns and Oates, 1883; et ed. 2 apud Desclée, Tournai, 1885. « Inde ab a. 1604 tribuebatur S. Casimiro, quando centum viginti annos post eius obitum aliqua pars huius carminis in eius sepulcro comperta est. Haec autem oratio est mera selectio ex magno *Mariali* quam quotidie legebat S. Casimirus et secum sepeliri voluit (Legi potest apud Bolland., *Acta Sanctorum Martyr.*, 1865, t. 1, p. 355; tantum 63 continet versus). Anno autem 1684 repertum est manuscriptum huius orationis evidenter saec. XII compositum. Deinde multae fuerunt discussiones quoad auctorem poematis (cfr conspectus discussionum factus a P. RAGEY, *Annales de phil. chrét.*, mai et juin, 1883, et *Rev. des quest. hist.*, juillet, 1887), quidam auctores vindicantes S. Bernardum (sicut P. Hommey, Augustinensis qui primum invenit manuscriptum), quidam monachum Bernardum Cluniacum (J. MEARUS et J. JULIAN, *A dictionary of hymnology*, London, 1892, pp. 1200 sq. et quidam S. Anselmum (JONES, o. c., pp. 9-10).

aut spuria aut dubia sunt. Ex scriptis igitur certis Mariologia S. Anselmi erui debet (cfr JONES, o. c., pp. 4-11).

Schema vero scriptorum, relate ad authenticitatem, ita exhibetur a JONES (l. c., p. 10).

AUTHENTICAЕ		SPURIAE	DUBIAE
1) <i>HOMILIAE</i>	9 ¹	1-8, 10-16
2) <i>Meditationes et Orationes</i>	Prologus (P. L. 158, 709) Med.: 2, 3, 11. Or.: 9, 20, 23, 24, 34, 41, 50-52, 63-65, 67-69, 71, 72, 74, 75.	Med.: 1, 4, 10 12-14, 18-20, et « Super Miserere ». Or.: Omnes praeter numeratas.	Med. 15-17, 21.
3) <i>Opuscula, Hymni etc.</i>	Ep. IV, 107 « De contemptu mundi » (c. 287), « De Lanfranco » (1049).	De beat. coelest. (159/587): De Similitud. (169/605); Hymni; Mariale.

Mariologia S. Anselmi, ex operibus *certis* desumpta, ad haec praecipua capita reduci potest:

a) *DE B. VIRGINE CONSIDERATA IN ORDINE AD DEUM.*

De maternitate divina. Plura habet S. Anselmus, sive de ipso *facto* maternitatis divinae, sive praesertim de variis eius respectibus et praestantia.

Sic, e. g. in Or. 52 (PL 158, 954-955): « Tu genuisti mundo restauratorem quo perditus indigebat, tu peperisti mundo reconciliationem quam reus non habebat. Per fecunditatem tuam, Domina, mundus peccator est iustificatus, damnatus salvatus, exsul reductus ».

In Orat. 52 (PL 158, 956): « Mirares, in quam sublimi contemplor Mariam locatam. Deus Filium suum quem solum de corde suo aequalem sibi genitum, tamquam seipsum diligebat, ipsum dedit Mariae, et ex Maria sibi fecit Filium, non alium, sed eundem, ut naturaliter esset unus idemque communis Filius Dei et Mariae. Omnis natura a Deo est creata, et Deus ex Maria est natus. Deus omnia creavit, et Maria Deum genuit. Deus qui omnia fecit, ipse se ex Maria fecit, et sic omnia refecit. Qui potuit omnia de nihilo facere, noluit ea violata sine Maria reficere. Deus igitur est Pater rerum creatarum, et Maria Mater rerum recreatarum. Deus est Pater constitutionis omnium, et Maria est Mater restitutionis omnium, Deus enim genuit illum, per quem omnia sunt facta, et Maria peperit illum, per quem omnia sunt salvata. Deus genuit illum, sine quo penitus nihil est, et Maria peperit illum, sine quo omnino nihil bene est ».

¹ Communiter non habetur ut authentica.

Sicut S. Ioannes Damascenus, qui « discrimen sine fine » Mariam inter et alios homines posuit (*De Dormitione Deip. V. M.*, Orat. I, 10, PG 96, 716), ita S. Anselmus Deipararum tam exultat ut ad ipsum Deum fere appropinquet, scribens: « Nihil est aequale Mariae; nihil nisi Deus, maius Maria » (Or. 52, PL 158, 956 A).

b) DE B. M. V. CONSIDERATA IN ORDINE AD HOMINES.

De mediatione B. M. V. S. Anselmus in hoc omnes qui illum praecesserunt superat quod magis clare et explicitè doctrinam Mediationis proposuit, ita ut omnibus, qui ipsum subsecuti sunt, viam quodammodo aperuerit. Doctrina vero Mediationis in scriptis S. Anselmi sub triplici respectu consideratur, nempe, quatenus cooperationem ad opus redemptionis, maternitatem spiritualem et distributionem gratiarum significat.

I. COOPERATIO AD OPUS REDEMPTIONIS. Ipsa ratio essendi B. M. V. eiusque maternitatis ex hac eius sublimes missione, iuxta S. Anselmum, dependet. Scribit enim: « propter salutem peccatorum estis tu, filius, et tu, mater » (Or. 51, PL 158, 951); « femina quae facta es Mater Dei propter misericordiam » (ibid., PL 158, 952); « Causa generalis reconciliationis » (Or. 52, PL 58, 957 B). Haec fuit, iuxta S. Anselmum, ipsa Dei intentio; Deus enim « fecit ut... nos per vitae restitutionem essemus filii matris eius » (Or. 52, PL 158, 957). Ipsa est « Virgo, homo de qua natus est Deus homo ut salvaretur homo » (Or. 52, PL 158, 951 B). « Qui potuit omnia facere de nihilo, noluit ea violata sine Maria reficere » (Or. 52, PL 956 B).

B. Virgo a S. Anselmo vocatur, generice, « Mater salutis » (Or. 50, PL 158, 948 C), « vas et templum vitae et salutis » (Or., 52, PL 158, 954 C), « mundi reconciliatrix » (Or. 51, PL 158, 952 A), « ianua salutis » (l. c.) etc. Emphatice exclamat: « Quid, inquam, digne referam, genitrici Dei et Domini mei per cuius fecunditatem captivus sum redemptus? » (Or. 52, PL 158, 954). Et orat: « Obsecro te per tuam salvatricem fecunditatem » (l. c.).

At non solum affirmat, in genere, B. Virginem partem habuisse in opere salutis, affirmat etiam hanc partem in communi cum Christo victoria supra diabolum et peccatum sitam fuisse. Ipsa enim — sicut praedictum fuerat protoparentibus nostris statim post lapsum — diabolum conculcat. Exclamat enim: « O femina mirabiliter singularis et singulariter mirabilis, per quam ... inferno remediatur, daemones conculcantur... » (Or. 52, PL 158, 955 C). Haec victoria Mariae cum Christo supra diabolum, opponitur cladi ab ipso diabolo Adae et Evae inflictæ. Ait enim: « Pinge et hoc: si virgo erat quae causa fuit humano generi *totius mali*, multo magis decet ut virgo sit quae causa erit *totius boni* ». Et assertit quod hoc « valde convenit » (*Cur Deus homo*, l. II, c. 8, PL 158, 406 C). Ita insuper Maria a S. Anselmo associatur Christo, ut eidem fere aequalis apparere videatur. Et ratio est quia « qui potuit omnia facere de nihilo, *noluit* ea violata sine

Maria reficere » (Or. 52, PL 158, 956 B). Patri creaturarum rerum, opponit Matrem recreatarum rerum.

B. Virgo autem — iuxta S. Anselmum — facta est mediatrix nostrae salutis per suum liberum consensum in Incarnationem redemptricem. Per talem enim actum B. Virgo in universum salutis opus, seu in munus corredimendi hominem — tamquam nova Eva — consensit. Hoc explicite docet in Homil. PL 158, IX, 647 sq.; Or. 51, 950 C. Ad B. Virginem haec verba dirigit: « tu genuisti mundo restauratorem »; « propter salutem peccatorum estis tu, filius, et tu mater » (Or. 51, PL 158, 951 B).

Iuxta S. Anselmum, B. Virgo — sicut Christus, licet modo diverso — *meruit* nostram salutem. Loquitur enim de « mundi reconciliatione » (et ideo de redemptione obiectiva) quae a Mariae merito procedit; statim enim subdit: « impossibile est ut haec merita tibi tam singularia nobis tam necessaria obliviscaris » (Or. 51, PL 158, 950) et « sic eadem (i. e. bona salutis) per matris merita possum recipere » (Or. 52, PL 158, 954 A).

Tandem, B. Virgo, iuxta S. Anselmum, vere solvit pretium pro redemptione nostra, quatenus Filii nec non proprios dolores pro nostra redemptione obtulit. Dicit enim quod B. Virgo « Filium suum vellet liberari ... et seipsam in perturbatione (ob dolorem Filii) adiuvari a divinitate quam eidem Filio suo inesse sciebat » (Homil. IX, PL 158, 648) nisi altior accessisset consideratio, salutis nempe generis humani. « Hunc autem finem Christi bene sciens (l. c., 649 A), elegit potius desiderare hanc passionem Christi eamque cum eo subire (l. c., 649 B). Itaque hi dolores Mariae non fuerunt meri affectus ob dolores Filii eius; sed consideratis eius intima cum Christo associatione eiusque propositi Christi cognitione, veram constituerunt oblationem ipsius Mariae pro eorum fine communi — scil. victoria super diabolum et salus hominum. De hoc fine cogitans, Maria potius voluit passionem Filio eius quam ut liberaretur; ideoque tamquam “ suam hostiam ” eum Patri obtulit, cui oblationi adiunxit etiam suos proprios dolores » (JONES, o. c., p. 75).

2. SPIRITUALIS MATERNITAS B. M. V. Primus et immediatus effectus cooperationis B. M. V. ad opus redemptionis est eius spiritualis hominum maternitas. Ex eo enim quod *corporaliter* genuit Christum, *spiritualiter* etiam homines, eius mystica membra, B. Virgo genuit. Deus enim « fecit ... ut nos per vitae restitutionem essemus filii matris eius » (Or. 52, 957 B). « Ergo, o domina, mater es iustificationis et iustitiae ... O tutum refugium! » « genitricem vitae animae meae » (Or. 52, 953 C). Ad B. Virginem, igitur, tamquam ad matrem recurrere debemus: « Qua igitur certitudine debemus sperare, qua consolatione possumus timere, quorum sive salus sive damnatio de boni fratris et de pia matris pendet arbitrio? » (Or. 52, PL 158, 957 B).

3. DISPENSATRIX OMNIUM GRATIARUM. Sicut B. Virgo socia Christi fuerat in acquisitione gratiarum, ita etiam socia Christi est in dispensatione gratiarum.

Saepe enim ad Christum et ad Mariam petitiones suas dirigit ac si una esset persona a qua gratiae profluunt; sic, e. g. « Ergo, benignissimi, ne sic denegatis mihi petenti ... date itaque, piissimi, date, obsecro, supplicanti animae meae non propter meritum meum sed propter meritum vestrum » (Or. 52, 158, 958 B).

Haec autem Virginis associatio in distributione est 1) *universalis*, subiective et obiective; 2) *necessaria*, et 3) *moralis*, seu per intercessionem.

1) Est *universalis subiective*, seu se extendit ad *omnes homines*. Maria enim ideo mater facta est « ut salvetur peccator » (Or. 51, PL 158, 951 B); iamvero omnes homines, Christo excepto, sunt peccatores; ergo ad omnes eius mediatio se extendit. Iure igitur exclamat: « O femina, per quam ... homines salvantur » (Or. 52, PL 158, 955 C). B. Virgo est femina plena et superplena gratia, de cuius plenitudinis exundantia respersa, sic revirescit omnis creatura » (Or. 52, PL 158, 955 C). — Virginis actio etiam ad homines qui ante ipsam vixerunt et ad ipsos Angelos extenditur. Scribit enim: « Sed cur loquor solum, domina, beneficiis tuis plenum esse mundum. Inferna penetrant ... quae in inferno erant, se laentur liberata. Per filium virginitatis tuae, omnes iusti qui obierunt ante vitalem eius mortem, exultant diruptione captivitatis suae » (Or. 52, PL 158, 955 B). « O femina, per quam Angeli redintegrantur » (Or. 52, PL 158, 955 C).

Actio Virginis in distributione gratiarum est etiam *universalis obiective*, seu ad omnes omnino gratias se extendit, quae omnes globatim includuntur in gratia salutis quae a S. Anselmo B. Virgini tribuitur: « quorum (hominum) sive salus sive damnatio de boni fratris et piaem matris pendet arbitrio » (Or. 52, 957 B). « O femina per quam homines salvantur » (l. c.). B. Virgo dat nobis gratiam habituaem; appellatur enim « genitrix vitae animae meae » (Or. 52, PL 158, 954 B). Dat perseverantiam finalem: « Fac ut ... usque in finem hic servus tuus sub tua protectione custodiat » (Or. 52, PL 158, 954 B). Ipsa demum, omne « quod expedit nobis » impetrat (l. c., 957 C).

2) Virginis associatio in distributione gratiarum *necessaria* est, Deo ita volente, sicut et mediatio ipsius Christi. S. Anselmus docet nos quotidie eius patrocínio indigere: « Cuius patrocínio quotidie indigetis, indigendo desideratis, desiderando imploratis, implorando impetratis » (Or. 52, PL 158, 953 A). Mariae auxilium explicite dicitur necessarium saluti (in qua gratiae omnes includuntur): « Sicut enim o beatissima, omnis a te aversus et a te despectus, necesse est ut inereat, ita omnis ad te conversus et a te respectus impossibile est ut pereat » (Or 52, PL 158, 956 C).

3) Actio Virginis in distributione gratiarum est *moralis*, seu per intercessionem. « Cuius enixius implorabo *interventionem* quam cuius uterus mundi fovit reconciliationem » (Or. 51, PL 158, 950 C). « Unde securius velocem in necessitate subventionem sperabo ... tu (Christe) parcendo, et tu (Maria) interveniendo » (Or. 51, PL 952 A; cfr or. 50; PL 158, 950 A). « Bona mater oret et exoret pro nobis, ipsa postulet et impetret quod expedit nobis » (Or. 52, PL 158, 957 C).

c) *DE B. VIRGINE CONSIDERATA IN SEMETIPSA.*

I. De his quae respiciunt animam B. M. V.

1. **De Immaculata Conceptione.** De hoc dono superno, ne verbum quidem scripsit Anselmus modo explicito vel directo». Ita *Jones* (o. c. p. 24). Hinc nil mirum si auctores circa memtem S. Anselmi hac in re disceptantes in varias abierunt sententias.

Quidam enim (e. g. Petavius, Noyon, L. Janssens, Kors, Le Bachelet, Burrige, Jones etc.) aut negant aut in sententiam negativam inclinant. Alii (e. g. Ioannes Segoviensis, Raynaudus, Passaglia, Palmieri, Ragey, Thurston, etc.) aut affirmant aut in partem affirmativam inclinant. Alii, tandem, mediam veluti viam tenentes (e. g. Bishop, Wolff, etc.) de mente S. Anselmi circa hanc rem *dubitant*. Et revera non desunt textus in quibus S. Anselmus immaculatam Virginis Conceptionem docere videtur. Praecipuus est iste: « Decens erat, ut ea puritate qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo aequalem sibi genitum, tamquam seipsum diligebat, ita disponebat, ut naturaliter esser unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius, et quam ipse Filius substantialiter facere sibi Matrem eligebat, et de qua Spiritus Sanctus volebat et operaturus erat, ut conciperetur et nasceretur ille, de quo ipse procedebat ». (*De conc. virg.*, c. 17, PL 158, 451).

Insuper S. Doctor munditiam et sanctitatem Virginis ita extollit ut cum peccato componi non possit. B. Virgo est « femina mirabiliter singularis et singulariter mirabilis » (Or. 52, PL 158; 955 C). Illam exaltat super omnes creaturas humanas et angelicas, et quidem, non solum ratione virginalis divinae maternitatis, sed etiam ratione sanctitatis. Scribit enim: « Sancta, et inter Sanctos, post Deum, singulariter sancta » (Or. 50, PL 158, 948 C). Ipsi est « sanctitas super omnia post summum Filium tuum » (Or. 52, PL 158, 953 A). — Tandem, saepe S. Anselmus B. Virginem exhibet victricem, una cum Christo, diaboli et operum eius. Per ipsam enim « elementa renovantur, inferna remediuntur, daemones conculcantur » (Or. 62, PL 158, 955 C).

Attamen hisce textibus, qui doctrinam Immaculatae Conceptionis exprimere videntur, alii opponi possunt in quibus talis doctrina reici videtur. Iuxta S. Anselmum, solummodo ille qui de virgine nascitur est a peccato immunis (cfr *De conc. virg.* c. 20, 452; c. 22, 453). E contra, qui nascitur « de natura et voluntate Adam » — sicut Maria — eo ipso peccatum originale contrahit. Et directe et explicito hanc conclusionem docet S. Anselmus. Scribit enim: « Virgo autem illa, de qua homo ille assumptus est, ... fuit de illis qui *ante nativitatem* eius per eum *mundati sunt* a peccatis » (*Cur Deus homo*, l. II, c. 16, ed. Schmitt, p. 55; PL 158, 419). Et in eodem l. *Cur Deus homo*, PL 158, 416: « Licet ipsa hominis eiusdem (sc. Christi) conceptio sit munda, et absque carnalis delectationis peccato, Virgo tamen ipsa, unde assumptus est, est in iniquitatibus concepta et in peccatis concepit eam mater eius, et cum originali peccato nata est, quoniam et in Adam peccavit, in quo omnes peccaverunt ». Insuper S. Anselmus nullum ponit discrimen, quantum ad peccatum originale removendum, inter B. Virginem et reliquos homines. Scribit enim: « Si vere non fuisset moriturus, non fuisset vera *fides* futurae mortis

eius per quam et illa virgo, de qua natus est, et multi alii mundati a peccato » (*De conc. virg.*, PL 158, 421).

Quae cum ita sint, putamus mentem S. Anselmi circa hanc quaestionem esse saltem dubiam. ¹ Attamen, S. Anselmus magnam controversiam praeparavit. Ipse enim docuit *essentiam* peccati originalis sitam esse in *privazione iustitiae originalis* seu rectitudinis voluntatis i. e., probabilius, in *privazione gratiae* et donorum praeternaturalium; et posuit, insuper, celebre principium in quo Mariae privilegium includitur, et ex quo Eadmerus, discipulus eius, et alii plures post ipsum, tale privilegium statim deduxerun.. (Cfr *Tract. de Conceptione B. Virginis* qui fuit S. Anselmo attributus).

II. - De his quae respiciunt animam simul et corpus.

1. **De perpetua virginitate Deiparae.** Clare ostendit Deiparam virginem fuisse ante partum, in partu et post partum, quamvis terminis istis numquam usus sit.

a) ANTE PARTUM: « Nec quia Iesus intravit castellum hoc, violatum est; Iesus enim salvat, non violat; contracta solidat, non confringit solida » (Homil. IX, PL 158, 646 D et 647 A).

b) IN PARTU: « Virgo ... cuius glorioso partu, omnis salvatur integritas » (Or. 51, PL 158, 950 B).

c) POST PARTUM: « Virgo Maria singularis erit, quia unicum Dei Filium genuit, qui sicut est unicus unico Patri, ita est unicus unicae matri » (Homil. IX, PL 158, 646 C).

2. **De assumptione B. M. V.** Testimonium directum huius mysterii habetur in fine homiliae in Luc. 38-42, occasione festivitatis Assumptionis habitae. Maria enim, praesentatur tamquam omnimode beata ac in statu immutabili et aeterno (Homil. IX, PL 158, 644). « Haec autem verba — animadvertit JONES, o. c., p. 57 — tum in seipsis, tum considerata occasione in qua prolata sunt, clare videntur opinionem S. Anselmi de Assumptionis doctrina exprimere ». ² At hom. IX est apocrypha.

« Merito itaque — concludit Jones — vocari potest S. Anselmus magnus doctor marianus, non quidem quia de B. Virgine multa scripsit opera theologica sed quia tanta claritate tantaque vi traditionem de ea protulit. Omnes veritates quas hodie de Maria docet magisterium ecclesiasticum ipsi fuerunt non tam notiones explicandae quam facta laudanda atque adhibenda. Traditionem sibi a

¹ Dubium hoc dissipare conatus est P. F. SPEDALIERI S. S., in art. *Anselmus per Eadmerum*, in *Marianum* 5 (1943) 205-219.

² Loci circa assumptionem, citati a BELLAMY (*Assomption*, in *Dict. Théol. Cath.*, 1, col. 2137, or. 60) a P. PASSAGLIA (*De Immac. Conc.*, 3, c. 6, a. 1, n. 1470, p. 1568, or. 49) et a CAMPANA (*Maria nel culto*, v. 2, p. 568, or. 54), sunt desumpti ex scriptis apocryphis.

Patribus traditam accepit et quasi ex re mortua vel dormiente fecit rem vivam et apertam; et deinde ex hac doctrina viva, facilius potuerunt theologi post eum varios illius deducere theologicos aspectus » (o. c., p. 84).

V). - SAEC. XII

I. **EADMERUS Cantuariensis** († 1124?)¹

Natus est circa a. 1064. Fuit monachus Benedictinus, discipulus atque con-
tubernalis S. Anselmi Arch. Cantuariensis, cuius vitam scripsit. Ipsi — prout
omnes hodie tenent — tribui debet *tractatus de Conceptione sanctae Mariae*, olim
S. Anselmo tributus (PL 159, 301-318), in quo explicite, in suis praecipuis ele-
mentis, immaculatam Virginis Conceptionem docet. Distinguit inter concep-
tionem activam et passivam, et removet a Virgine « omnem labem conditionis hu-
manae » (l. c., n. 9). Privilegium hoc Dei omnipotentiae debetur, et a Deo Vir-
gini collatum fuit per modum *praeservationis*. Potuit, voluit, fecit (nn. 10, 11,
13). Ad ipsum pertinet etiam liber *de excellentia B. M. V.* (PL 159, 557-580),
cuius capita haec sunt: 1) quod Maria excellit omnes creaturas; 2) de origine
Virginis Mariae; 3) de annuntiatione angelica; 4) de amore Virginis ad Filium;
5) de compassione beatae Mariae pro filio Crucifixo; 6) de gaudio resurrectionis;
7) de gaudio beatae Mariae in Filii ascensione; 8) de assumptione beatae Dei
genitricis Mariae; 9) quantum profuit beata Virgo Maria naturae humanae;
10) quantum profuit omni creaturae, etiam praeter humanam; 11) de eodem;
12) Oratio ad beatissimam Virginem Mariam. In hoc opere Eadmerus est echo
fidelissima S. Anselmi cuius et doctrinam et verba ipsa refert.

Tractatus de quatuor virtutibus quae fuerunt in B. Maria eiusque sublimitate,
inter opera Eadmeri editus (PL 159, 579-586), neque ad Eadmerum neque ad
S. Anselmum pertinet.

2. **GUIBERTUS de Novigento, Abbas** († 1124)

Reliquit *Liber de laude SS. Mariae* (PL 156, 537-579).

3. **HUGO a S. Victore** († 1141)²

Scripta mariana authentica huius doctissimi et sanctissimi viri haec sunt:
1) *Explanatio in canticum B. Mariae* (PL 175, 413-432); 2) *De B. Mariae Virgi-
nitate* (PL 176, 887-876); 3) *Sermo de Annuntiatione*, cuius pars tantum edita est
in *Miscellanea* (l. III, tit. XXXVI, PL 177, 656-657); 4) *Sermo de Assumptione
B. M. V.* (PL 177, 1209-1222).

¹ Cfr HEURTEBIZE, in *Dict. Théol. Cath.*, t. 4-2, coll. 1977-78. — CECCHIN, O. S. M.,
« *Ineffabilis Deus* » et *Eadmerus*, in *Marianum*, 6 (1944) 97-107.

² Cfr VERNET, in *Dict. Théol. Cath.*, t. 7-1, coll. 240-308.

4. S. AMEDEUS Ep. Lausannensis, S. O. Cist. (1150)

Fuit natione Allobrox, monachus Cisterciensis et Abbas Altae Combae, ac «regalissima Virginalium praeconiorum tuba». ¹ Scripsit octo Homilias marianas, dicendi suavitate ac mysteriorum profunditate mirabiles, quorum tituli sunt:

1. *De Fructibus, et Floribus SS. Virginis Mariae*. Hom. 1.
2. *De Iustificatione, vel Ornatu Mariae Virginis*. Homil. 2.
3. *De Incarnatione Christi, et Virginis Conceptione de Spiritu Sancto*, Homil. 3.
4. *De Partu Virg.* Homil. 4.
5. *De mentis Robore, seu martyrio Beatae Virginis*. Homil. 5.
6. *De Gaudio, et admiratione B. Virginis in Resurrectione, et Ascensione filii*, Homil. 6.
7. *De B. Virginis Obitu, Assumptione in Caelum, et exaltatione ad Filii dexteram*. Homil. 7.

8. *De Mariae Virginis plenitudine, seu perfectione, gloria, et erga suos Clientes Patrocinio*, Hom. 8. (cfr PL 188). Editae fuerunt Basileae a. 1517, sub titulo *D. Amedei Ep. Lausannensis de Maria Virginea Matre Homiliae octo: plenae mysticis eius laudibus quae miris modis elanguidam in Deum mentem simul excitant, quibuslibet christianis inprimis utiles et amoenae*.

5. S. BERNARDUS (1090-1153) ²

S. Bernardus, iuxta Mabillon, est «ultimus inter Patres, primis certe non impar» (*Opera*, praef. gen. 23, PL 182, 26). Neque hoc hyperbolice accipi debet.

Natus Fontanis in Burgundia anno 1090, a piissima matre in devotione ardentissima erga Deiparam educatus est. Anno 21 aetatis suae, Ordinem Cisterciensium (paucis ante annis fundatum) ingressus est una cum tribus fratribus suis et aliis 24 iuvenibus. Anno 1115 Abatiam Claravallensem fundavit, et Cappellam in honorem Virginis in primis aedificavit. Doctrina, eloquentia, miraculis, apo-

¹ MARRACCI H., *Bibliotheca Mariana*, t. 1, p. 72, Romae, 1648.

² AUBRON P., S. J., *La Mariologie de S. Bernard*, in *Rech. Scienc. Rel.*, 1934, pp. 543-577, *L'œuvre mariale de St. Bernard*, in *Les Cahiers de la Vierge*, Juvisy, 1936 (204 pp.); CLÉMENTET C., *La Mariologie de Saint Bernard*, Brignais, 1909; HAENSLER B., *De Mariae plenitudine gratiae sec. S. Bernardum*, Fribourg (Helv.), 1901; *Die Marienlehre des Hl. Bernhard*, Regensburg. 1917; MORINEAU B. M., S. M. M., *Comment la Doctrine de la Maternité Spirituelle de Marie s'installe dans la théologie mystique de Saint Bernard*, in *Bull. de la Soc. Fr. d'Ét. Mar.*, 1935, pp. 121-148; NOGUES D., O. C., *Mariologie de St. Bernard*. Paris, Casterman, 1935; RAUGEL A., *La doctrine mariale de St. Bernard*, Paris, Spes, 1935 (pp. 215); VAN DEN KERKHOVEN A., S. O. C., *De Marialeer van den H. Bernardus*, in *Handelingen van het Vlaamsch Maria Congres te Brussel*, 1921, 1, pp. 260-291.

stolicis laboribus, scriptis, fuit procul dubio maximus inter omnes homines aetatis suae. Mortuus est anno 1153.

Doctrina mariana S. Bernardi dispersa invenitur in Sermonibus quos ad fratres suos, in variis festis B. M. V., magno animi ardore habebat.¹ Habemus igitur octo Sermones de B. M. V., unus pro festo Purificationis; duo pro festo Annuntiationis, tres pro festo Assumptionis; unus pro Dominica, infra Octavam Assumptionis, qui sermo dictus est de 12 praerogativis B. M. V. ex verbis *Signum magnum*, et unus pro Nativitate B. M. V. qui sermo dictus est *De aquaeductu*. — Praeter hos Sermones, S. Bernardus composuit quatuor homilias super verba Evangelii « *Missus est* », quibus titulus est *De laudibus Virginis Matris*. Etiam in Sermone 52 *de Diversis* et in quibusdam Sermonibus pro tempore Natalitio, quaedam de B. M. V. habentur. Inter Epistolas, percelebris est Ep. 174 ad Canonicos Lugdunenses pro festo Conceptionis B. M. V.

Sunt apocrypha aut dubia: a) *Liber de Passione Christi et doloribus et planctibus Matris eius* (PL 182, 1134-1141); b) *Tractatus ad laudem gloriosae Virginis Matris* (l. c., 1142-1148); c) *Vitis mystica seu tractatus de Passione Domini* (PL 184, 636-740); d) *Tractatus de Iesu puero duodenni* (l. c., 849-869), qui pertinet ad Aelredum Ab. Rievallensem; e) *Sermo in Assumptione B. M. V.* (l. c., 1001-1009); f) *Ad B. M. V. Deiparam sermo panegyricus* (l. c., 1010-1014) qui Ekberto Ab. Schonaugensi tribuitur; g) *De B. M. Virgine Sermo* (l. c., 1014-1021); h) *Sermones 1-4 in Antiphonam « Salve Regina »* (l. c., 1077-1080); i) *Sermo in Canticum B. M. V.* (l. c., 1121-1127); l) *In festo Purificationis B. M. V.* sermones VI (PL 185, 63-69) pertinentes ad B. Guericum ab. Igniacensem († 1155); m) *In Annuntiat. Dominica sermones III* (l. c., 115-124); n) *In Assumpt. B. Mariae sermones IV* (l. c., 187-198) ad B. Guericum pertinentes; o) *In Nativ. B. Mariae sermones II* (l. c., 199-205) ad B. Guericum pertinentes.

FONTES MARIOLOGIAE S. BERNARDI sunt praecipue Scriptura et Patrum Traditio. Hoc enim exigebat *indoles stricte theologica* suae mariologiae. A novitatibus abhorrebat, prout ex celebri Ep. 174 apparet. Non parum etiam a speculatione abhorrebat; « Hi sunt (Petrus et Paulus) magistri nostri ». Ipsi docuerunt nos « non Platonem legere, non Aristotelis versutias inversare... » (*In festo SS. Petri et Pauli*, PL 183, 407). Abhorrebat praesertim a falsitatibus, eo quod « honor reginae iudicium diligit. Virgo regia falso non eget honore, veris cumulata honorum titulis, infulis dignitatum » (Ep. 174, PL 182, 383). « Iucunda lectio » S. Scripturae, maximam partem sui temporis occupabat. Inter Patres, quos semper maxima veneratione prosequitur et quorum doctrinam iugiter et fideliter sequi vult (cfr e. g., PL 183, 71), Sanctis Ambrosio et Augustino « tamquam duabus columnis » praesertim adhaeret, ita ut eius Magistri in Mariologia iure vocari debeant. S. Bernardus est « comme la synthèse harmonieuse et féconde de dix siècles d'enseignement sur Marie » (CLEMENCET, o. c., p. 119).

¹ Celebrabantur tunc festivitates Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis B. M. V.

Ob suam copiosam et egregiam doctrinam mariologicam, iure meritoque S. Bernardus *Eques Mariae, Doctor Mariae, Cantor* vel *Citharoedus Mariae* appellatus est. Fuit enim veluti anima universi motus mariani saec. XII et XIII. Eius influxus in fideles, in artifices et praesertim in subsequentes scriptores (in S. Albertum M., S. Bonaventuram,¹ Dantem Alighieri, Richardum a S. Laurentio,² S. Bernardinum Senensem, S. Petrum Canisium, S. Laurentium a Brundusio, B. Grignon de Montfort, S. Alphonsum M. de Ligorio³ etc.) magnus fuit. Et etiam hodie S. Bernardus, «Magister incomparabilis Mariologiae» remanet pro omnibus. Ipse est fulgidissima lux mariana non tantum aetatis suae sed etiam omnium aetatum, miram suavitatem cum doctrinae soliditate coniungens. Est vere *Doctor mellifluus* cum de B. M. Virgine loquitur.

PRINCIPIA quibus universa Mariologia S. Bernardi regitur haec esse videntur:

Supremum Mariologiae principium, ex quo conclusiones omnes derivantur, non est sola maternitas divina (prout quidam falso supponunt) sed est simul *maternitas divina et associatio Mediatori* in universo mediationis opere.⁴

Principia vero secundaria tria esse videntur, videlicet:

a) *principium* quod appellari posset *singularitatis*, vi cuius Mariae privilegia omnino *singularia* vindicantur. B. Virgo enim, iuxta S. Bernardum, est quid omnino singulare, eo quod «Ascendit plane supra humanum genus, ascendit usque ad Angelos, sed et ipsos quoque transcendit, et caelestem omnem supergreditur creaturam» (PL 183, 442). Ipsa est «tota unum miraculum, tota unum inextimabile novum» prout dicitur in sermone quodam dubiae authenticitatis (PL 182, 1145).

b) *principium convenientiae*: «Factor hominum, ut homo fieret, nasciturus de homine, talem sibi ex omnibus debuit deligere, immo et condere matrem, qualem et se decere sciebat, et sibi noverat placituram» (Homil. 2 *super Missus est*, PL 183, 61).

c) *principium eminentiae*: «Quod... vel paucis mortalium constat fuisse collatum, fas certe non est suspicari tantae Virgini esse negatum, per quam omnis mortalitas emersit ad vitam» (Ep. 174, PL 182, 333).

Synthesim Mariologiae S. Bernardi hic proponimus praemittendo tamen, ad modum *introductionis*, sequentia pulcherrima verba desumpta ex Sermone panegy. n. 6, PL 184, 1013: «Gloriosa dicta sunt de te, Dei Genitrix. Adhuc locus est tuae laudationi: adhuc in tuis laudibus omnis lingua balbutit. Non enim sunt loquelaе neque sermones in omni natione, quae sub coelo est, quibus amplitudo gloriae tuae ad plenum valeat explicari. O, magna, o pia, o multum amabilis Maria, tu nec nominari quidem potes, quin accendas: nec co-

¹ S. BONAVENTURA plus quam 400 vicibus in suis operibus laudat S. Bernardum.

² RICHARDUS A S. LAUR. plus quam 200 vicibus explicite laudat S. Bernardum.

³ Centies citatus. Magna pars boni aut pulchri quae in suo opere *Le glorie di Maria* invenitur et praesertim id quod Mediationem marianam respicit a S. Bernardo desumpsit. Cfr KEUSCH, *Die Aszetik des hl. Alfons M. von Liguori*, Fribourg (Helv.), 1924, p. 51.

⁴ Scripsit Raugel: «Deux idées semblent dominer la doctrine mariale de saint Bernard, — la seconde, d'ailleurs, n'étant qu'une conséquence de la première, — à savoir: la grandeur de la Maternité divine de Marie et son rôle de Médiatrice entre Dieu et les hommes» (o. c., p. 14).

gitari quin recrees affectum diligentium te... Et nunc sequimur te, o Domina, ex totis praecordiis vociferantes ad te: adiuva imbecillitatem nostram, aufer opprobrium nostrum». Et alibi: « Fateor imperitiam meam, pusillanimitatem propriam non abscondo. Non est equidem quod me magis delectet, sed nec quod terreat magis, quam de gloria Virginis Matris habere sermonem... Quae iam poterit lingua, etiamsi angelica sit, dignis extollere laudibus Virginem Matrem: matrem autem non cuiuscumque sed Dei?» (Sermo 4 *de Assumpt.*, PL 183, 427-428, ad Ekbertum pertinens).

a) *DE B. M. V. CONSIDERATA IN ORDINE AD DEUM.*

1. **De praedestinatione B. M. V.** Ab aeterno B. Virgo, praedestinata est Mater Dei et Mediatrix nostra. In homil. II super *Missus est*, n. 4, asserit quod Angelus missus fuit ad Virginem « nec noviter, nec fortuito inventam, sed a *saeculo electam*, ab Altissimo praecognitam et sibi praeparatam » (PL 183, 63). Asserit insuper: « in qua et per quam Deus ipse Rex noster *ante saecula disposuit* operari salutem in medio terrae » (Homil. IV super *Missus est*, 8, PL 183, 84).

Iure ergo Deipara appellatur « *Negotium saeculorum* » (*In Pentec.*, II, 4, PL 183, 328). Ipsa est opus aeterni consilii. « Tu vere puella es praelecta et praeparata Altissimi Filio » (Sermo pro *Dom. infr. Oct. Assumpt.*, n. 158; 183, 438).

2. **De prophetiis et figuris B. M. V.** Asserit S. Bernardus quod B. Virgo fuit « a patribus praesignata, a prophetis promissa. Scrutare Scripturas, et proba quae dico » (*Super Missus est*, II, 4, 183, 63).

Inter *prophetias* notatu dignae sunt sequentes: a) *mulier protoevangelii*, victrix serpentis, Gen., 3, 15 (cfr *De laudibus Virginis*, homil. II, n. 4; Sermo pro *Dominica inter Octavam Assmpt.*, n. 4; Sermo LII, n. 3); b) *Virga de radice Iesse*, Is. 11, 1 (cfr Serm. II pro *Adv.*, n. 4; *De laud. Virg.*, n. 5; Serm. pro *Dom. infra Oct. Assumpt.*, n. 8). c) *Mulier virum circumdatura*, Jerem. 31, 22 (cfr *De laud. Virg.*, hom. II, n. 8-10; Sermo III pro *Purif.*, n. 1; Sermo pro *Dom. infra Oct. Assumpt.*, n. 6); d) *Virgo Mater Emmanuelis*, Io. 7, 14 (cfr *De laud. Virg.*, hom. n. 11; Sermo pro *Dom. infra Oct. Assumpt.*, n. 8).

Inter *symbola*, praecipua sunt: a) *arbor vitae*, Gen. 2, 9 (cfr Serm. II pro *Adv.*, n. 4); b) *rubus ardens* Exod., 3, cfr *De laud. Virg.*, homil. II, n. 5; Sermo pro *Dom. infra Oct. Assumpt.*, n. 8); d) *vellus Gedeonis*, Iud., vi, 37-40 (cfr *De laud. Virg.* hom. II n. 7; Serm. II pro *Annunt.*, n. 8; Serm. pro *Dom. infra Oct. Assumpt.*, n. 5, 8; Serm. pro *Nativ. B.M.V.* n. 6); e) *hortus conclusus et fons signatus*, Cantic., 4, 12 (Cfr Serm. pro *Nat. B. M. V.* n. 9); f) *porta Orientalis*, Ezechiel. 44, 2 (cfr Serm. III pro *Purif.*, n. 1; Serm. pro *Dom. infr. Oct. Assumpt.*, n. 8).

Inter *figuras B. M. V.* recensentur: a) *Rebecca*, Gen. 24, 15-20 (cfr Serm. pro *Dom. infra Oct. Assumpt.*, n. 15, Serm. LXVI); b) *mulier fortis* a Salomone descripta, Prov. 31, 10 (cfr *De laud. Virg.*, hom. II, n. 5; Serm. pro *Nativ. B. M. V.*, n. 4; Sern. LII, n. 3).

3. **De divina maternitate.** Maternitas divina, iuxta S. Bernardum, B. Virginem supra omnes omnino creaturas (sanctos, Angelos) collocat (cfr *De laud. Virg.*, homil. I, nn. 5, 7; Serm. I *de Assumpt.*, nn. 3 et 4; Serm. IV *de Assumpt.*, n. 1).

In serm. *de 12 praerog.*, n. 6 (PL 183, 432) ita divinam Maternitatem extollit: «Plane amicta sole tamquam vestimento... quam familiaris ei facta es, Domina! Quam proxima, immo quam intima fieri meruisti, quantam invenisti gratiam apud eum! In te manet et tu in eo, et vestis eum, et vestiris ab eo. Vestis eum substantia carnis, et vestit ille te gloria suae maiestatis. Vestis solem nube et sole ipsa vestiris». B. Virgo maternitatem divinam non meruit *de condigno*, eo quod Incarnatio est donum pure gratuitum (cfr Serm. LXXXVII, n. 3), sed *de congruo*, ob correspondentiam gratiis praevenientibus et ob suas virtutes (Serm. II *de Adv.*, n. 5; *De laud. Virg.*, hom. III n. 3; Serm. *de Dom. infr. Oct. Assumpt.* n. 6; Serm. LII).

b) DE B. M. V. CONSIDERATA IN ORDINE AD HOMINES.

I. DE B. M. V. mediatrice inter Deum et homines. Omnes in hoc conveniunt, S. Bernardum esse, inter omnes, *Doctorem Mediationis* per antonomasiam.

I. DE COOPERATIONE AD REDEMPTIONEM. Assertit quod «nec ipsa mulier benedicta in mulieribus videbitur otiosa: invenietur equidem locus eius in hac reconciliatione» (*In Dom. infr. Oct. Assumpt.*, 2, PL 183, 429). At S. Doctor necdum affirmat *factum* cooperationis B. M. V. ad opus redemptionis, sed exponit etiam *rationes* huius facti. Ratio vero cooperationis Mariae cum novo Adamo ad opus redemptionis, est cooperatio Evae cum veteri Adamo ad opus praevericationis.

«Haec ratio pulchre exponitur in Serm. *in Dom. infr. Octavam Assumpt. B. M. V.*: «Vehementer quidem nobis, dilectissimi, vir unus et mulier una nocuere: sed, gratias Deo, per unum nihilominus virum, et mulierem unam omnia restaurantur». Sufficere quidem potuerat Christus, ut mediator, sed «divinam in eo reverentur homines maiestatem», et deinde iudex noster est, quare congruum erat Mariam ipsi adiungere. «Iam itaque nec ipsa mulier benedicta inter mulieres videtur otiosa, invenietur equidem locus eius in hac reconciliatione. Opus est enim mediatore ad mediatorem istum, nec alter nobis utilior quam Maria. Crudelis nimirum mediatrix Eva, per quam serpens antiquus pestiferum etiam ipsi viro virus infudit; sed fidelis Maria, quae salutis antidotum et viris, et mulieribus propinavit. Illa enim ministra seductionis: haec propitiationis: illa suggestit praevericationem, haec ingessit remissionem. Quid ad Mariam accedere trepidat humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile: tota suavis est, omnibus offerens lac et lanam. Revolve diligentius evangelicae historiae seriem universam, et si quid forte increpatorium, si quid durum, si quod denique signum vel tenuis indignationis occurrerit in Maria, de caetero suspectam habeas, et accedere verearis. Quod si, ut vere sunt, plena mansuetudinis et misericordiae, quae ad eam pertinent inveneris, age gratias ei qui talem, tibi mediatricem benignissima miseratione providit, in qua nihil possit esse suspectum. Denique omnibus omnia facta est, sapientibus et insipientibus copiosissima charitate debitoricem se fecit. Omnibus misericordiae sinum aperit ut de plenitudine eius accipiant universi, captivus redemptionem, aeger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, angelus laetitiam, denique tota Trinitas gloriam, Filii persona carnis humanae substantiam, ut non sit qui se abscondat a calore eius». (PL 183, 429-430). Et *in hom. 2 Super Missus est*: «Laetare, pater

Adam, sed magis tu, o Eva mater, exsulta qui, sicut omnium parentes, ita omnium fuistis peremptores, et quod infelicius est prius peremptores, quam parentes. Ambo, inquam, consolamini super filia, et tali filia, sed illa amplius, de qua malum ortum est prius, cuius opprobrium in omnes pertransit mulieres. Instat namque tempus, quo iam tollatur opprobrium, nec habeat vir quid causetur erga feminam... Propterea curre, Eva, ad Mariam, curre, mater, ad filiam, filia pro matre respondeat, ipsa matris opprobrium auferat, ipsa patri pro matre satisfaciatur: quia ecce si vir cecidit per feminam, iam non erigitur nisi per feminam... Redditur nempe femina pro femina, prudens pro fatua, humilis pro superba, quae pro ligno mortis gustum sibi porrigat vitae, et pro venenoso cibo illo amaritudinis dulcedinem patriati fructus aeterni... O feminam singulariter venerandam, super omnes feminas admirabilem, parentum reparatricem, posterorum vivificatricem » (PL 183, 62). Iure, igitur, concludere potest: « In te, et per te, et de te, benigna, manus Omnipotentis quidquid creaverat recreavit » (*In Festo Pent.*, 2, PL 183, 430). Hoc Dei consilium manifestatum est a Deo in Protoev., Gen. 3, 15 (*Super missus est*, II, 4, PL 183, 63). In libro Proverbiorum (Prov., 31, 10) B. Virgo mulieri forti comparatur quia caput serpentis conterere debebat et salutem omnium operari (*Super Missus est*, II, 5, PL 183, 63). Gratiam quam Deus Mariae contulit, redemptio nostra est: « Quam gratiam? Dei et hominum pacem, mortis destructionem, vitae reparationem » (l. c., 10, PL 183, 76).

Operi redemptionis, iuxta sapientissimum aeternumque Dei consilium associata, B. Virgo vere, libere, huic operi cooperata est sive per suum liberum et hypothetice necessarium consensum in Incarnationem redemptivam, sive per publicam oblationem Redemptoris in Templo et postea iuxta crucem.

De hypothetica necessitate consensus B. M. V. haec pulchra scribit: « Expectat Angelus responsum: tempus est enim ut revertatur ad Deum, qui misit illum. Expectamus et nos, o Domina, verbum miserationis, quos miserabiliter premit sententia damnationis. Et ecce offertur tibi pretium salutis nostrae: statim liberabimur si consentis. In sempiterno Dei verbo facti sumus omnes, et ecce morimur: in tuo brevi responso sumus reficiendi ut ad vitam revocemur. Hoc supplicat a te, o pia Virgo, flebilis Adam ... hoc Abraham, hoc David. Hoc ceteri flagitant sancti patres, patres sc. tui, qui et ipsi habitant in regione umbrae mortis. Hoc totus mundus tuis genibus provolutus exspectat.

« Nec immerito quando ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, salus denique universorum filiorum Adam, totius generis tui. Da, Virgo, responsum festinanter. O Domina, responde verbum, quod terra, quod inferi, quod exspectant et superi » (*Super Missus est*, IV, PL 183, 83).

In praesentatione vero Christi ad Templum, B. Virgo filium suum Deo Patri obtulit pro nostra salute. « Offer filium tuum, virgo sacrata, et benedictum fructum ventris tui Domino repraesenta. Offer ad nostram omnium reconciliationem hostiam sanctam, Deo placentem. Omnino acceptabit Deus Pater oblationem novam, et pretiosissimam hostiam ... Sed oblatio ista, fratres, satis deli-

cata videtur, ubi tantum sistitur Domino, redimitur avibus, et illico reportatur. Veniet, quando non in templo offeretur, nec inter brachia Simeonis, sed extra civitatem inter brachia crucis... Illud erit sacrificium vespertinum, istud est matutinum » (*In Purif. B. M. V.*, III, 2, PL 183, 370). A quonam offeretur victima divina inter brachia crucis nisi ab illa eadem a qua oblatus fuit inter brachia Simeonis, nempe a Virgine Matre?... Alludere ergo videtur S. Doctor etiam ad oblationem peractam a Virgine iuxta crucem.

2. DE MATERNITATE SPIRITUALI B. M. V. Immediatum et necessarium consecretarium corredemptionis est spiritualis hominum maternitas. A S. Bernardo numquam vocatur Maria « Mater nostra » vel « mater hominum ». ¹ Attamen, si nomen tacet, rem apertissime affirmat cum B. Virginem exhibet tamquam « parentum reparatricem, *posterorum vivificatricem* » (*Super Missus est*, II, 3, PL 183, 63), et cum asserit quod per B. Virginem « expectantibus miseris *vita perita* » data est (*In Assumpt. B. M. V.*, IV, 8, PL 183, 430).

3. DISTRIBUTIO OMNIUM GRATIARUM. S. Bernardus, primus, inter Latinos, doctrinam hanc fuse evolvit illamque veluti vulgarem reddit, ita ut iure scripsit Petavius: « De patrona et mediatrice professus est ... adeo ut illius ... beneficentiae praeco et buccinator haberetur » (*De Incarn. Ch.*, lib. XIV, c. IX, 11). Et cl. Bittremieux asserit quod S. Bernardus est « saeculi XII, testis omni exceptione maius » (*De Mediatione universali*, p. 204).

Doctor I. UDE, probare conatus est S. Bernardum non docuisse *actualement* dispensationem omnium et singularum gratiarum (*Ist Maria die Mittlerin aller Gnaden?*... Bressanone, 1928, pp. 82-86). At falso. S. Bernardus enim, exponit ante omnia *legem* iuxta quam, ex ordinatione Dei, quodlibet supernaturale donum ad nos per manus Mariae pervenit: « nihil Deus non habere voluit, quod per Mariae manus non transiret » (*in Vig. Nativ. Dom.*, III, PL 183, 100). Et in serm. *de Nativ. B. M. V.* (PL., 183, 441): « Altius ergo intueamini, quanto devotionis affectu a nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria: ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiae, si quid salutis, ab ea noverimus redundare, quae ascendit deliciis affluens. Hortus plane divitiarum quem non modo afflaverit veniens, sed et perflaverit superveniens auster ille divinus, ut udinque fluant et effluent aromata eius charismata scilicet gratiarum. Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, ubi dies? Tolle Mariam, hanc maris stellam; maris utique magni et spatiosi, quid nisi caligo involvens, et umbra mortis, ac densissimae tenebrae reliquentur? ».

« Totis ergo medullis cordium, totis praecordiorum affectibus, votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam ». Ratio convenientiae huius rei reposita est in hoc quod « opus est Mediatore ad Mediatorem » (PL 183, 429). Ipsa est Mediatrix inter Christum et Ecclesiam (PL 183, 432); ipsa est *aquaeductus* per quem gratiae omnes ad nos perveniunt (PL 183, 439-440). Ipsa est *via* regalis per quam Salvator ad nos venit, et per quam ad Salvatorem nos per-

¹ Cfr ratio huius rei, in artic. cit. P. MORINEAU, S. M. M.

venire debemus (PL 183, 43). Ipsa pertractat, supplicationibus quae semper exaudiuntur, negotium nostrae salutis (PL 415). « Quod quaerit, invenit, et frustrari non potest » (PL 183, 442).

Ex hucusque expositis sufficienter constat quomodo S. Bernardus docuerit *actualement* dispensationem omnium gratiarum ex parte B. M. V. prout aperte apparet ex ipsa *ratione psychologica* quam adducit ad auxilium Virginis expostulandum, videlicet: quamvis Christus sit mediator sufficiens, homines tamen accedere verentur ad ipsum eo quod est etiam Deus et Iudex noster; et ideo ad fiduciam nostram excitandam, dedit nobis Mediaticem omnium gratiarum Mariam (PL 183, 429-430) Haec autem evidenter supponunt ibi agi de *actuali* distributione gratiarum. Et ob hanc rationem recursum ad B. Virginem tam ardentem et continuo commendat.

II. De munere regio B. M. V. Saepe, etiam de hac re, S. Bernardus agit. B. Virgo est « Regina nostra » (PL 183, 415), « Regina caelorum » (ibid.); « omnium Domina » (PL 183, 436), « domina mundi, regina caeli » (PL 183, 328, 425, 431, 438 etc ...).

c) DE B. M. V. CONSIDERATA IN SEMETIPSA.

I. De immaculata conceptione B. M. V. De mente S. Bernardi circa hoc privilegium, valde disputatum est et valde adhuc inter Theologos disputatur, sumpta praesertim occasione ex ep. 174 ad Canonicos Lugdunenses.

Quidam enim putant S. Bernardum huiusmodi privilegium negasse. Ita Vacandard, Malou, Chevalier, Bainvel, Noyon, Clémencet, Haensler, Le Bachelet, Campana, van den Kerkhoven, Raugel). Alii e contra putant S. Bernardum huiusmodi privilegium saltem implicite affirmasse (Ita Petrus Aureolus, S. Rob. Bellarminus, Card. Manning, Card. Lépiciér, Manrique, Perrone, Hurter, Nogues, etc.).¹

2. De immunitate a qualibet culpa actuali. Pluries et explicitè immunitas haec affirmatur. « Quam pretiosa humilitatis virtus cum tanta puritate, cum innocentia tanta, cum conscientia prorsus absque delicto » (*In Assumpt. B. M. V.*, IV, 7, PL 183, 428). Et in Ep. 174, 5, rationem huius immunitatis in divina maternitate invenit: « Decuit nimirum Reginam Virginum, singularis privilegio sanctitatis, absque omni peccato ducere vitam; quae dum peccati mortisque paret redemptorem ... » (PL 182, 334). B. Virgo « fuit procul dubio ante sancta quam nata: nec fallitur omnino sancta Ecclesia, sanctum reputans ipsum natiuitatis eius diem, et omni anno cum exultatione universae terrae votiva celebritate suscipiens. Ego puto quod et copiosior sanctificationis benedictio in eam

¹ Notatu digna est animadversio cl. NOGUES, iuxta quem amici et discipuli S. Bernardi, Immaculatam Conceptionem docuerunt. E. g. Auctor 4 Sermonum super *Salve Regina*, affirmat quod, iuxta S. Augustinum, B. Virgo immunis fuit a peccato originali et a peccato actuali (Sermo 4, n. 3) o. c., p. 40.

descenderit, quae ipsius non solum sanctificaret ortum sed et vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem. Quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum. Decuit nimirum reginam virginum singularis privilegio sanctitatis absque omni peccato ducere vitam: quae dum peccati mortisque pareret Redemptorem, munus vitae et iustitiae omnibus obtineret. Sanctus igitur ortus, quoniam immensa prodiens ex utero sanctitas, sanctum fecit illum » (ibid.). B. Virgo non indiguit poenitentia, quia « proprium Maria delictum non habuit » (*In Assumpt. B. M. V.*, II, 8, PL 183, 420-421). Solvit tandem difficultates quae contra hanc doctrinam ortae sunt ex S. Scriptura, videlicet ex Luca II (cfr *In Dom. infra Oct. Assumpt.*, 14, PL 183, 437), ex Io. 2, 4 (cfr *In Dom. I post Oct. Epiph.* I, 2, PL 183, 155), ex Matth. 12, 46 (cfr ibid., 10, PL 183, 435).

3. **De gratia et virtutibus B. M. V.** B. Virgo habuit plenitudinem gratiae omnino singularem: « *Invenisti enim gratiam apud Dominum.* Quantam gratiam? Gratiam plenam, gratiam singularem. Singularem, an generalem? Utramque sine dubio, quia plenam, et eo singularem quo generalem: ipsa enim generalem singulariter accepisti. Eo inquam, singularem quo generalem: nam sola prae omnibus gratiam invenisti. Singularem quod sola hanc inveneris plenitudinem; generalem, quod de ipsa plenitudine accipiant universi » (*In Annunt. B. M. V.*, III, 8, PL 183, 396). Alii etiam (ut S. Stephanus, Apostoli) dicti sunt gratia pleni, « sed longe dissimiliter a Maria » (*Super Missus est*, III, 2, PL 183, 72).

In B. Virgine omnes virtutes fuerunt. Septem enim columnae Domus a Sapientia aedificatae (B. Virgo) sunt septem virtutes, tres theologicae et quatuor cardinales (Sermo 52 *de diversis*, 2, PL 183, 674-675). B. Virgo fuit « in promissionis credulitate magnanimis » (*In Dom. infra Oct. Assumpt.*, 13, PL 183, 437); imo fides eius causa proxima fuit maternitatis divinae (cfr *De consider.*, l. V, c. X, n. 28; Serm. III *de Nativ.* n. 4; Serm. LII, n. 2). De spe nihil explicitè dicit. De caritate vero haec praeclara habet: « Est etiam sagitta electa amor Christi, quae Mariae animam non modo confixit, sed etiam pertransivit, ut nullam in pectore virginali particulam vacuum amore relinqueret, sed toto corde, tota anima, tota virtute diligeret, et esset gratia plena » (Sermo 29, *in Cantica*, 8, PL 183, 933). Amor erga proximum in nuptiis Canae refulsit, cum « compassa est eorum verecundiae, sicut misericors, sicut benignissima. Quid de fonte pietatis procederet, nisi pietas? Quid, inquam mirum, si pietatem exhibent viscera pietatis? Nonne qui pomum in manu sua tenuerit dimidia die, reliqua diei parte pomi servabit odorem? Quantum igitur viscera illa virtus pietatis effecit, in quibus novem mensibus requievit? Nam, et ante mentem replevit, quam ventrem; et cum processit ex utero, ab animo non recessit » (*In Dom. I post Oct. Epiph.*, 1, 2, PL 183, 155). — De quatuor virtutibus cardinalibus agit prasertim in Ser. LII, n. 3 et 4, PL 183 675). B. Virgo gradu plane singulari omnes virtutes, aliis Sanctis communes, possedit (cfr *Serm. IV de Assumpt.*, n. 6).

4. **De perpetua virginitate Deiparae.** Saepe S. Bernardus, Deiparae virginitatem mire cecinit. Ipsa « concepit Virgo, parturit virgo, manet virgo » (*In vigil. Nat. Dom.*, I, 1, PL 183, 87). Post S. Augustinum (*Lib. de S. Virgin.*, c. IV, PL

40, 398), S. Bedam Ven. (*In Luc. Evangel.*, lib. I, PL 92, 318) et Hugonem a S. Victore (*De B. Mariae virginitate*, PL 176, 857 sq.) docet B. Virginem votum virginitatis, a Deo inspiratam emisisse, et quidem, omnium primam; non determinat tamen tempus in quo votum emisit (*In Annunt. B. M. V.* II, 1, PL 183, 390; *In Assumpt. B. M. V.*, IV, 7, PL 183 428; *in Dom. infra Oct. Assumpt.*, PL 183, 434, etc.). Notatu digna est ratio virginitatis Deiparae: « Deo huiusmodi decebat nativitas, qua non nisi de Virgine nasceretur; talis congruebat et Virgini partus, ut non pareret nisi Deum » (*Super Missus est*, II, 1, PL 183, 61).

5. **De assumptione B. M. V.** S. Bernardus est unus ex validissimis testibus Assumptionis seu glorificationis corporis et animae B. M. V., prout apparet ex ipsis modis dicendi quibus utitur et ex doctrina eius circa statum animarum iustorum post mortem. Ait enim: « Virgo hodie gloriosa caelos ascendens, superiorum gaudia civium copiosis sine dubio cumulavit augmentis. Haec est enim, cuius salutationis vox et ipsos exultare facit in gaudio, quos materna adhuc viscera claudunt (Luc. 1, 41). Quod si parvuli necdum nati anima liquefacta est ut Maria locuta est, quid putamus quaenam illa fuerit caelestium exultatio, cum et *vocem audire*, et *videre faciem*, et beata eius frui praesentia meruerunt? » (*In Assumpt. B. M. V.*, I, 1-2, PL 183, 415). Gloria qua B. Virgo fruitur in caelis, quemadmodum ipsa Incarnatio, pro nobis mysterium constituit. « Christi generationem et Mariae assumptionem quis enarrabit? Quantum enim gratiae in terris adepta est prae caeteris, tantum et in caelis obtinet gloriae singularis. Quod si oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se»: quod praeparavit gignenti se, et, quod omnibus est certum, diligenti prae omnibus, quis loquetur? Felix plane Maria, et multipliciter felix, sive cum excipit Salvatorem, sive cum a Salvatore suscipitur » (*Sermo I, in Assumpt.*, n. 4, PL 183, 416-417).

d) DE CULTU B. M. V.

S. Bernardus fuit procul dubio maximus promotor mediaevalis cultus B. M. V. Cultus Deiparae, prout ex scriptis S. Doctoris colligitur, triplici actu constat, venerationis nempe, invocationis et imitationis. Hunc autem triplicem cultum magno animi ardore promovit.

Ante omnia tribuendus est Virgini *Cultus venerationis*, ob plures rationes, videlicet: a) quia talis est voluntas Dei: « Totis ergo medullis cordium, totis praecordiorum affectibus et votis omnibus Mariam hanc veneremur; quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam » (*In Nativ. B. M. V.*, 7, PL 183, 441); b) quia est Mater Dei (*Super Missus est*, 9, PL 183, 61); c) quia est Mediatrix nostra (*In festo Pent.* II, 4, PL 183, 328). In Ep. 174, omnes veluti tituli exponuntur quos B. Virgo habet ad nostram venerationem (PL 182, 333): « At, valde honoranda est, inquis, Mater Domini. Bene admones, sed honor reginae iudicium diligit. Virgo regia falso non eget honore, veris cumulata honorum titulis, infulis dignitatum. Honora sane integritatem carnis,

vitae sanctitatem, mirare fecunditatem in virgine, prolem venerare divinam. Extolle nescientem vel in concipiendo concupiscentiam, vel in pariendo dolorem. Praedica reverendam angelis, desideratam gentibus, patriarchis prophetisque praecognitam, electam ex omnibus, praelatam omnibus. Magnifica gratiae inventricem, mediatricem salutis, restauratricem saeculorum; exalta denique exaltatam super choros angelorum ad coelestia regna». Laus vero Mariae tributa nullimode laudi Christo tribuendae derogat sed favet: « Non est dubium, quidquid in laudibus Mariae proferimus, ad Filium pertinere; et rursus, cum Filium honoramus, a gloria Matris non recedimus » (Hom. IV *super Missus est*, PL 183, 78).

Cultui venerationis uniri debet *cultus invocationis*, « quoniam misericors est et mater misericordiae » (In Dom. post Oct. Epiph., II, 4, PL 183, 159). Ipsa enim potest et vult nos adjuvare: « Quidni daret? Siquidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas » (In Assumpt. B. M. V., I, 2, PL 183, 415). Igitur « devotissima supplicatione beatis illius pedibus provolvamus » (In Dom. infra Oct. Assumpt., 5, PL 183, 432). « O quisquis te intelligis in huius saeculi profluvio magis inter procellas et tempestates fluctuare, quam per terram ambulare, ne avertas oculos a fulgore huius sideris, si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam! Si iactaris superbiae undis, si ambitionis, si detractionis, si aemulationis, respice stellam, voca Mariam! Si iracundia, si avaritia, aut carnis illecebra naviculam concusserit mentis, respice ad Mariam! Si criminum immanitate turbatus, conscientiae foeditate confusus, iudicii horrore perterritus, barathro incipies absorberi tristitiae, desperationis abisso, cogita Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat a corde, et ut impetres eius orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum. Ipsam sequens non devias, Ipsam rogans non desperas, Ipsam cogitans non erras. Ipsa tenente non corruis. Ipsa protegente non metuis, Ipsa duce non fatigaris, Ipsa propitia pervenis » (*Super Missus est*, II, 17, PL 183, 70).

• Omnes hortatur ad preces et oblationes, per manus Mariae offerendas. « Modicum istud quod offerre desideras, gratissimis illis et omni acceptione dignissimis Mariae manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam. Nimirum candidissima quaedam lilia sunt: nec causaliter ille liliorum amator inter lilia non inventum, quidquid illud sit quod inter Mariae manus invenerit » (In Nativ. B. M. V., 18, PL 183, 448).

Attamen a cultu invocationis seiungi non debet *cultus imitationis*: « ut impetres eius orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum » (*Super Missus est*, II, 17, PL 183, 70). Praesertim vero Mariae humilitas, pro omnibus tam necessaria, sectanda est: « Imitamini, omnes homines, Dei matris humilitatem » (*Super Missus est*, I, 9, PL 183, 61), quoniam B. Virgo « si placuit ex virginitate, ex humilitate concepit » (l. c. ,59).

6. B. GUERRICUS Abbas Igniaciensis S. O. Cist. († 1151-1155)¹

Fuit Canonicus Tornacensis; postea vero, anno 1131, secutus est S. Bernardum Abb. et anno 1138 factus est Abbas Igniaciensis (*Igny* in Dioec. Remensi). Mortuus est die 19 Augusti inter a. 1151-1155. Cultus eius confirmatus est die 24 ianuarii 1889. Plures reliquit Sermones (PL 185, 11-214) qui « pari fere, qua Bernardi, reverentia legi merentur » (MABILLON, PL 185, 10).

De B. M. Virgine sermones sequentes reliquit: 1) *In Festo Purificationis B. M. V.* (l. c., 63-89); 2) *In Annuntiatione Dominica* (l. c., 112-124); Sermo I. *De Gaudio huius diei et de laudibus Virginis Matris*; Sermo II. *De Verbi Incarnatione in Maria et in anima fidei*; Sermo III. *De huius mysterii signis*; 3) *In Assumptione B. Mariae* (l. c., 187-197): Sermo I. *Quod Maria duplici titulo sit Mater, quodque recte dicatur thronus Dei*; Sermo II. *De mutuo amore Iesu et Mariae*; Sermo III. *De quiete spirituali*; Sermo IV: *Quod B. Virgo Mariae et Marthae officia implevit*; 4) *In Nativitate B. Mariae* (l. c., 199-203): Sermo I. *Comparatio partus Virginis cum vite quae incorrupta dat odorem suum*; Sermo II. *De pulchritudine sanctae dilectionis*.

« Mariologia huius Beati plenam expositionem mereretur. Notatu digna est praesertim doctrina eius *de formatione Christi in nobis per Mariam* quae ita in synthesim reducitur a P. De Wilde: ² « Guerricus porro peculiare momentum in schola Cisterciensi habet propter doctrinam suam *de formatione Christi in nobis per Mariam*. Secundum Beatum nostrum namque, vita cristiana consistit in formatione Christi in nobis secundum formam eius « spiritualement ». Iamvero haec forma « spiritualis » nil aliud designat atque vitam gratiae in anima Christi et exempla et mysteria vitae Salvatoris.

« Christus vero nos, membra corporis sui mystici, gratiae suae participes efficit, ut per eam exempla eius imitari atque hoc modo perfectam ipsius imaginem in animabus nostris imprimere et in tota vita nostra exprimere possimus. Hanc autem formam spiritualement Christi, Maria in nobis effingere cupit et satagit; ita filium suum in animabus nostris continuo concipit et parturit, usque dum ad plenitudinem aetatis eius perveniamus. Sub hoc respectu Guerricus mediationem B. Virginis in opere nostrae sanctificationis praecipue considerat et exponit ». (o. c., p. VII).

¹ Cfr *Vita* a S. Hugone conscripta (MARTÈNE, *Thesaurus novus*, 3, pp. 1709-1736); *Exordium magnum* in PL 185, 995 sq.; BELLER, *Le B. Gueric*, Reims, 1890; GATTERER M., *Der sel. Guericus ... und seine Sermones*, in *Zeitschrift f. Kathol. Theolog.*, 19 (1895), pp. 35-90.

² Cfr DE WILDE O. Cist., *De Beato Guericco Abbate Igniaciensi eiusque doctrina de formatione Christi in nobis*. (Diss. ad lauream), Westmalle, 1935, c. 4: *De formatione Christi in nobis per Mariam* (pp. 95-112).

7. **PETRUS Cluniacensis Ven., O. S. B.** (1157)¹

De ipse habentur: a) *Epistola ad ven. carissimum fratrem Gregorium de plenitudine gratiae et scientia B. V. Mariae* (PL 189, 283-304); b) *Prosa de B. V. M.* (l. c., 1017-1019).

8. **ARNOLDUS Carnotensis vel Bonaeval.** († 1160)²

Fuit, intimus S. Bernardi. De B. M. V. agit in Tractatu *de Septem verbis Domini in Cruce* (Tract. 3, de verbo illo Domini: *Mulier, ecce filius tuus*, PL 189, 1693-1698) et in *Libello de laudibus B. M. V.* (PL 189, 1725-1734) qui ita incipit: « Si linguis hominum loquar et angelorum, nihil digne, nihil proprie de laudibus sanctae ac perpetuae Virginis matris Christi Mariae eloqui potero, quia vere in laudibus eius modulandis non invenitur conveniens organum et hebes est cuiuscumque subtilitatis ingenium » (l. c., 1725). Praeclara sunt quae scribit de unione voluntatis Christi et Mariae: « omnino tunc erat una Christi et Mariae voluntas, unum olocaustum ambo pariter offerebant Deo, haec in sanguine cordis ... hic in sanguine carnis » (*De laud. B. M. V.*, PL 189, 1720).

9. **B. AELREDUS, Abbas Rievallensis** († 1166)³

Octo reliquit Sermones de B. Virgine, videlicet: 1) *De Purificatione* (PL 195, 234-238); 2) *De Annuntiatione* (l. c., 251-258); 3) duo *de Assumptione* (l. c., 303-316); 4) tres *De Nativitate B. M. V.* (l. c., 316-336); 5) unum *De Beata Maria* (l. c., 353-361).

« La Mariologie d'Aelred est celle de tout le XII^e siècle: la Mère de Dieu est la Mère des chrétiens; à ce titre, elle est pour eux Médiatrice de toute grâce et auxiliaresse de vie. Toutefois, il ne faudrait pas demander au docteur du XII^e siècle les distinctions et les précisions des théologiens du XX^e. Aelred est même moins précis que saint Bernard; son enseignement d'ailleurs, en cette matière, n'a été donné que de circonstance, et non ex professo » (LE BAIL, l. c., col. 231).

Notatu digna sunt verba: « Certe, fratres, ipsa vero est mater nostra. Per illam enir nati sumus, per illam nutrimur, crescimus per illam » (Sermo II *De Nativ.*).

10. **RICHARDUS a S. Victore** († 1173)⁴

Fuit Scotiae nationis et canonicus regularis nec non prior S. Victoris parisiensis.

Inter eius scripta, haec B. M. Virginem respiciunt: 1) *De comparatione Christi*

¹ Cfr SÉJOURNE P., art. *Pierre Le Vénéral*, in *Dict. Théol. Cath.*, t. 12, coll. 2065-2081.

² Cfr CANIVEZ J. M., in *Dict. de Spirit.*, t. 1, coll. 888-890.

³ Cfr LE BAIL A., art. *Aelred*, in *Dict. de Spirit.*, t. 1, coll. 225-234.

⁴ Cfr FRITZ, in *Dict. Théol. Cath.*, t. 13-2, coll. 2676-2695.

ad florem et Mariae ad virgam (PL 196, 1031); 2) *De differentia sacrificii Abrahæ a sacrificio beatæ Mariae Virginis* (l. c., 1043-1058); 3) *De Emmanuele* (l. c., 601-665) contra Magistrum Andream qui explicationem parum satisficientem dederat textus Isaiaie « Ecce virgo concipiet ».

Richardo a S. Victore tribuendus videtur *Tractatus de conceptu B. M. V.* (cfr *Dict. de Théol. Cath.*, t. 13, col. 2671).

11. ADAM Praemonstratensis († 1178)¹

Fuit Professor Parisiensis. Scripsit *Librum de B. Dei Genitrice*, qui Parisiis editus fuit anno 1518, apud Aegydius Gourmont.

12. SERLO, Abbas O. Cistere. († 1178)

Reliquit *Sermones de Assumptione, Nativitate, Annuntiatione B. V.* et de partu eiusdem. Primum typis vulgati fuerunt Bonofonte, a. 1664.

13. PETRUS Comestor († 1179)²

Inter sermones ab ipso relictos, habentur sermo *in Purificatione B. M. V.* (PL 198, 1744 sq.), *in Annuntiatione* (PL 198, 1772 sq.), duo *in Assumptione B. M. V.* (PL 198, 1784-1788), et sermo *de immaculata Virginis Mariae conceptione*, Antuerpiae typis excusus a. 1536, de cuius tamen authentia dubitatur.

14. ADAM, Abbas Persenniae (c. 1180)³

Fuit Ord. Cisterc., natione Gallus. Reliquit tres sermones marianos, videlicet *in Annuntiationem, in Purificationem et in Assumptionem* (cfr PL 211).

15. PETRUS Cellensis († 1183)⁴

Fuit Episcopus Carnotensis. Reliquit sermonem *de Purificatione S. Mariae* (PL 202, 674 sq.), septem *de Annuntiatione B. M. V.* (PL 202, 705-725), octo *de Assumptione B. M. V.* (PL 202, 848-867), unum *de B. M. V.* in genere (PL 202, 869 sq.). In omnibus istis sermonibus plurima sunt ex quibus integer tractatus mariologicus confici posset.

¹ Cfr JÉROME L., art. *Adam Scot.*, in *Dict. Théol. Cath.*, t. 1, coll. 389-391.

² Cfr JUNG N., in *Dict. Théol. Cath.*, t. 12, coll. 1918-1922.

³ Cfr MIGNON A., in *Dict. Théol. Cath.*, t. 1, coll. 387-388.

⁴ Cfr JUNG N., in *Dict. Théol. Cath.*, t. 12, coll. 1896-1901.

« Notatu digna sunt verba quibus Deiparae excellentiam exaltat in *De Pan.bus*, c. 21 (PL 202, 1021): « O Virgo Virginum, quid est hoc? Ubi es? Singulari et quodammodo inaeestimabili pene immediate accedis ipsi Trinitati, ut, si ullo modo Trinitas illa quaternitatem externam admitteret, tu sola quaternitatem compleres; sed est Trinitas, nec aliquatenus ibi fieri potuit ac poterit quaternitas. Non ergo es una persona de Trinitate quae Deus est... nec etiam quarta ad Trinitatem, quia quantum Trinitati ad aequalitatem nihil est. Quid ergo es? una et prima post Unitatem et Trinitatem, Mater eius cuius Pater est Deus Pater, Mater eius de quo procedit sicut et a Patre, Spiritus Sanctus ».

16. PHILIPPUS AB HARVENG, abb. Bonae Spei (1183)¹

Fuit natione Belga, religione Praemonstratensis ac S. Bernardi familiaritate conspicuus. Edidit *De Laudibus B. Virginis super Cantica Canticorum*, libri VI, typis impressi Duaci, a. 1621, in fol.

17. PETRUS Blesensis († 1200)²

Reliquit sequentes sermones marianos: duos *de Purificatione* (PL 207, 592-599), quatuor *in Assumptione B. M. V.* (PL 207, 660-669), unum *in Nativ. B. M. V.* (PL 207, 672-677).

18. HELINANDUS Figidi Montis, S. O. Cist. († 1204)

Reliquit: a) *Sermones duo in Purif. B. M.* (PL 212, 529-544); b) *Sermones duo in Assumpt. eiusdem* (l. c., 636-652); c) *Sermones duo in Nativ. eiusdem* (l. c., 652-668).

VI) - SAEC. XIII

1. HONORIUS Augustodunensis, O. S. B. († 1220)³

Reliquit: a) *Sigillum B. Mariae*; b) *Commentarios sive expositio in Evangelium: Intravit Iesus etc., et in Epistulam: In omnibus requiem...;* c) *Cur S. Dei Genitrix Virgo Maria nominetur in Canone Missae*; d) *De « Magnificat » cur cantetur in fine diei*; e) *De cursu S. Mariae*; f) *De Purificatione S. Mariae*; g) *De festo S. Mariae ad Martyres*; h) *De nativitate S. M. V., 8 sept.*; i) *De Annunciat. S. M.*; l) *Sermones de Assumpt., Nativ., Annunc. B. V.* (PL 172, *passim*).

¹ Cfr PETIT Fr., O. Prem., *La doctrine mariale de Philippe de Bonne-espérance*, in *Analecta Praemonstratensia*, t. 13 (1937), pp. 97-108.

² Cfr JUNG N., in *Dict. Théol. Cath.*, t. 12, coll. 1884-1889.

³ Cfr AMANN E. art. *Honorius Augustodunensis*, in *Dict. Théol. Cath.*, t. 7, coll. 139-158.

2. ABSALON, Abbas Springkirehbae. († c. 1220)

Fuit Ord. Canonic. Regul. S. Victoris Parisiensis, et Monasterii Springkirehbaensis Abbas. Sermones sequentes reliquit, Coloniae editos a. 1434:

1) *In Annuntiatione B. M. V.*, serm. 3; 2) *in Nativ. B. M. V.*, sermo 1; 3) *In Purificatione B. M. V.*, sermones 3; 4) *In Assumptione B. M. V.* sermones 3 (cfr etiam PL 211).

3. S. ANTONIUS Patavinus, O. Min. († 1231)¹

In suis sermonibus et praesertim in sermonibus in laudem B. M. V. (LOCATELLI, *S. Antonii Pat. sermones* etc..., Patavii, 1895, pp. 693-735, 805-812, 835-842) plura de B. M. V. inveniuntur.

4. RICHARDUS a S. Laurentio († post 1245)²

Plura scripsit inter quae diffusum *Mariale* seu *Tractatus de Laudibus beatae Mariae Virginis* libri XII, editum Strasburgi, absque nomine auctoris, anno 1493, et paulo post Coloniae etc. Anno 1651, P. Jammy O. P., illud edidit inter opera S. Alberti Magni (t. 20, p. II). Invenitur etiam in editione operum S. Alberti, M. facta a Vivès (t. 36).

« Ce *Mariale* — scribit AMANN — est une somme intéressante de théologie et surtout de dévotion mariale, très propre à éclairer sur l'état des questions relatives à la sainte Vierge en ce milieu du XIII^e siècle. Après une explication de la salutation angélique (l. I), l'auteur entend montrer ce que Marie est pour nous, *quomodo Maria servivit nobis in singulis membris et sensibus* (l. II). Suit la description des privilèges accordés à Marie (il n'est pas question de la conception immaculée), puis de ses vertus, de sa double beauté, corporelle et spirituelle (l. IV-V). Alors commence l'inventaire des appellations qui lui conviennent: mère, sœur, fille, épouse, princesse, reine et servante (l. VI) et des symboles par lesquels on la peut désigner, symboles célestes (l. VII), terrestres (l. VIII), aquatiques (l. IX). Plus curieuse encore que ces dernières énumérations, où la fantaisie se donne déjà fort libre carrière, est la série des symboles représentant Marie qui sont empruntés aux détails de l'habitation humaine: trône, tribunal, chaire, lit, tente, grenier, etc. (l. X). Avec le l. XI, viennent les images prises soit à l'art de la guerre (château, citadelle, tour, place forte), ou à l'art nautique (navire, ancre, port, arche de Noé etc.). Le (l. XII), roule tout entier autour de l'appellation *Hortus conclusus*, qui fournit à l'auteur un certain nombre de gracieuses images. De toute cette symbolique

¹ Cfr ROSCHINI G., *La Mariologia di S. Antonio da Padova*, in *Marianum*, 3 (1946) 16-67.

² Cfr AMANN E., in *Dict. Théol. Cath.*, t. 12, coll. 2675-2676.

mariale dont la piété ultérieure n'a recueilli qu'une minime part (se reporter par exemple aux *Litaniae Lauretanae*) Richard n'est pas l'inventeur; il doit beaucoup à ses prédécesseurs et en particulier à saint Bernard. Son œuvre n'en reste pas moins le reflet de son époque et à ce titre elle mériterait d'être étudiée » (*Dict. de Théol. Cath.*, t. 13 coll. 2675-2676).

5. VINCENTIUS Bellovacensis, O. P. († 1256)

Scripsit opus *De laudibus B. M. V.* sive de moribus et gestis ipsius, lib. 1, impressum Basileae, 1481.

6. HUGO a S Charo, O. P. Card. († 1263)

Natus est circa finem saec. XII; anno 1226 Ordinem Praedicatorum ingressus, primus fuit eiusdem Ordinis Cardinalis (1244). In Concilio Lugdunensi magnas habuit partes.

In *Postillis* totius Bibliae, de Mediatione B. M. V. passim agit. Cfr MERKELBACH, *Mediatio B. Virginis in doctrina Hugonis a S. Charo*, in *Angelicum*, t. 7 (1930), pp. 39-56.

7. S. BONAVENTURA (1221-1274)¹

Natus est Balneoregii circa a. 1214; adhuc iuvenis Ordinem Minorum ingressus est et statim Parisios missus ibi Alexandrum Halensem audivit, deinde anno 1247 ibidem, omnium plausu, docere et praedicare coepit. Anno 1257, Minister Generalis electus est. Anno 1273 a Gregorio X creatus fuit Cardinalis et Episcopus Albanensis. Anno subsequenti, die 14 Iulii, Lugduni, tempore Concilii, sanctissime obiit aetatis suae anno 53.

¹ Bibliographia: APOLLINAIRE P., *Saint Bonaventure, le chantre de Marie*, in *Etudes Franciscaines*, 51 (1939) 338-58; BITTREMIEUX J., *Le sentiment de St. Bonaventure sur l'Immaculée Conception de la S. Vierge*, in *Et. Franc.*, 1928, pp. 367-394; BEUERLE M., O. C., *Lehre des hl. Bonaventura über das Gnadenvollmass der Gottesmutter*, in *Franziskanische Studien*, 12 (1925) 177-79; BRANS G., O. F. M., *Het Middelaarschap van Maria bij den H. Bonav.*, in *Handelingen van het Vlaamsch Maria-Congres te Brussel*, 1921, 1, pp. 305-317; CHIETTINI E., O. F. M., *Mariologia S. Bonaventurae*, Sibenici-Romae, 1942, pp. xxvi-214; CICCHITTO L., O. F. M. Conv., *Maria Mediatrice universale in S. Bonaventura e Dante* (ex *Miscellanea Francescana* 36 (1936) 35-51), Roma, 1936; DI FONZO L., O. F. M. Conv., *Doctrina S. Bonaventurae de universali Mediatione B. Virginis Mariae*, Romae, 1938; *De corporea Assumptione B. Virginis Mariae eiusque gloria caelesti iuxta S. Bonaventuram*, in *Marianum*, t. 1 (1939), pp. 327-350; IOSEPH A LEONESSA O. C., *Dogma Immaculatae Conceptionis et Doctorum Angelici et Seraphici doctrina*, in *Divus Thomas*, 25 (1904), 632-40; ONINGS J., O. F. M., in *Standaard van Maria*, 1929, pp. 129-134; 1930, pp. 97-101; 1935, pp. 39-45; PLESSER V., O. F. M., *Die Lehre des hl. Bonaventura über die Mittlerschaft Mariens*, in *Franzisk. Stud.*, 1936, pp. 353-389; ROSCHINI G., O. S. M., *La dottrina di S. Bonaventura sulla mediazione universale di Maria* (ex *Marianum*, t. 2 (1940), pp. 59-80) Roma, 1940.

OPERA. Multa scripsit, etiam de B. M. V.¹ praesertim in 24 *Sermonibus de B. M. V.* (t. 9, pp. 633-721), in sermonibus *de Epiphania et de Nativitate Christi; in Comm.* in Ev. Lucae, cc. I, II, pp. 3-69; in II Sent. lib. III, dist. 3 et 4; lib. IV, dist. 28 et 30; in *Collatio VI de donis Spiritus Sancti* et in *Breviloquio*. Sunt apocrypha: a) *Corona B. M. V.*; b) *Speculum B. M. V.*, quod per plura saecula S. Bonaventurae attributum, ad Conradum de Saxonia O. Min. pertinet; c) *Laus B. M. Virginis*; d) *Pharetra seu stimulus divini amoris*; e) *Expos. in Canticum Cantorum*; f) *Tractatus super salutationem Angelicam*; g) *Officium de Compassione B. M. V.*; h) *Carmina super Canticum « Salve Regina »*; i) *Canticum « Te Matrem Dei laudamus »*; l) *Psalterium maius B. M. V.*; m) *Psalterium minus B. M. V.*²

« METHODUS. In doctrina de B. M. V. exponenda valde caute procedit S. Bonaventura; et ratio est quia « verba fidem christianam exprimentia, debent esse ab errore longinqua et devotioni approximantia, maxime illa in quibus est sermo *de Virgine Maria*. Ipsa enim cunctas haereses interemit in universo mundo, Veritatem ex se ipsa coccipiendo et pariendo » (III Sent. d. IV, a. 3, q. 3; op. 3, 115 b). Et ubi de conceptu B. M. V., quem immaculatum esse negat, scribit: « Sufficiunt enim Virgini illae dignitates, quas sibi Filius communicavit et dedit, in quibus superexcedit omnes humanas laudes et devotiones; et ideo non oportet novos honores confingere ad honorem Virginis, quae non indiget nostro mendacio, quae tantum plena est veritate » (III Sent., d. III, p. I, a. 1, q. 2, ad 3; Op. 3, 68 C). Scripturae et Traditioni sacrae fideliter adhaeret; praecipuus eius Magister in Mariologia est S. Bernardus.

PRINCIPIA quibus regitur Mariologia S. Bonaventurae haec sunt:

1. Principium primum et fundamentale est *principium Maternitatis divinae et Consortii*. Ex hoc principio omnia Virginis privilegia profluunt (cfr. DI FONZO, o. c. pp. 32-40).

Alia principia mariologica secundaria sunt:

a) *Principium singularitatis*: « Hoc igitur *in principio* supponamus, quod quidquid laudis dicitur de beata Maria, non hyperbolice dicitur, sed defective, iuxta verbum beati Hieronymi: « Quidquid humanis dici potest verbis, minus est a laude Dei » (Serm. 3 *de Assumpt. B. M. V.*, Op. 9, 693 b). Exinde « sicut balbutiens » Seraphicus Doctor de B. M. V. loqui se putat. Et alibi: « Tanta est excellentia Virginis gloriosae, ut ab eius narratione et laude deficiant Scripturae, deficiant prophetiae et similitudines parabolicae » (Op. 9, 708 a).

b) *Principium eminentiae*: « Quidquid dignitatis et gloriae istis (i e. hominibus activis contemplativis, praelatis, seu omnibus Sanctis) partialiter est collatum, sacrae Virgini integraliter est concessum » (Serm. 2 *de Assumpt. B. M. V.*, Op. 9, 692 b).

c) Admittit etiam *principium convenientiae* (cfr. *In III Sent.*, Dist. III, P. I, a. 1, q. 2).

¹ Cfr. *Opera omnia*, ed. ad Claras Aquas (Quaracchi), 1882-1902.

² Cfr. WADDINGUS L., O. F. M., *Scriptores Ordinis Minorum*, 46-49, Romae, 1906; FISCHER C., O. F. M., *Bonaventure (Apocryphes attribués à saint)* in *Dict. de Spir.* 1, 1843-56.

Synthesis Mariologiae S. Bonaventurae

1. **De divina maternitate.** Ita a S. Bonaventura extollitur: « Quia fuit Mater Dei, quo nihil nobilius cogitari potest, et mater nobilissimi Filii, sic tantum habuit bonitatis et dignitatis, quod nulla mulier amplius capere potuit. Si enim omnes creaturae, quantumcumque ascenderent in gradibus nobilitatis, essent praesentes, omnes deberent reverentiam Matri Dei » (*In I Sent.*, d. 44, dub. 3). E alibi: « Post esse Deum, nullum bonum fuit maius quam esse Matrem Domini » (*Serm. 6 de Assumpt. B. M. V.*, Op. 9, 703 a): « Per hanc ergo praerogativam, transcendit humanam naturam, immo et angelicam » (*Serm. 6 de Assumpt. B. M. V.*, Op. 9, 702 a).

Relate ad meritum Incarnationis et divinae maternitatis, haec tenet Seraph. Doctor: Incarnationis *substantiam* et divinam maternitatem meruit B. Virgo merito *congrui et digni*: merito congrui ante Annuntiationem, merito vero digni post Annuntiationem et descensum Spiritus S. in ipsam (Cfr DI FONZO, o. c., 69 sq.). Si vero agatur de praeparatione *remota* ad Christi conceptionem, illam B. Virgo *de condigno* promeruit (ibid., pp. 81 et sq.).

2. **De Immaculata Conceptione.** Opinio contraria Immaculatae conceptioni (quod nempe B. Virgo sanctificata fuerit « post originalis peccati contractionem ») habita est a S. Bonaventura tamquam « communior et rationabilior et securior » (*In III Sent.*, d. 3, p. 1, a. 1, q. 1). Attamen « a reprehensione liberat eos qui bona fide piam sententiam sequuntur, quia B. Virgini nemo potest esse nimis devotus, dummodo nihil credat de ea quod sit contra veritatem Scripturae et fidei christianae » (BALIĆ, *De regula fundamentali Theologiae Marianae Scotisticae*, Sibirnik, 1938, p. 6).

3. **De plenitudine gratiae et de virtutibus.** Gratia Deiparae tanta fuit quanta a creatura suscipi potest (*In I Sent.*, d. 44, dub. 4, Op. I, 794 b). Haec autem gratia, inde a conceptione, augmentum sumere potuit (*Serm. 3 De Nativ. B. M. V.*, Op. 9, 713 a).

Ipsa « perfectissime habuit omnes virtutes » (Op. 9, 638 a).

B. Virgo fuit impeccabilis et de facto quodlibet vel minimum peccatum vitavit (*Serm. 6 De Assumpt. B. M. V.*, Op. 9, 702 a).

4. **De assumptione B. M. V.** Docet Seraphicus Doctor quod B. Virgini participata fuit assumptio propter consortium in passione, haec autem assumptio fuit ascensione Christi solemnior (*Serm. 4 De Assumpt. B. M. V.*, Op. 9, 694 a; Op. 9, 703 ab; cfr DI FONZO, in *Marianum*, l. c.).

5. **De mediatione B. M. V.** Una cum S. Alberto M., S. Bonaventura iure appellari potest magnus Doctor Mediationis. « B. Virgo — docet S. Bonav. — *Mediatrix* est inter nos et Christum, sicut Christus inter nos et Deum » (Op. 3, 67 a). Et alibi: « Mediatrix omnium apud Deum » (Op. 9, 679 b). B. Virgo socia fuit Christi — iuxta S. Bonaventuram — in universo mediationis opere.

a) DE COOPERATIONE AD REDEMPTIONEM. B. Virgo socia fuit Christi in redemptione hominum: « Sed ille (Christus) debebat ab Ipsa adiuvari, ut adimpletur quod de Eo propheticè dictum fuit, Genesis secundo: Faciamus ei adiutorium simile sibi ... » (Serm. 6 *De Assumpt. B. M. V.*, Op. 9, 704, 705 a). Et ita evasit B. Virgo « liberatrix totius generis humani » (Op. 9, 640 b; 9, 695 a). Ipsa fuit nova Eva: « Illa mulier, scilicet Eva, nos a paradiso expellit et vendit, ista (Maria) nos reducit et emit » (Op. 5, 486, n. 16). B. Virgo cooperata est redemptioni, non solum quia per suum liberum consensum dedit nobis Redemptorem, sed etiam et praesertim quia fuit *consors* seu particeps suae Passionis pro salute generis humani. Hoc modo B. Virgo solvit pretium seu Christum, pro nostra redemptione. Pretium istud enim « mulieris Virginis benedictae est pretium, quo regnum caelorum obtinere valeamus; sive est eius quia ex ea sumptum, per eam solutum et ab ea possessum; ex ea *sumptum*, in incarnatione Verbi, per eam *solutum* in redemptione generis humani; et ab ea *possessum* in assecutione gloriae paradisi » (Collat. 6 *De donis Sp. S.*, n. 3, Op. 5, 484 a). B. Virgo, « obtulit filium suum ad sacrificandum » (ibid., n. 17, Op. 5, 486 b).

Cooperatio haec, iuxta S. Bonaventuram, dicenda est a) activa, b) secundaria et c) dependens ab operatione Christi. Utraque tamen (operatio Christi et cooperatio Deiparae) fuit a) universalis (sive obiective sive subiective), b) plena (se extendens ad reparationem poenae et culpae), c) obiectiva et vicaria (cfr D. FONZO, o. c., pp. 281-296).

b) DE MATERNITATE SPIRITUALI B. M. V. B. Virgo, iuxta S. Bonaventuram, « non tantum est ipsa Mater Dei carnalis, sed etiam hominum spiritualis; sicut Eva omnes nos genuit mundo, sic Domina nostra omnes nos genuit caelo; unde Ecclesiasticus: “ Transite ad me, omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini ”, “ Generationibus ” dicit, quia unum genuit carnaliter, omne genus humanum genuit spiritualiter. Unde proprie dicitur in Luca: Maria genuit filium suum primogenitum, quia, licet unum genuit carnaliter, nos omnes genuit spiritualiter » (Serm. 2 *In Pentec.*, n. 4). Et alibi: « Per Virginem Matrem Deus effectus est noster pater; Dei Filius noster frater » (Serm. 4 *De Annuntiat. B. M. V.*, Op. 9, 672 b). Ipsa genuit caput (Christum) et membra eius (homines) cfr Serm. 26 *In Nativ. Domini*, Op. 9, 126 a.

c) DE DISTRIBUTIONE OMNIUM GRATIARUM. Virginis cooperatio seu associatio Christo in actuali distributione omnium et singularum gratiarum variis modis a S. Bonaventura exprimitur. Ipsa est enim « advocata ad intercedendum » (Collat. in Ioan., c. 14, Op. 6, 303 a). Operationes eius in salute omnium hominum « incipiunt a fundamento fidei et perveniunt usque ad complementum praemii aeterni » (Serm. 2 *De Nativ. B. M. V.*, Op. 9, 711 a). « Beneficia ... Virgo impendit dupliciter, scilicet, ad vitandum malum et ad consequendum bonum » (Serm. 6 *De Matr. B. M. V.*, Op. 9, 720-21). Laudat, insuper, semel saltem, verba S. Bernardi: « omnes gratiae per manus Mariae transeunt » (Serm. 4 *De Annuntiat. B. M. V.*, Op. 9, 673 b).

6. De cultu B. M. V. B. Virgo est speciali cultu prosequenda. Ei debetur:

a) *veneratio*: « Haec ergo praecipua est amanda et *veneranda* post Trinitatem summam et eius prolem beatissimam Iesum Christum ... » (*In I Sent.*, Op. 3, 861). Ratio huius consortii in veneratione speciali est consortium in doloribus redemptivis Passionis antea habitum. « Honor autem, qui exhibetur Matri, refertur ad Filium sicut ad finem ..., qui vero adorat Christi Matrem, adorat Christum et matrem suam » (*III Sent.*, d. 9, a. 1, q. 3 ad 1; Op. 3, 206 a). « Omnes ergo eam laudent, et in eius honorem omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum, quia beneficia eius in omnes redundant » (*Sermo 4 De Annuntiat.*, Op. 9, 673).

b) B. Virgini tribui debet cultus *invocationis*. Recursus ad Virginem necessarius est omnibus ad gratias impetrandas: « Debemus ad illam recurrere pro gratia recuperanda et habenda » (*Serm. 2 De Purific. B. M. V.*, Op. 9, 641 b).

c) Tandem B. Virgini tribuendus est *cultus imitationis*: « Mater Christi in imitatione habenda est tamquam exemplar totius humilitatis evangelicae, totius pietatis ecclesiasticae, totius religiositatis christianae, totius caritatis genuinae » (*Serm. 3 In Vigilia Epiph.*, Op. 9, 144 b). « Ut tua devotio sit accepta, et reverentia grata, ipsius puritatis munditiam ... toto conatu nitaris humilitatis ac mansuetudinis eius vestigia imitari » (*Ep. XXV*, Op. 8, 494). « Beatae Virgini nullus nimis potest esse devotus » (*III Sent.*, d. 3, p. 1, a. 1, q. 1, ad 4). « Numquam legi aliquem Sanctorum qui non haberet specialem devotionem ad Virginem gloriosam » (*Sermo 2 De Purific. B. M. V.*, Op. 9, 642). « Qui in Maria radicantur, per eam sanctificantur » (*ibid.*, p. 642).

8. S. THOMAS AQUINAS (1225-1274)¹

Natus anno 1225 in oppido Roccasecca, e familia comitum de Aquino, educatus fuit primum in monasterio Montis Cassini, deinde in Neapoli, ubi Ordinem Praedicatorum anno 1243 ingressus est. Parisios missus (1245), magistrum habuit S. Albertum M., quem postea Coloniam secutus est (1248). Anno 1252 Parisiis docere coepit; anno 1259 in Italiam missus, Anagninae, Urbeveteri et Romae in Conventu S. Sabinae docuit. Anno 1269 Parisios rediit; at anno 1272 rursus in Italiam rediit et Neapoli docuit. Anno 1274 a Gregorio X ad Conci-

¹ Bibliographia: BOVER J., S. J., *La mediación universal de la Santísima Virgen en Santo Tomás de Aquino*, Bilbao, 1924; FRIETHOFF C., O. P., in *Ned Kath. St.*, 1923, 332-345; in *Angelicum*, 1933, pp. 321-334; GLIKER, *Ist Maria nach der Lehre des hl. Thomas physische oder moralische Gnadenvermittlerin?* in *Theol. Quartalschrift*, 1933, pp. 235-252; HUGON, O. P., *S. Thomae doctrina de B. M. V. mediatrice omnium gratiarum*, in *Xenia Thomistica*, 2, 1925, pp. 505-530; MERKELBACH B., O. P., *Quid senserit S. Thomas de mediatione B. M. V.*, in *Xenia Thomistica*, 2, 1925, pp. 531-540; MORGOTT F., *Die Mariologie des hl. Thomas von Aquin*, Freiburg, 1878; versio ital. Piacenza, 1882; UCCELLI, *La Esposizione della Salutatione angelica di S. Tomaso*, in *I Gli a Maria*, 1875.

lium Lugdunense missus, obiit in itinere, in monasterio Fossae Novae, die 7 martii.

B. M. Virginis devotissimus fuit. In authographis Summae contra Gentes, saepe scriptae inveniuntur in margine verba *Ave Maria* (cfr UCCELLI, l. c., p. 60 ss.). Opera in quibus passim, data occasione, de B. M. V. agit, sunt: a) *Summa Theologica*, Pars III; b) *Summa Contra Gentes*; c) *Commentarium in IV libros Sententiarum*; d) quaedam opera scripturistica, quarum quaedam S. Thomas propria manu exaravit, quaedam vero, dum ipsemet publice docebat, ab auditoribus scripto mandata fuerunt. Inter opuscula eminet *Expositio Salutationis Angelica*, (Op. 6) quae a pluribus (e. g. Destrez, Synave, Mandonnet, Grabmann, F. Rossi, cfr *Div. Th.*, Plac., t. 34, 1931, pp. 445-479), ut authentica habetur. Plura demum in quibusdam *sermonibus* habentur, qui tamen nondum criticae, ad eorum genuinitatem cognoscendam, subiecti fuerunt. Nulla tamen positiva ratio habetur ad illos ut apocryphos reiiciendos.

Nota distinctiva mariologiae S. Thomae.

Mariologia S. Thomae est stricte theologica.

« Senza dubbio — scribit Morgott — il tipo sovrano della Vergine Madre dovette levare in entusiasmo quel suo spirito nobilissimo, nè certo all'immortale cantore dell'Eucaristia, al poeta dell'*Adoro* e del *Pange Lingua* mancavano a volo poetico i vanni; pure si cercherebbe indarno negli scritti di lui quei voli poetici di fantasia, quegli sfoghi oratorii del sentimento, che occorrono sì frequenti nelle opere de' suoi contemporanei. Il suo spirito eminentemente dialettico stringe il freno alla fantasia e al sentimento e tiene anche in ciò che tratta di Maria sempre la via medesima di tutti gli altri suoi lavori teologici. Tommaso non è in nessun luogo mai il panegirista, o l'ascetico, e meno ancora il poeta; dappertutto è sempre desso: l'acuto e severo pensatore, il serio e profondo teologo. Non sono libri i suoi che parlino al cuore e all'immaginazione, ma all'intelletto; egli non ama le splendide immagini, ma i concetti chiari ed evidenti; non va dietro a questioni superflue e piccole, ma segue la discussione sopra temi che hanno un sicuro fondamento nella parola di Dio o della Chiesa. Ecco il carattere proprio della teologia mariana di San Tommaso, che la distingue e la eleva sopra quella de' suoi predecessori. Esso alla dottrina dei padri ha dato una forma precisa e metodica, uno sviluppo maggiore e una ferma base. E così quanto per avventura ha perduto in estensione, abbondanza e splendore, tant'ha guadagnato in profondità, solidità e chiarezza. È vero che quanto al materiale storico, ch'esso aveva allora a sua disposizione, può parere incompleto in paragone dei ricchi tesori scoperti dappoi. Dei Santi Padri l'Angelico Dottore sul soggetto di Maria non cita se non Cirillo Alessandrino, Girolamo, Ambrogio, Agostino, il Crisostomo e il Damasceno, e dei Dottori del medio evo solo Anselmo, Bernardo e Ugo di San Vittore. E tuttavia la sua dottrina si trova in piena armonia con la tradizione dei Padri, e non sarebbe cosa difficile a dimostrare quest'accordo perfetto con una ben lunga serie di testimonianze.

A questo modo l'Angelo della scuola sta come sulla vetta del medio evo, compen-

diando in sè il passato e segnando le vie all'avvenire. Appoggiato sulle poche ma gravissime parole della S. Scrittura e sulle definizioni della Chiesa concernenti la Madre di Dio, egli ha colla scorta dei Padri piantato le salde basi all'edificio di una dottrina scientifica intorno a Maria. I suoi principii son divenuti le colonne sopra le quali Santi come Antonino di Firenze, Bernardino da Siena, Alfonso ed altri; e Teologi come Dionisio Cartusiano, Canisio, Suarez, De-Vega, Cartagena, Petavio, Novato e molti altri hanno edificato le loro particolari elucubrazioni intorno alla dignità e privilegi della beatissima Vergine, e dato fuori opere meravigliose che ridondano insieme a gloria imperitura così della Madre di Dio come della scienza teologica. Riguardato in tutto il sistema di quest'amplissimo sviluppo della Teologia mariana, quello che ha scritto S. Tommaso sopra tale argomento apparisce piccolo di mole, ma piccolo come il grano della semente che consegnato alla terra germina, si svolge e cresce e diventa albero, che mette rami e frondi e foglie e porta ricchezza di fiori e ubertà di frutti magnifica » (op. cit., pp. 9-10).

Huic iudicio consonant verba P. Hugon: « Concludimus Angelicum, licet non singula explicite expenderit, stauisse firma ac solida Mariologiae fundamenta, atque mereri ut B. Virgo, sicut et Christus, ipsi dicat: Bene scripsisti de me, Thoma » (I. c., p. 540).

PRINCIPIA MARIOLOGICA seu tituli privilegiorum B. M. V., iuxta S. Thomam haec sunt:

1. PRINCIPIUM EMINENTIAE: « Rationabiliter creditur, quod illa quae genuit unigenitum a Patre, plenum gratiae et veritatis, prae omnibus aliis maiora privilegia gratiae acceperit » (*S. Theol.*, III, q. 27, 1-6). « In B. Virgine debuit apparere omne illud quod perfectius fuit » (IV *Sent.*, d. 30, 2-1, sol. 1).

2. PRINCIPIUM CONVENIENTIAE: « Illos quos Deus ad aliquid eligit, ita prae-
parat et disponit, ut ad id ad quod eliguntur, inveniantur idonei. Beata autem Virgo fuit electa divinitus, ut esset Mater Dei; et ideo non est dubitandum, quin Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddidit » (III, q. 27, a. 4, c). Et alibi: « Unicuique datur a Deo gratia, secundum hoc ad quod eligitur » (III, q. 27, a. 5-1).

Synthesis Mariologiae S. Thomae

a) DE B. M. V. CONSIDERATA IN ORDINE AD DEUM.

De divina maternitate. Notio et natura divinae maternitatis in *Summa Theol.* (P. III, q. 35, a. 4) fuse exponit. Doctrinam vero traditionalem refert Angelicus de excellentia Deiparae « qua dignitate, nulla maior » (*Comm. in Matth.*, 2, 13). « B. Virgo ex hoc quod est mater Dei habet quandam dignitatem infinitam ex bono infinito quod est Deus » (I, q. 25, a. 6, ad 4). Quia vero tria sunt quae quandam infinitatem habent (i. e., unio hypostatica, visio beatifica cum gratia habituali, et maternitas divina), illa profecto maioris dignitatis erit quae maiorem unionem inducit cum Deo. Iamvero unio hypostatica (quae est ad *esse* seu sub-

sistere Dei) maior est unione quae habetur per gratiam et gloriam (quae est secundum *operationem* tantum). Cfr III, q. 2, art. 10 et 11. « Unde gratia unionis hypostaticae non est in genere gratiae habitualis, sed est supra omne genus sicut ipsa persona divina » (III, q. 7, a. 13, ad 3). Cum vero maternitas divina eiusdem ordinis sit ac Incarnatio (quia terminatur ad esse eiusdem personae divinae quae generatur secundum carnem divinitati unitam), [dicenda est] et ipsa superioris ordinis ac gratia et gloria. Conclusio haec indicatur a S. Thoma in Comm. in *I Sent.* d. 44, q. 1, a. 3. B. Virgo igitur, cunctis superior est, et in eodem ordine ac Filius est posita.

B. Virgo angelos ipsos excellit quantum ad tria, i. e., *a*) quantum ad plenitudinem gratiae, *b*) quantum ad familiaritatem divinam, et *c*) quantum ad puritatem (*Expos. Salut. Ang.*, Op. 6).

Relate ad meritum divinae maternitatis, B. Virgo meruit Christum portare, id est, meruit gradum puritatis et sanctitatis, quo congrue esset Mater Dei, non autem incarnationem Dei (III, q. 2, a. 11, 3). « B. Virgo non meruit Incarnationem sed, praesupposita Incarnatione, meruit quod per eam fieret, non quidem merito condigni, sed merito congrui, in quantum decebat quod Mater Dei esset purissima et perfectissima Virgo » (III Sent., d. 4, a. 1 ad 5).

b) DE B. M. V. CONSIDERATA IN ORDINE AD HOMINES.

1. **De mediatione B. M. V.** Quamvis nullibi S. Doctor ex professo de hac re egerit, tamen, notionem mediationis et omnia principia theologica tradit quibus, tamquam fundamento, mediatio B. M. V. innititur. Ex doctrina enim S. Thomae B. Virgo inter utrumque extremum posita est et utrumque extremum coniungit.

1. DE COOPERATIONE AD REDEMPTIONEM. S. Thomas, aperte affirmat *necessitatem consensus B. M. V.* ad Incarnationem redemptivam (III, q. 30, a. 1 et 4). Immo, explicite asserit B. Virginem Incarnationi consentiendo, cooperatam fuisse Redemptioni: « Quia ergo consensus B. Virginis, qui per annuntiationem requirebatur, actus singularis personae erat in *multitudinis salutem redundans, imo totius humani generis* » (III Sent., d. 3, q. 3, a. 2, qr. 2). Quapropter « Beatus venter., qui portavit pretium Redemptionis » (Sermo 46, *Dom. IV in Quadr., de B. V.* ex Evangelio, inter *sermone dominicales et festivos* S. Thomae). B. Virgo insuper, particeps fuit passionis Christi: « habuit meritum martyris, mortem Crucis cum Filio patiendo » (Sermo 58, *In Assumpt. B. M. V.*). « Si dicit vir: propter te damnor, mulier potest respondere: per me salvaris » (Serm. 23).

2. DE MATERNITATE SPIRITUALI. Nullibi S. Thomas explicite asserit B. Virginem esse *Matrem* spirituales hominum. At implicite id docet. Asserit enim Incarnationis finem esse « *ut homines renascerentur in filios Dei* » (III, q. 28, a. 1). Quapropter, maternitas physica Virginis erga Christum necessario tendit ad maternitatem spiritualem erga homines, ita ut eadem persona sit et Mater Christi et mater hominis.

3. DE DISTRIBUTIONE OMNIUM GRATIARUM. Etiam haec veritas *implicite* tantum a S. Thoma docetur.

Asserit enim quod «sicut per stellam maris navigantes diriguntur ad portum, ita christiani diriguntur per Mariam ad gloriam» (Op. 6). Sed finis (i. e. gloria) sine mediis (i. e. gratiis) assequi nequit. Ergo B. Virgo media salutis ad gloriam assequendam christianis praebet. Et de facto omnes gratiae, nulla excepta, sive ad *pericula* superanda, sive ad *opera virtutis* exercenda, largiuntur a Virgine: «In omni periculo potes salutem obtinere ab ipsa Virgine gloriosa. Unde Cantic., IV, 4: *Mille clypei*, id est remedia contra pericula, *pendent ex ea*. Item in *omni opere virtutis* potes eam habere in adiutorium et ideo dicit ipsa, *Eccli*, 25, 5: In me omnis spes virtutis» (Op. 6). «*Benedicta tu in mulieribus... a Deo... salvatorem mundi generas... ab angelis... quia eorum ruinam reparas... Benedicta et a peccatoribus*, quia eos de angustia liberas, in periculis adiuvas, et de peccatis veniam impetras» (Sermo 23, in *Annuntiat. B. M. V.*).

c) DE B. M. V. CONSIDERATA IN SEMETIPSA.

1. De **Immaculata Conceptione**. De mente S. Thomae circa hanc quaestionem valde disputatum est et etiam nunc disputatur. In I Sent., d. 44-1-3-3 scriptum: «Talis fuit puritas B. V. quae a *peccato originali* et actuali *immunis* fuit, tamen sub Deo in quantum erat in ea potentia peccandi». Et in Op. 6: «Ipsa enim purissima fuit et quantum ad culpam quia nec *originale* nec mortale nec veniale incurrit». Attamen, ultima mens S. Thomae in *Summa Theologica* invenitur. Iamvero, si attendatur ad modum loquendi, et etiam ad modum sentiendi sui temporis, videtur illam negasse. Scribit enim: «B. Virgo contraxit quidem originale peccatum, sed ab eo fuit *mundata* antequam ex utero nasceretur» (III, q. 27, a. 2-2). Quandonam? «Credetur enim quod *cito post* conceptionem, et animae infusionem fuerit sanctificata» (*Quodl.* VI, a. 7).¹

Consequenter, *fomes peccati* in sua prima sanctificatione (i. e. in utero matris) fuit *ligatus*; et solummodo in secunda sanctificatione (i. e. cum B. Virgo Christum concepit) fuit totaliter ablatus (III, q. 27, a. 1 et 2). Quapropter non potuit habere tentationem seu pugnam internam (quod est a carne); habuit tamen pugnam per tentationem ab hoste, qui nec ipsum Christum reveritus est (III, q. 15, a. 2, 5).

2. De **plenitudine gratiae**. B. Virgo super omnes, post Christum, habuit plenitudinem gratiae (III, q. 7, a. 2, 1; III, q. 27, a. 1, c.; III, q. 2, a. 5, c) «Ave gratia plena, quod exponens Hieronymus (in sermone de Assumptione) dicit: bene gratia plena, quia caeteris per partes praestatur: Mariae vero se tota simul infudit gratiae plenitudo» (III, q. 27, 5, sed c.). Ratio huius plenitudinis est quia B. Virgo fuit propinquissima Christo, secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam; et «quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii» (III, q. 27,

¹ Cfr ea quae scripsimus in *Marianum*, t. 3 (1941), pp. 81-83; t. 4 (1942) pp. 62-70.

a. 5, c). In op. 8 explicitius adhuc scribit: « Dicitur autem Beata Virgo *gratia plena* quantum ad tria “ primo, quantum ad animam, in qua habuit omnem plenitudinem gratiae. Nam gratia datur ad duo: scilicet ad bonum operandum et ad vitandum malum; et quantum ad ista duo perfectissimam habuit gratiam beata Virgo; nam ipsa omne peccatum vitavit magis quam aliquis sanctus post Christum ... Ipsa etiam omnium virtutum opera exercuit, alii autem sancti specialia quaedam ... et ideo ipsi dantur in exemplum specialium virtutum ... sed Beata Virgo in exemplum omnium virtutum. Secundo, plena fuit gratia quantum ad redundantiam animae ad carnem vel corpus. Nam magnum est in sanctis habere tantum de gratia quod sanctificet animam; sed anima Beatae Virginis ita fuit plena quod ex ea refudit gratiam in carnem, ut de ipsa conciperet Filium Dei ... Tertio, quantum ad refusionem in omnes homines ”.

« Magnum enim est in quolibet sancto, quod habet tantum de gratia quod sufficiat ad salutem multorum: sed quando haberet tantum quod sufficeret ad salutem omnium hominum de mundo, hoc esset maximum: et hoc est in Christo et in Beata Virgine ».

B. Virgo, iuxta S. Thomam, *triplicem* habuit perfectionem gratiae, scilicet, in eius sanctificatione, in conceptione Christi, et in eius glorificatione: tertia est potior secunda, et secunda potior prima (III, q. 27, a. 5, 2). In prima perfectione gratiae, Maria munda fuit a peccato originali, in secunda a fomite, et in tertia ab omni miseria (III, q. 27, a. 5, 2). In prima adepta est gratiam inclinantem ad bonum; in secunda fuit confirmata in gratia, et adepta est gratiam consummatam, et confirmantem eam in bono; et in tertia adepta est gratiam consummatam et perficientem eam in fruitione omnis boni (III, q. 27, a. 5, 2).

B. Virgo habuit donum prophetiae, sapientiae, et miraculorum, sed non secundum omnem usum (III, q. 27, a. 5).

3. **De impeccabilitate B. M. V.** B. Virgo fuit semper immunis ab omni peccato actuali (III, q. 27, a. 4 et 5). Immunitas a peccato causabatur in Maria ex tribus, scilicet, ex ligatione fomitis, ex gratia inclinante ad bonum, et ex providentia Dei (III, q. 27, a. 3 c.; et 4, 1).

4. **De perpetua virginitate Deiparae.** Fusa de hac re agit in III P., q. XXVIII, a. 1, 2, 3, 4). B. Virgo votum emisit non absolutum sed *conditionatum* virginitatis (nisi Deus aliter iuberet) (III, q. 28, a. 4). Matrimonium inter Mariam et Ioseph, *verum* matrimonium fuit, habuitque triplex bonum (III, q. 20, a. 2).

5. **De assumptione et gloria caelesti B. M. V.** Maria est perfecte beata secundum corpus, quia cum corpore assumpta est in caelum; credimus enim — ita Angelicus — quod post mortem resuscitata fuerit et in caelum assumpta (III, 27, a. 1, c.; q. 83, a. 5, 8). Quamvis vero B. Virgo sit super omnes angelos exaltata, non tamen est exaltata usque ad aequalitatem Dei, et honor Filii aliquo modo participative, non plenarie redundat in ipsam (III, q. 25, a. 5; I, q. 25, a. 6, 4).

d) DE CULTU B. M. V.

Docet Angelicus quod « debetur ei ... solum veneratio duliae; eminentius tamen quam caeteris creaturis, in quantum ipsa est Mater Dei; et ideo dicitur quod debetur ei non qualiscumque dulia sed *hyperdulia* » (III, q. 25, a. 5, c).

9. CONRADUS de Saxonia O. Min. († 1279)¹

Fuit frater Ordinis Minorum, Theutonicus, lector in Conv. Hildensheim et postea Provincialis Saxoniae. Praecipuum eius opus est *Speculum beatae Mariae Virginis* seu Expositio salutationis angelicae, quod per plura saecula fuit S. Bonaventurae attributum (cfr *Bibliotheca franc. ascet. Medii Aevi*, t. 2, Quaracchi, 1904). In plures linguas conversum fuit et editum. In hoc opere, exponitur salutatio angelica in 18 lectionibus, quae sat completam tractationem exhibent omnium quaestionum Theologicarum circa B. M. V.

Haec praesertim notatu digna videntur:

DIGNITATEM DEIPARAE ita extollit: « Ipsa est qua maiorem Deus facere non posset. Maiorem mundum posset facere Deus, maius caelum posset facere Deus, maiorem matrem quam matrem Dei non posset facere Deus » (Lect. 10). « Ipsa *singulariter* Domini filia, Domini mater, Domini sponsa, Domini ancilla facta est. Maria enim filia Domini singulariter generosa, mater Domini singulariter gloriosa, sponsa Domini singulariter speciosa, ancilla Domini singulariter obsequiosa fuit. Si autem ista tribus personis divinis volumus appropriare, possumus dicere quod Dominus iste qui tam singulariter est cum Maria, ipse est Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus, Dominus trinus et unus. Ipse est Dominus Pater, cuius Maria est filia nobilissima; ipse est Dominus Filius, cuius Maria est mater dignissima, ipse est Dominus Spiritus sanctus, cuius Maria sponsa venustissima; ipse est Dominus trinus et unus, cuius Maria est ancilla subiectissima. Maria certe est filia summae aeternitatis, mater summae veritatis, sponsa summae bonitatis, ancilla summae Trinitatis » (pp. 131-134). IMMACULATA CONCEPTIO ab ipso negatur. Pulchra etiam habet circa COOPERATIONEM AD REDEMPTIONEM, circa DISTRIBUTIONEM GRATIARUM et circa MUNUS REGIUM Deiparae. Notetur locus iste: « Considera, charissime, quod Maria est Domina hominum in mundo. De hac Domina in psalmo dicitur, sicut oculi ancillae in manibus Dominae suae, etc ... Ancilla Dominae Mariae est quaelibet anima fidelis, immo etiam Ecclesia universalis. Oculi huius ancillae in manibus Dominae

¹ Cfr ONINGS, O. F. M., *Koenraad van Saxon, en Zijn Speculum B. M. V.*, in *Standaard van Maria*, 1927, pp. 33-40. — DI FONZO L., O. F. L. Conv., *La Regalità di Maria in una celebre opera Mariana di Fra Corrado di Sassonia*, in *Luce Serafica*, 19 (Napoli 1943) 69-71.

suae semper debent esse, quia oculi Ecclesiae, oculi omnium nostrum ad manus Mariae semper debent respicere, ut per manus eius aliquid boni accipiamus et per manus eius quidquid boni agimus, Domino offeramus ... » (lect. 3, p. 40).

10. S. ALBERTUS MAGNUS († 1280)¹

Inter omnes qui de B. M. V., saeculorum decursu, scripserunt, peculiarissimum sibi vindicat locum, operum numero, amplitudine et soliditate doctrinae, suavitate et proprietate dicendi, S. Albertus Magnus, cuius singularis erga Deiparam devotio tanta fuit ut quibusdam etiam legendariis narrationibus originem dederit. Maria « fu la stella che lo guidava a Gesù, la quale con Gesù era uno dei più infiammati e potenti amori che commovessero il suo cuore e facessero scorrere dal suo labbro e dalla sua penna le più magnifiche e ferventi lodi » (Card. PACELLI, cfr *Angelicum*, t. 9, 1932, p. 144).²

Scripta Mariana. Petrus de Prussia O. P., primus biographus S. Alberti M., in vita eiusdem (cap. XXII) de scriptis marianis haec habet: « Tam copiose etiam de illa scribit, ut quasi non sit liber in theologicis ab eo editus, in quo ipsius dilectae sit oblitus ». Distinguimus hic inter scripta *apocrypha*, *dubia* et *authentica* (BORGNET A., *B. Alberti Magni Opera omnia*, Parisiis, Vivès, 1890-1899, 38 voll. Hanc editionem citamus).

I. SCRIPTA APOCRYPHA sunt: I) Tractatus *de Laudibus B. M. V.*, *Libri XII*, qui communiter a criticis tribuitur Richardo a S. Laurentio († 1174) (apud Bor-

¹ Bibliographia: ALBERS H., *La mediación universal de la S. Virgen según el B. Alberto Magno*, in *La vida sobrenatural*, t. 18 (1929), pp. 244-264, 312-325, 370-377; 19 (1930), pp. 15-23, 161-176; BITTREMIEUX J., *S. Albertus Magnus, Ecclesiae Doctor, praestantissimus Mariologus*, in *Eph. Th. Lov.* 10 (1932), pp. 217-231; *Uit de Marialeer van den Grooten Kerkleeraar*, in *De Standard Van Maria*, 4 (1933); BOVER J., S. I., *La mediación universal de la Santísima Virgen en las obras del B. Alberto Magno*, in *Gregorianum*, 7 (1926), pp. 511-548; CONGAR M. J., O. P., *Le « Je vous salue Marie » d'Albert le Grand*, in *Année dominicaine*, 1932, pp. 36-41; CORDOVANI M., O. P., *La Mariologia di S. Alberto Magno*, in *Angelicum*, 9 (1932), pp. 203-212; DESMARAIS M., O. P., *S. Albert le Grand Docteur de la médiation mariale*, Paris, Ottawa, 1935; ESSER G., *Die Gnadenfulle der Allerseligsten Jungfrau Maria nach der Lehre des sel. Albertus des Grossen*, in *Theologische praktische Quartalschrift*, (Linz), 24 (1881), pp. 273-288; GENEVOIS M. A., O. P., *Bible Mariale et mariologie de Saint Albert le Grand*. Saint-Maximin (Var), 1934; *La Mariologie de Saint Albert le-Grand*, in *Bulletin de la Soc. Franç. d'Et. Mar.*, 1935, pp. 25-46; GOTTSCHIK J., *Studien zur Versöhnungslehre* (Gotha), 22, (1902), pp. 191-222, 321-375; MELLET M., O. P., *Marie Mère de Dieu selon S. Albert le Grand*, in « *La Vie spirituelle* », t. 50 (1937), pp. (1)-(21); METZGEROTH M., *Die Lehre des hl. Alb. d. Gr. über die Mittlerschaft Mariens*, in *Pastor Bonus*, 40 (1932), pp. 340-357; 25 (1933), pp. 162-171; VOSTÈ J. M., O. P., *Sanctus Albertus Magnus Evangeliorum Interpres*, in *Angelicum*, 9 (1932), pp. 287-292; *Sanctus Albertus Magnus interpres Prophetarum*, in *Divus Thomas* (Plac.), 35 (1932), p. 500.

² Ex experientia loqui videtur cum scribit: « Quandoque (B. Virgo) tam copiose transmittit aquam devotionis in corde suorum amicorum, quod inebriantur... Utinam illa pia Virgo sic nos aliquando inebriare dignetur! » (*Sermo in Nativ. B. M. V.*, § 2, vol. 13).

gnet, vol. 36). 2) *Biblia Mariana* (apud Borgnet, o. c., vol. 37, pp. 365-443), quae a Weiss (o. c., pp. 10-11) tribuitur, saltem partialiter, cuidam fratri Christiano de Lylienfeld, Cisterciensi.

2. SCRIPTA DUBIAE AUTHENTICITATIS sunt: 1) Homilia in Luc. 11, 27 (publici iuris facta a P. de Loë, O. P., anno 1916, Bonn, Haustein); 2) Scripta adhuc inedita: *Magnificat, de Gaudiis Virginis, de sequentia Salve Mater Redemptoris*.

3. SCRIPTA CERTAE AUTHENTICITATIS sunt: 1) *Compendium super Ave Maria* adhuc ineditum 2) *Mariale* seu de *Laudibus B. M. V.*, in quo diffuse, 230 quaestionibus ingeniose dispositis, commentarium instituit Evangelii: *Super Missus est* (apud Borgnet, t. 37). Plura tandem elementa mariologica dispersa inveniuntur in sequentibus scriptis authenticis: 1) *Summa de Incarnatione*, inedita, in qua habetur sat longa tractatio de *annuntiatione* (tres quaestiones): 1) de ipsa Annuntiatione; 2) de sanctificatione in utero; 3) de conceptione), in *Bibl. Nat. Flor.*, M. S., Conventi suppressi, S. Maria Novella, G. 5347, fol. 41 et ss.; 2) *Tractatus de natura boni*, ineditus, in quo longa habetur dissertatio de virginitate Deiparae; 3) *Scripta super IV libros Sententiarum* (t. 25-30); 4) *Postillae super Evangelia*, praesertim in S. Lucam, in quibus de Mediatione B. M. V. fuse agitur (t. 22, 23); 5) *Postilla super Jeremiam* (cfr *Angelicum*, t. 9 [1902] pp. 6-18); 6) *Postilla super Isaiam* (cfr MEESSEMAN, in *Divus Thomas*, Plac., t. 36 [1933] pp. 221-247); 7) *Sermones*. In editione Borgnet (t. 13) inveniuntur 13 sermones de B. M. V.: quatuor pro Purific., tres pro Annunt., tres pro Assumpt., tres pro Nativ. B. M. V., unus « De Beata Maria » in genere. Quae cum ita sint, iure S. Albertus M., a Rudolpho Noviomagensi « Secretarium et scriba Deiparae » appellatus est (in *Vita B. Alberti*, c. 16).

Circa AUCTORITATEM S. Alberti in Mariologia, notatu dignum est iudicium cl. Bittremieux:¹ « Videtur auctoritas S. Alberti Magni sic nobis definienda: ipse est nobis testis et quidem magni ponderis, qui suae aetatis fidem et sententias nobis prohalat. Apud ipsum percipimus vocem Ecclesiae, theologorum et fidelium saeculi XIII. S. Albertus testis est, qui terminis maxime accuratis et dilucidis, formulis perennibus et duraturis testimonium suum profert. Promerita sua ut theologi divinae maternitatis atque mediationis B. M. Virginis immensa sunt. Talem autem valorem nusquam sat magni pendemus. Unusquisque qui *Mariale* attente perlegerit, propria experientia dignoscere poterit quantum veritatis hoc nostrum habeat iudicium. Nil mirum exinde opus *Mariale* S. Alberti in decursu saeculorum ingentissimum exercuisse influxum. Persuasum habemus Leonem XIII, in praeclaris suis encyclicis conficiendis, opus insigne S. Alberti prae oculis habuisse, ipsamque terminologiam, qua Summus Pontifex iterate inculcat B. Virginis consortium, a S. Alberto esse mutuam » (l. c., p. 230).

¹ Cfr etiam iudicium P. CORDOVANI, in *Angelicum*, 9 (1932), 210-212.

PRINCIPIA MARIOLOGIAE S. ALBERTI HAEC ESSE VIDENTUR:

1. PRINCIPIUM SINGULARITATIS, quod clare exprimitur hac formula: « Beata Virgo non cadit in numerum cum aliis; quia non est una de omnibus, sed est una super omnes » (*Mar.*, q. 80).

2. PRINCIPIUM ANALOGIAE seu similitudinis inter Christum et Mariam, ex hoc patet quod B. Virgo est « adiutorium simile sibi », « consors sui operis » (*Mar.*, q. 43). « Post personam Filii Dei non potest esse persona dignior et *similior* ei quam persona Matris Dei » (*Mar.*, q. 111).

Schematicam synthesesim Mariologiae S. Alberti hic tradere curabimus.

In INTRODUCTIONE ad Mariale, S. Albertus modestissime in auxilio Virginis se confidere declarat, « alias certe super meum ingeniolum et scientiolam meam me nimium elevarem! » Ipse describere intendit « dominicae Incarnationis exordium ... ac nostrae redemptionis mysterium, in laudem et gloriam et honorem gloriosissimae et solius verae honoratae super omnem creaturam ». Quapropter Dei misericordiam invocat « ut det mihi verum intelligere et verum dicere de matre ipsius misericordiae et veritatis ». Protestatur insuper: « Non enim intendimus gloriosam Virginem nostris mendaciis adornare vel etiam stylo altiloquo capacioribus intelligentia aliquid novi aut magni credere; sed rudibus et simplicibus mei similibus devotionis munus per verba simplicia manifestare ».

a) *DE B. M. V. CONSIDERATA IN ORDINE AD DEUM.*

1. **De praedestinatione B. M. V.** Specialis B. M. V. praedestinatio ad maternitatem divinam et ad consortium cum Redemptore, ita significatur: « Beata Virgo omnium bonorum Mater est ... ipsa enim ante saecula praedestinata est ut esset principium ex quo recreandum fuit omnis creatura » (*Mar.*, q. 145). Et alibi: « Ipsa ab initio et ante saecula enarravit a Deo qua ad hoc ut fieret Mater Dei Filii, praedestinata fuit ab aeterno » (*Sermo De Sanctis*, 38).

B. Virgo perpulchre dicitur « pagina in qua Verbum inscribitur » (*In Luc.*, 11, 27, t. 23, p. 173 a).

2. **De maternitate Divina.** Deiparae excellentiam saepe et singulariter extollit. In *Mar.*, q. 138, asserit quod « Deus B. Virgini summum donum donavit » cuius pura creatura capax fuit, scilicet Dei maternitatem ». Et alibi, *Mar.*, q. 197: « Concedimus etiam quod a Filio suo in omnibus privilegiis suis antecellitur; nec in hoc laus matris suae diminuitur sed exaltatur in eo quod non tantum genuit sibi filium coaequalem sed infinite meliorem. Quod etiam ex hac parte quodammodo infinitam bonitatem matris. Omnis enim arbor ex fructu cognoscitur proprio. Unde si bonitas fructus bonificat arborem, inunita bonitas in fructu adhuc ostendit infinitatem in arbore bonitatem ».

Dignitas maternitatis divinae superat, iuxta S. Albertum, dignitatem filiationis adoptivae per gratiam sanctificantem. Q. 141:

1) « Inter matrem et Filium est coniunctio substantialis; inter patrem et filium adoptivum est participatio accidentalis: ergo maius est esse matrem Dei per naturam, quam esse filium Dei per adoptionem.

2) Inter esse Filium per naturam et esse Deum — et esse Filium Dei per adoptionem et non esse Deum, — medium est esse Dei Matrem per naturam, et non esse Deum: ergo immediate post esse Deum, est esse matrem Dei.

3) Item quidquid claudit alterum in se, plus est eligendum quam illud quod non claudit alterum in se: sed esse matrem Dei per naturam necessario claudit in se esse Filium Dei adoptivum ».

In *Mar.*, q. 140: « Item, illud ad quod sequitur maius bonum est eligendum. Sed ad esse matrem Dei sequitur maius bonum quam ad esse angelum. Ergo hoc melius et maius est eligendum. Minor patet: quia ad esse matrem Dei sequitur esse dominam omnium angelorum ».

Hanc divinam maternitatem, tam excellentem, B. Virgo *de congruo* promeruit: « Eius quoque maternitas sibi fuit in meritum; quia ipsa cum congruo merito fidei, spei et caritatis et suae excellentissimae humilitatis meruit fieri mater Dei » (*Mar.*, q. 142, p. 201; cfr etiam *Mar.* q. 14, p. 35; q. 146, p. 209).

b) DE B. M. V. CONSIDERATA IN ORDINE AD HOMINES.

1. De **mediatione B. M. V.** Doctrina mediationis marianae in genere, sequentibus verbis resumitur potest: « Tertia causa ut confidentiam peccatoribus augmentaret per hoc quod *Mediatrix* eorum eadem propinquitatem utramque extremitatem coniungeret, ut sicut mater esset et filia Dei, sic esset mater et soror nostra, et sic a natura inclinaretur ad miserendum peccatori ... nec aliquis fidelius inter Deum et hominem pacem fecit quam quae mater utriusque fuit » (*Mar.*, q. 24). Ex verbis istis apparet quomodo B. Virgo a) sit vere *Mediatrix*, seu *media* sit inter duo extrema (Deus et homo), et b) utrumque, reconciliando, coniungat.

a) De meditatione in reconciliatione seu DE COOPERATIONE AD REDEMPTIONEM. S. Albertus omnes coevos superasse videtur in expositione huius quaestionis. Afferimus hic prius praecipuos textus, et deinde conclusionem eliciemus. In *Mar.*, q. 42: « Beata Virgo non est assumpta in ministerium a Domino, sed *in consortium et adiutorium*, iuxta illud: « faciamus ei adiutorium sibi simile ». « Summus enim in ordine ecclesiae Papa est, qui est Vicarius Iesu Christi. Beata autem Virgo non est vicaria, sed coadiutrix et socia, particeps in regno quae fuit particeps passionum pro genere humano, quando omnibus ministris fugientibus et discipulis, sola sub cruce perstitit, et vulnera quae Christus corpore, ipsa corde suscepit: unde et gladius tunc ipsius animam pertransivit ».

In *Mar.*, q. 150: « Sola beatissima Virgo tunc fidem habuit, et compassionem crucifixi Dei et hominis, et per se passionem ex compassione patientis. Et sic *sola fuit, cui datum est hoc privilegium, scilicet communicatio passionis*, cui Filius ut dare posset praemium, voluit communicare passionis meritum, et ut ipsam

participem faceret beneficii redemptionis, participem esse voluit et poenae passionis, quatenus sicut fuit adiutrix redemptionis per compassionem, ita mater fieret omnium per recreationem: et sicut totus mundus obligatur Deo per suam passionem, ita et Dominae omnium per compassionem ».

In *Mar.*, q. 148: «Ergo peperit filium suum primogenitum sine dolore in sua nativitate, postea peperit totam gentem simul in filii passione, ubi facta fuit et in adiutorium sibi simile, ubi ipsa mater misericordiae Patrem misericordiarum in summo opere misericordiae adiuvit, et una secum omnes homines regeneravit ».

B. V. ergo est Nova Eva: «Nomine autem Hevae vocari non debuit, cum in re et effectu contraria ei fuit per omnia: illa enim damnavit, ista salvavit, unde et ipsa nomen Hevae mutavit non voce quidem, sed re; illa quidem omnes generavit in mundum, ista in coelum: illa mater carnalis, ista mater misericordiae: illa principium mortalitatis, ista principium regenerationis: illa gratiam perdidit, ista gratiam invenit: illa transivit et nos transire fecit de gratia in culpam, ista surrexit et nos surgere fecit secum de culpa in gratiam: illa de latere viri dormientis facta est, ista de corde Dei vigilantis: illa viro suo occasio perditionis, haec viro adiutorium redemptionis: illa desponsatur mater et origo corruptarum, haec desponsatur mansura mater et Virgo virginum: illa prima virginitatem perdidit, ista prima virginitatem Deo consecravit: illa a diabolo decepta, haec ab Angelo edocta: illam diabolus vicit per superbiam, ista vicit diabolum per humilitatem » (*Mar.*, q. 29).

Et alibi: «Propter quatuor, in mulieribus dicitur benedicta. Primo, quia serpenti non obaudivit ... Secundo quia opprobrium feminarum diluit et abstersit. Sicut enim Eva causa exstitit perditionis humanae: ita et Maria causa fuit nostrae redemptionis ... Tertio dicitur benedicta quia per fructum vitae, quem edidit suspendendum in ligno crucis, vitam restituit. Eva enim per pomum vetitum, quod decerpserat ex arbore, et sibi et universae parentelae suae mortem propinavit: Maria vero pretiosum fructum ventris sui mundo edidit, qui pro salute generis humani in patibulo suspensus fuit, et sic mortem fugavit ac vitam restituit. Quarto dicitur benedicta, quia clave David, hoc est, per Filium suum paradisum aperuit. Sicut enim propter Evam paradisi portae clausae fuerunt: ita et per Mariam Virginem sunt reseratae ». (*Sermo In Annunt.*, 1, 4).

In *Mar.*, q. 51: «Sub ipsa sua specie propria in qua eum genuit, spontaneo eius consensu in eius passione pro nobis omnibus illum obtulit: per quam sufficientissimam et gratissimam hostiam semel oblatam, Deum toto generi humano reconciliavit ».

Ut ex textibus citatis patet, cooperatio Virginis ad redemptionem obiectivam, seu consortium in ipso opere redemptionis, absque ulla verborum ambiguitate docetur; immo, associatio haec tamquam *fundamentum* exhibetur associationis in redemptione subiectiva, id est, in distributione gratiarum. B. Virgo

reconciliavit Deo universum genus humanum non tantummodo quia dedit ei Redemptorem (cooperatio *mediata*) sed etiam quia illum Deo Patri in eius passione obtulit (cooperatio *immediata*) « spontaneo eius consensu in eius passione pro nobis omnibus illud obtulit: per quam sufficientissimam hostiam semel oblatam, Deum toto generi humano reconciliavit ». Quare non videmus quomodo sustineri possit assertio Goossens: « Censemus vix unum dari S. Alberti textum qui dicendus sit certo affirmare Mariae compassionem cum Christo directe contulisse ad effectum redemptionis obiectivae » (*De cooperatione immediata Matris Redemptoris ad redemptionem obiectivam*, Parisiis, 1939, p. 128).

b) *De mediatione in regeneratione spirituali hominum, seu de MATERNITATE SPIRITUALI* B. M. V. Etiam haec aperte docetur. En textus praecipui: In *Mar.*, q. 29: « Tempore passionis, ubi mater misericordiae affuit, et dolorem passionis secum sustinuit, nam ipsius animam pertransivit gladius, et consors passionis, adiutrix facta est redemptionis, et *mater regenerationis*, unde ibi propter fecunditatem spiritualement qua *totius generis humani mater spiritualis* facta est, non sine parturitione doloris omnes nos in vitam aeternam in Filio et per Filium vocavit et regeneravit, mulier merito dicta fuit ».

In *Mar.*, q. 36: « Habet convenientiam cum Papa beata Virgo, omnium ecclesiarum sollicitudinem: ... quia Papa est pater patrum, ipsa autem est *mater omnium christianorum*, immo omnium bonorum ».

c) *De mediatione in DISTRIBUTIONE OMNIUM GRATIARUM*. Haec veritas diversis similitudinibus (aquaeductus, collum, canalis, porta caeli, stella) praesertim illustratur.

In *Mar.*, q. 164: « Ipsa est *aquaeductus* et ille aquaeductus est mirabilis: quia per ipsum defluunt omnes gratiarum aquae deorsum, et iterum per eundem defluunt sursum ».

In Sermone *de Assumptione*, 2: « Per *collum* intelligitur beata Virgo, per ipsam enim quasi excellentissimam totum corpus ecclesiae unitur capiti Christo ».

In Sermone *in festo omnium Sanct.*: « Beatitudo ... sanctorum, prima origine a fonte sanctae Trinitatis procedens, influit in humanitatem Christi. A Christo vero beata Virgo Maria suscipiens beatitudinem, tamquam nobilis aquaeductus, deportat eam angelis, Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribus, Confessoribus, ac deinceps omnibus aliis sanctis ».

In Comm. *In Luc.* 10, 38: « Domus enim Dei, Virgo est beata, ... abundantia domus, plenitudo est charismatum, qua plena gratia omnibus abundanter usque ad ebrietatem refundit. Torrens inde erumpens impetu magno, pietatis eius fluxus est, caritate cogente impetuus et rapidus, *omnium ad se rapiens devotionem* ».

In *Luc.* I, 28: « Quae *sicut canalis* ad nos fluentia traducit gratiarum, quae ante per omne tempus defluerunt ».

In Mar., q. 147: « Beata Virgo proprie dicitur *porta coeli*: quia per ipsam exivit quidquid gratiae umquam creatum in hunc mundum venit vel venturum fuit: omnium enim bonorum mater est et mater gratiae et mater misericordiae, et ipsa gratia increata tamquam aquaeductus exivit ab ipsa et venit in mundum. Item *per ipsam intravit quidquid umquam boni de coelis in terram descendit, et e converso* ».

In Mar., q. 51: « Oratio aliorum sanctorum non innititur alicui iuri ex parte sui, sed tantum misericordiae ex parte Dei: oratio autem beatissimae Virginis innititur gratiae Dei, et iuri naturali, et iustitiae Evangelii vel decalogi: quia filius non tenetur tantum exaudire, sed oboedire matri..., *eius oratio habebat rationem iussionis et imperii*, erat impossibile eam non exaudiri ... ».

In Mar., q. 146: « *Stella* » (maris) ferrum attrahit, et beatissima Virgo per infinitam suam misericordiam peccatores duros ad modum ferri ad coelum trahit. Item, nautas dirigit: et beatissima Virgo omnes naufragos ad portum salutis remittit. Item, sita est contra aquilonem: et beatissima Virgo semper est versa ad peccatorem ... Effectus stellae est triplex. Sic beatissima Virgo attrahit peccatores, illuminat poenitentes, dirigit innocentes ... *Attrahit a culpa, illuminat in iustitia, dirigit ad gloriam* ».

Magis adhuc explicite asserit quod B. Virgo, est « *omnium bonitatum universaliter distributiva* » (Q. 29), et quod « Beatissima Virgo plena est gratia omnium quantum ad numerum gratiarum, quae omnes ad numerum transeunt per eius manum » (q. 164). Ipsa « *omnium iustorum quibus meretur gratiam, est Domina* » (cfr MEESSERMAN, in *Angelicum*, t. 9 (1932) pp. 8-9). Ex quibus omnibus pater B. Virginem esse mediatricem omnium gratiarum non solum *mediate* (i. e. quia dedit nobis, suo libero consensu, Christum, fontem omnium gratiarum), vel etiam quia intercedere *potest* omnes gratias (prout interpretatur Ude), sed quatenus actu *distribuit* omnes ad numerum gratias.

2. **De munere regio B. M. V.** Tam late patet ac munus regium Christi, cuius consors fuit: « B. Virgo eiusdem regni regina est cuius ipse Deus est rex » (*Mar.* 165). Ipsa est « *domina omnium creaturarum, utpote mater creatoris, adiutrix redemptoris, regina creationis et regenerationis* » (*Mar.*, q. 166). « Totam habet beatissima Virgo potestatem in caelo, in purgatorio, et in inferno » (*Mar.*, q. 43).

3. **De cultu B. M. V.** S. Albertus explicite docet B. Virginem colendam esse cultu hyperduliae: « B. Virgo hyperdulia est adoranda: licet enim honor matris ad regem refertur, tamen quia per deitatem aliam generationem habuit Filius, honor divinus ei non debetur, sicut deitatem Filius ab ipsa non accepit » (*In III Sent.*, art. 7).

Asserit quod « Multum diligenda est beata Virgo a quolibet christiano, propter hoc, quod est inextinguibile lumen eius. Necessitas vero auxilii B. M. V. pro nostra aeterna salute ita perpulchre significatur in Serm. in *Nativ. B. M. V.*, I, 1-3: « Quia languidi et infirmi sumus, *currum nobis exhibet B. Maria, in quo*

deportemur. De quatuor autem rotis huius currus ipsa dicit: Ego mater pulchrae dilectionis et timoris et agnitionis et sanctae spei. Igitur pulchra dilectio et timor Domini et agnitio, id est, fides, et sancta, id est firma spes, sunt quatuor rotae in curru sive quadriga B. Mariae. *Qui in hoc curru deportatus non fuerit numquam laete faciem Dei videbit ...* Rogate ergo Dominum, ut sic nunc in curru virtutum, quarum Virgo Maria Mater est, vehamur, sicque per illam in rectam viam perducamur, ut etiam ipsa duce haereditati perpetuae restituamur ». Quae cum ita sint, ad B. Virginem necessario recurrere debemus: «Necessarium ergo nobis est, ut quemadmodum cervus desiderat ad fontes aquarum, ita et anima nostra desideret ad Virginem benedictam » (*Sermo in Nativ. B. M. V.*, II, 2-4). Hortatur omnes ad munuscula nostra per manus Mariae Deo offerenda: «Bonum est ... ut nos peccatores munuscula nostra ... per hanc fidelem naviculam nostro iudici praemittamus, ut, cum venerimus, ipsum propitium inveniamus. Ipsa quippe optime aget negotium nostrum » (*Serm. in Dom. V post Trin.*, I, 1).

CONCLUDERE igitur possumus cum S. Alberto: «Rogemus ergo carissimi, hanc gloriosam stellam, ut nobis in praesentis exilii peregrinatione constitutis, sic radios suae pietatis transmittat, ut radiorum ipsius ducatu quilibet nostrum in patriam perpetuae felicitatis perveniat » (*Sermo in Nativit. B. M. V.*, § II, vol. 13).

c) DE B. M. V. CONSIDERATA IN SEMETIPSA.

I. **De immunitate B. M. V. a culpa.** Asserit explicite immunitatem a qualibet culpa *actuali*. «Quod B. Virgo declinationem a malo habuit excellentius omnibus viatoribus, patet ex hoc quod *sola* ipsa viatrix fuit quae numquam peccavit » (*Mar.*, q. 50). Et ideo «tota pulchra es ab originali, tota pulchra es a mortali, et macula, i. e. veniale peccatum non est in Te » (*Mar.*, q. 139). Attamen, illa pulchritudo «ab originali » intelligenda est per liberationem seu mundationem non vero per praeservationem. Etenim, S. Doctor explicite docet B. Virginem contraxisse peccatum originale sicut ceteri: «B. Virgo contraxit peccatum prius, et postea sanctificata fuit » (*In III Sent.*, Dist. III, art. 8); «Quamvis culpam traxerit, tamen ante ortum eius ex utero per sanctificationem spina dealbata fuit » (*In Ev. S. Lucae*, p. 68 ed. Lugd.). *In III Sent.*, Dist. III, a. 4: «Beata Virgo non fuit sanctificata ante animationem: et qui dicunt oppositum est haeresis condemnata a B. Bernardo in Epistola ad Lugdunenses et a magistris omnibus Parisiensibus ».

Pariter in III Sent., d. 3, a. 5: «Utrum post animationem, et ante nativitatem ex utero sanctificata fuerit? Dicendum est quod ante nativitatem ex utero sanctificata fuit: sed quo die vel qua hora nescire quemquam hominum, nisi per revelationem, nisi quod probabilius est, quod cito post animationem conferatur, quam longe expectetur ».

In Mar. q. 163 scribit: «Sed quaeritur illud, quare et unde fuerit quod non fuit sine originali labe concepta? Dicimus quod fuit impossibile nisi concipe-

retur de virgine, et sic mater sua fieret virgo mater et non esset suum privilegium, scilicet quod esset mater virgo, cum hoc matri prius fuisset communicatum ». Ex ultimis hisce verbis clare apparet connexio inter culpam originalem et conceptionem non virginalem.

2. **De plenitudine gratiae et virtutum.** Plenitudo gratiae sub omni veluti respectu a S. Alberto exponitur. Sufficiant sequentes textus: « Salutavit Angelus beatissimam Virginem permutando nomen proprium « Mariam » et nomen novum imponendo, sc. « gratia plena » quod nulli alii convenit, neque Deo neque creaturae, secundum quod plenitudo gratiae intelligitur susceptive; Deus enim nihil habet susceptive gratiae. Nulla alia creatura plena est gratia susceptive praeter beatam Virginem, quae sola tantum accepit, quod pura creatura recipere plus non potuit. Unde hoc ei ita proprium fuit, quod ei Angelus illud proprio nomine, hoc est, gratia plena, imposuerit » (*Mar.*, q. 32).

« Ipsa omnium bonitatum universaliter distributiva. Inde dicitur “Stella Maris”: quia omnibus praesentis vitae gratiis semper plenissima. Inde dicitur Maria: quia sicut in mari est congregatio omnium aquarum, ita in ipsa est aggregatio omnium gratiarum » (*Mar.*, q. 29).

Quid nobis ex plenitudine gratiarum Mariae venerit? Fuit... ista plenitudo secundum omnem plenitudinis rationem plenitudo perfectissima ».

1) Est enim plenitudo, alia dativa et non receptiva, quae soli Deo convenit...

2) Alia est receptiva et haec triplex:

a) Quaedam enim est receptiva et dativa et non retentiva: et haec est *plenitudo canalialis*. Et sic beatissima Virgo plena est gratia omnium quantum ad numerum gratiarum, quae *omnes ad numerum* transeunt per ipsius manum...

b) Est autem secunda plenitudo receptiva et retentiva et non dativa: et haec est *plenitudo vasis*. Et secundum hanc plenitudinem plena fuit omnibus gratiis.

c) Et est plenitudo receptiva, dativa et retentiva: et haec est *plenitudo fontis*, qui est plenus et tamen effluit. Hac plenitudine plena fuit etiam beata Virgo, a qua continue effluit gratia, et tamen ipsa semper est plena gratia... Ex fonte enim huius plenae plenitudinis profluit omnis plenitudo humani generis.

Ex his igitur manifestum est qualiter beatissima Virgo omni gratia, omni plenitudine, omni ratione plenitudinis, et omnibus modis, gratia plena fuit » (*Mar.*, q. 164).

« Alii sancti acceperunt... gratiam creatam particulariter: ipsa autem creatam universaliter, et incretam singulariter » (*Mar.*, q. 154).

« Item Deus dat omnibus abundanter et illuminat omnem hominem, non tamen recipiunt aequaliter, nec omnes aequaliter illuminantur, cuius diversitatis causa duplex esse videtur: *Una ex parte recipientis*: quia unum est magis capax ad recipiendum quam alterum... Hanc autem capacitatem operatur humilitas, iuxta illud: “Humilibus dat gratiam” » (*Act.*, 4, 5; *1 Petr.*, 5, 5).

« Ergo ubi maior humilitas, maior est capacitas; sed in beatissima Virgine inter omnes creaturas maxima fuit humilitas; ergo maximam gratiam recipere potest: sed quantum recipere potuit, tantum recepit: ergo gratiam in summo creaturae habuit.

« *Ex parte dantis*, venit diversitas doni: quia cum dans dat secundum rationem et ratio

respiciat finem, ut imperator magis dat cui daret donum ad essendum senatorem, quam cui daret ad essendum simplicem servientem.

« Sed Beatissimae Virgini dabatur donum ad essendum Matrem Dei, omnibus aliis dabatur gratia ad essendum servos Dei.

« Sicut igitur improportionabiliter maius est esse matrem Dei, quam servum Dei, ita improportionabiliter est maius donum quod est ad essendum Matrem Dei quam quod est ad essendum servum Dei: sed donum in quo omnia alia donantur est charitas: ergo beatissimae Virginis charitas est improportionabiliter maior charitate omnis creaturae » (*Mar.*, q. 46).

« Eccles. 24, 25: "In me omnis gratia viae et veritatis". Hoc interpretatur Ecclesia de Beata Virgine. Ergo fuit omni gratia plena. Praeterea, indefinita est in arte logica universaliter intelligenda. Item, beneficia principum largissime sunt interpretanda. Igitur cum Dominus in privilegio suo per Angelum transmissum appellet eam, "gratia plena", nullam gratiam specificando, erit pro omnibus universaliter interpretandum » (*Mar.*, q. 35).

Postquam in tribus quaestionibus Marialis (33-35) de plenitudine gratiae in genere egit, S. Albertus in particulari agit *a*) de gratiis sacramentalibus (qq. 36-43), *b*) de virtutibus (q. 44-61), *c*) de donis Sp. S. (qq. 62-69), *d*) de beatitudinibus (qq. 70-77), *e*) de aureolis (qq. 77-81), *f*) de fructibus Spiritus S. iuxta enumerationem Ep. ad Gal. V, 23 (qq. 82-94), *g*) de gratiis gratis datis iuxta enumerationem Ep. I ad Cor. VII, 8-10 (qq. 95-122). Haec omnia singillatim, licet currenti calamo, exponere, longum esset.

3. **De scientia B. M. V.** In Mariali, S. Albertus ubi agit de gratiis gratis datis (sermo scientiae) in qq. 96-III, demonstrat B. Virginem cognovisse omnes scientias, theologiam sicut trivium et quadrivium et omnes artes (q. 97: Utrum sciverit artes mechanicas, muliebres, subtiliores et nobiliores, sicut eas quae fiunt aurifrigiis et sericis operationibus et subtilioribus suturis et huiusmodi). In hac re — ut patet — excedit omnino.

4. **De perpetua virginitate Deiparae**, praesertim agit in tractatu *de Natura boni*; de perpetua virginitate *post partum* ex professo agit in III Sent. Dist. IV, art. 5 (Borgnet, t. 28, 82-86).

5. **De assumptione B. M. V.** « Rationibus et auctoritatibus et multis aliis » innixus, docet quod « beatissima Dei Mater in corpore et anima super choros Angelorum est assumpta. Et hoc modis omnibus credimus esse verum ». Ad auctoritates oppositas insuper respondet (*Mar.*, q. 132, p. 184). Summam Deiparae exaltationem in caelis ita describit in *Mar.*, q. 61: « Tertius gradus visionis patriae est visio gloriosae Virginis "Matris Dei" quae super omnes creaturas improportionabiliter et limpidissime et propinquissime contemplatur maiestatem Dei, utpote super omnes choros Angelorum exaltata, et ideo tres hierarchias supergressa in quarta a dextris cum Filio eius, id est, in potioribus bonis collocata » (cfr etiam *Mar.*, q. 251).

11. IACOBUS A VORAGINE, O. P. († 1298)

Natus est in loco vulgo Varazze, prope Savonam, a. 1228 vel 1230. Ordinem Praedicatorum ingressus, per plures annos Theologiam docuit. Anno 1292 Episcopus Ianuensis creatus est. Reliquit, inter alia scripta, *Sermones* super Evangelia dominicarum, festa Sanctorum totius anni, per quadragesimam integram, *cum sermonibus de planctu B. M. V.* et *Mariale aureum in 160 sermones distributum*. Pluries sermones isti editi fuerunt, videlicet, Brixiae, a. 1483, Absburgi, a. 1484, Venetiis, a. 1497 et 1544. Procedit modo valde scholastico, cum divisionibus et subdivisionibus.

12. GULIELMUS WARE, O. Min. († a. c. 1300)

Fuit Magister Scoti. Docuit Oxonii et postea Parisiis. Appellatus fuit « Doctor fundatus ». Est celebris ob quaestionem de Immaculata Conceptione. In Commentario in III librum Sententiarum quaerit: « utrum beata Virgo concepta fuerit in originali peccato », et respondet: « Est opinio, quod non contraxit originale. Quam volo tenere, quia, si debeam deficere, cum non sim certus de altera parte, magis volo deficere per superabundantiam, dando Mariae aliquam praerogativam, quam per defectum, diminuendo vel subtrahendo ab ea aliquam praerogativam, quam habuit; sicut in quaestione, qua quaeritur de potentia Filii sui. Unde primo volo ostendere *possibilitatem*, secundo *congruentiam*, tertio *actualitatem* ». De *possibilitate* agens statuit *mundationem carnis*: « caro fuit mundata, non dico sanctificata, quia sanctificari non potest, nisi quod est susceptivum peccati et gratiae ». *Congruentiam* verbis D. Anselmi explicat; et « *quod sic factum sit* », iuxta ipsum testantur plures auctoritates. Illam celebrem difficultatem, quam moverat S. Bernardus et alii repetiverunt: « vel fuit sanctificata ante conceptionem, vel in conceptione vel post », solvit dicens: « Procedit ex falsa imaginatione; ac si idem esset sanctificatio et mundatio »; ad aliam vero scholasticorum rationem: « Si fuisset sine peccato, non indignisset redimi a Christo », respondet cum S. Anselmo: « Tota munditia matris fuit a Filio » (cfr Fr. GULIELMI GUARRAE, Fr. IOANNIS DUNS SCOTI, Fr. PETRI AUREOLI, *Quaestiones disputatae de Immaculata Conceptione B. M. V.*, Quaracchi, 1904, pp. XII-XIII). Celebre effatum ergo: « potuit, decuit, fecit » non iam Scoto (prout communiter fit) sed Gulielmo tribui debet. Scotus enim numquam illud adhibuit.

VII). - SAEC. XIV

I. IOANNES DUNS Scotus O. Min. († 1308)¹

Natus est in Duns, Scotia pago circa a. 1265. Habitum Minorum induit Oxonii, ubi etiam studia theologica peregit, magistro Gulielmo Ware. Anno 1289 Oxonii grammaticam docere caepit. Circa a. 1300, postquam magister eius Gulielmus Ware, Parisios profectus est, theologiae cathedram ascendit, et *Opus Oxoniense* seu Commentarium in Libros Sententiarum composuit. Anno 1304 Parisios missus est, ubi novum Commentarium in Libros Sententiarum scripsit, cui titulus *Opus Parisiense* seu *Reportata Parisiensia*, in quo Opus Oxon. resumit et complet. Anno 1308 Parisios reliquit et Coloniam se contulit, ubi die 8 novembris a. 1308 obiit. Post saec. XVIII Scotus a quibusdam scriptoribus (e. g. Ios. Antonius Ferraris, O. F. M. Conv., † 1775) appellatus fuit *Doctor Marianus*.

Doctrina Scoti circa B. M. V., praesertim in duobus prae laudatis operibus invenitur, i e. 1) *Opus Oxoniense* (*In III Sent.*, dist. III, q. 1, ed. Vivès, t. 14) 2) *Reportata Parisiensia* (*In III Sent.*, dist. III, q. 1, ed. Vivès, t. 23).

Mariologia Scoti, si quaestionem de Immaculata Conceptione B. M. V. excipias, parum evoluta apparet. Quaestiones enim quas ex professo pertractat, tres sunt, videlicet: 1) de maternitate divina, 2) de virginitate perpetua et 3) de immaculata Conceptione. « Le Docteur Subtil — scribit Raymond — ne touche qu'incidemment aux autres privilèges de Marie. Ses doctrines ne présentent aucune particularité caractéristique » (l. c., 1898).²

a) **De maternitate divina.** Praeter factum maternitatis divinae, duo Scotus illustrat, videlicet: a) *modum conceptionis* Christi, tribuens B. Virgini non partem tantummodo passivam i. e. ministracionem materiae (sicut S. Thomas qui sequitur Aristotelem) sed partem etiam activam, iuxta theoriam Galeni cui — tamquam perito in arte sua — Scotus adhaeret (*In III Sent.*, dist. IV, q. 1, n. 3, n. 5-8).

¹ Bibliographia: BALIĆ C., O. F. M., *Ioannis Duns Scoti Doctoris Mariani Theologiae Marianae elementa*, 1933 (p. 452), Sibenik; *De debito peccati originalis in B. Virgine Maria*. Investigationes de doctrina quam tenuit Iohannes Duns Scotus, Romae 1941. INNOCENTI B., O. F. M., *Il concetto teologico della maternità divina in Giovanni Duns Scoto*, in *Studi Francescani* III (1931) 404-30; LEDOUX A., *Il Ven. Giovanni Duns Scoto, Dottore di Maria*, in *Rivista Mariana Mater Dei*, 1933, pp. 47-51; 13-19; 17-22; RAYMOND, O. M. Cap., in *Dict. de Théol. Cath.*, t. 7, coll. 1073-1078, 1108-1115; URIBESAGO I., *La Corredención Mariana a la luz de la Cristologia de Escoto*, in *Estudios Marianos*, 3 (1944) 219-223. VAN DE WOESTIYNE, O. F. M., *Iohannes Duns Scotus over Maria*, in *Handelingen van het Vlaamsch Maria-Congres te Brussel*, 1927, pp. 318-327.

² Circa Praedestinationem B. M. V. ad mentem Scoti, cfr BALIĆ, *La Prédestination de la Très Sainte Vierge dans la doctrine de Jean Duns Scot*, in *La France Franciscaine*, t. 19, pp. 114-48.

b) Scotus insuper, (contra Petrum Lombardum, S. Thomam et S. Bonaventuram) admittit in Christo duplicem filiationem *realem*, unam cum Patre aeterno et aliam cum Maria (*In III Sent.*, dist. IV, q. 1, n. 7-12).

b) **De virginitate perpetua.** Scotus (post S. Bonaventuram et Henricum Gandavensem) docet B. Virginem emisisse ante matrimonium votum *absolutum* virginitatis (non vero *conditionatum*, prout putabant Petrus Lombardus et S. Thomas, i. e. *nisi Deus aliter iuberet*). Attamen, hoc voto non obstante, potuit verum matrimonium cum S. Ioseph contrahere, eo quod Deus ei revelaverat quod tale matrimonium nihil de facto contra tale votum exigebat. Virginitas et matrimonium « non opponuntur aliqua oppositione formali, nec ut privativa, nec ut contraria » (*In III Sent.*, dist. IV, q. 1, n. 15). Mater enim dicitur femina illa quae filii sui productioni cooperatur, illa autem virgo esse potest si causa, cuius ipsa adiutorium existit, ad ordinem supernaturalem pertinet, eo quod virginitas nonnisi causam ordinis naturalis excludit. Etiam ad partum virginalem novum requirebatur miraculum; et in hoc Scotus amplectitur explicationes communiter datas (l. c.).

Iuxta principia a Scoto admissa (*In II Sent.*, dist. XXIX, n. 4; dist. XXXII, n. 4; *In III Sent.*, dist. III), *fomes peccati* in B. Virgine non fuit ligatus sed omnino extinctus.

c) **De Immaculata Conceptione B. M. V.** In hac re valde exaggeratum est et adhuc valde exaggeratur meritum Scoti.¹ Veritas haec esse videtur: Scotus *possibilitatem* triplicis hypothesis² (iam a Gulielmo Ware indigitatae) et quidem rationibus validissimis pro unaquaque adductis, demonstrare voluit sive in Op. Oxon. sive in Op. Paris. Conclusio vero in op. Oxon. haec est: « Quod autem horum trium, quae ostensa sunt *possibilia* esse, factum sit, DEUS NOVIT ». Et in Op. Paris.: « Quid ergo tenendum in quaestione? NIHIL ASSERO ». Et rursus solvendo etiam obiectiones contra triplicem hypothesim adductas, *possibilitatem* triplicis hypothesis ostendit. Scotus igitur, veluti suspensus haeret. Verum quidem est in Op. Oxon. (L. III, d. 18, q. unica, t. 14, 684) Scotum assertive scripsisse: « Est ibi (in caelis) etiam B. Virgo Mater Dei, quae numquam fuit inimica ratione peccati actualis, nec ratione originalis; fuisset tamen nisi fuisset praeservata »; attamen verum etiam est ipsum Scotum, ultimo vitae suae anno

¹ Ita, e. g., P. Godts haec scribere non veritus est: « C'est le fameux *decuît*, *potuît*, *ergo fecit*, qui a mis Duns Scot sur la voie de la *découverte* de l'Immaculée Conception » (*Définibilité dogmatique de l'Assomption Corporelle de la T. S. Vierge*, Esschen, 1924, p. 92). Lauenoy, in op. « Praescriptiones de Conceptione B. M. V. » (Op., Coloniae Allobrogorum, 1731, T. I, p. 1, Praescr. III) asserit Scotum primum inter omnes Immaculatam Deiparae conceptionem docuisse. Ita etiam alii.

² « Deus potuit facere, ut ipsa *numquam* fuisset in peccato originali; potuit etiam fecisse, ut tantum *in uno instanti* fuisset in peccato; potuit etiam fecisse ut per *tempus aliquod* esset in peccato, et in ultimo illius temporis purgaretur » (Op. Oxon. 1. 3, d. 3, q. 1. cfr BALIĆ, o. c. pp. 28-29).

in Op. Paris. (L. III, d. 18, q. 1) *dubitative* scripsisse: « numquam fuit inimica actualiter ratione peccati actualis, et FORTE nec pro peccato originali, quia fuit praeservata, ut supra dictum est ». ¹ Eo vel magis quod in opere *Theoremata*, quae certe ad Scotum pertinent — prout apodictice demonstravit P. Balić — Immaculata Conceptio NEGATUR (cfr BALIĆ, o. c., p. CXXII) prout ipsemet P. Longpré concedit (ibid.).

B. Virgo nullum habuit peccatum et ideo sacramento poenitentiae non indiguit (Op. Paris. l. IV, dist. XVII, q. unica). Pariter non indiguit sacramento extremae unctionis (Op. Paris., l. IV, dist. XXIII, q. unica).

De relationibus B. M. V. erga homines et etiam de *mediatione* nihil dicit. Asserit tantummodo quod « Beata Virgo habet auctoritatem impetrandi non imperandi » (Op. Paris., l. IV, dist. 48, q. 2). De cultu vero B. M. V. asserit tantum quod « Mariam adoramus hyperdulia » (Op. Oxon., l. III, dist. 9, q. unica).

Ex dictis patet quomodo Scotus, nonnisi modo valde relativo, *Doctor Maria-nus* appellari valeat, cum alii sint (ut S. Albertus M., S. Bonaventura, S. Bernardus etc.) qui potiori iure tali honorabili appellativo donari possint.

2. B. RAYMUNDUS LULLUS T. O. S. Franc. († 1316) ²

Natus est Palmae in Insula Maioricae a. 1232 vel 1235. A mundana ad honestam vitam conversus, bonis omnibus venditis, habitum eremitae induit. Plura itinera in Europa, Asia et Africa suscepit. Anno 1286 Parisios se contulit, ubi, suam *Artem magnam* legit. Mortuus est a. 1316. Appellatus est « Doctor illuminatus ». Innumera reliquit scripta, inter quae sequentia:

1. *Disputatio Eremitae et Raymundi super aliquibus dubiis quaestionibus sententiarum Petri Lombardi* (Parisiis, mense aug. 1298), ed. Mayence, t. 4. « Dans ces questions sur *le Livre des sentences* se trouve affirmée, sinon expliquée d'une façon parfaite, l'Immaculée Conception, probablement pour la

¹ Status iste animi Doctoris subtilis in quaestione de Immaculata, communiter excusatur appellando *ad modestiam* et etiam *ad prudentiam*, eo quia loquebatur in Universitate Parisiensi ubi multi aderant adversarii. At rationes istae sufficientes non videntur. Scotus, enim, in aliis quaestionibus (cum certae ipsi videbantur), diverso modo ac in quaestione de Immaculata procedit, id est, assertive omnino, absque ullo metu. Quare solummodo in quaestione de Immaculata, si certus de illa fuisset, cum tali metu procedere debuit? ... Insuper, Scotus quid *inauditum* in illa universitate minime docebat. Immediate enim ante ipsum docuerunt ibi duo doctores immaculatistae, videlicet Raymundus Lullus (a. 1298) et Gulielmus Ware, qui assertive, non vero dubitative, doctrinam de Immaculata conceptione proponebant. Petrus Aureolus O. F. M. († 1322) in suo Tractatu de Conceptione B. M. V. (anno 1314 conscripto) asserit *magnum numerum* illustrium doctorum praedicasse et praedicare etiam tunc, quolibet anno, *Parisiis* et in Anglia, B. Virginem non contraxisse peccatum originale. Ergo, cur timendum? ...

² Cfr. CALDENTY M., T. O. R., *La Corredención de la Virgen a la luz del Doctor Iluminado Bto. Ramon Lull*, in *Estudios Marianos* 3 (1944) 387-322.

première fois à Paris. Mss. à Rome, Vatic. lat. 1442 et Urbin. — lat. 1394, f. 91 et 1442 et à Oxford, Merton College, cod. 89 Littré n. 22 » (Ita P. LONGPRÉ, *Dict. Théol. Cath.*, t. 9, col. 1098).

2. *Liber de Sancta Maria*, (Montpellier, 1290) ed. Parisiis 1499 (textus catalanus in *Obres*, t. 10, pp. 3-228). Opus in 30 capita dividitur. Tres personae (*Lausor, Oracio et Intencio*) in suis dialogis, de virtutibus B. M. V. et praesertim de potentia intercessionis eiusdem loquuntur.

3. *Plant de Nostra Dona Santa Maria*. R. D'ALÈS, *Poésies*, pp. 53-75, 153-155; ROSSELLÓ, *Obras rimadas*, p. 134. Est poema 32 strophis constans, probabiliter a. 1283-1285 compositum.

4. *Horas de Nostra Dona Santa Maria*, ed. ROSSELLÓ, *Obras rimadas*, pp. 150-172. Est poema in 7 partes, iuxta horas canonicas, divisum. R. D'ALÈS, *Poésies*, p. 10.

Liber « *Benedicta tu in mulieribus* » (in quo Immaculata Conceptio egregie vindicatur), nec non Liber « *de conceptu virginali* » (Hispani, 1491: ROBERTUS DE MANRESA, O. M. C., *Libro de la concepción virginal*, Barcelona, 1906) authentici non videntur (cfr LONGPRÉ, l. c., coll. IIII-III).

Praecipua capita doctrinae marinae Raymundi Lulli haec sunt:

I. Profitetur PRAEDESTINATIONEM absolutam B. M. Virginis ad maternitatem divinam (una cum Christo) ante praevisionem lapsus. Ratione huius aeternae electionis ad maternitatem divinam, SS. Trinitas talem similitudinem suarum dignitatum impressit in ipsa, ut mundus diceret Deo se saturatum esse (*Arbor scientiae*, pp. 403, 439). Pulchritudo spiritualis et corporalis B. M. V. excedit pulchritudinem omnium aliarum creaturarum simul sumptarum (*Liber Contemplationis*, l. V, c. 285, n. 25, p. 211, *Opera*, ed. Mayence, t. 9 et 10).

2. Explicite docuit IMMACULATAM VIRGINIS CONCEPTIONEM. « Lulle exalte magnifiquement la pureté de la Vierge et affirme, au moins à trois reprises, la conception sans tâche mais l'explique défectueusement à la suite des théologiens du XII siècle... Le mérite vrai de Lulle est d'avoir conservé la tradition qui remonte à Eadmer et à Alex. Neckam et de l'avoir affirmée à Paris en 1298 » (LONGPRÉ, l. c., col. 1128).

3. In 30 capitibus libri *de Sancta Maria* fuse agit DE VIRTUTIBUS et praesertim de bonitate B. M. V. (pp. 15-24), de gratia eius incomparabili (pp. 81-83), de puritate (pp. 87-92) nec non de pulchritudine eius (pp. 107-113).

4. Fuse etiam et mirabiliter de MATERNITATE SPIRITUALI B. M. V. agit, cuius dominium ad omnia loca se extendit (nn. 133-138). Agit de sua erga homines pietate (pp. 181-188), de sua inexhaustibili misericordia (pp. 99-102) erga iustos et peccatores (pp. 155-157).

Quare non possumus non subscribere verbis P. Longpré: « Est-il étonnant que l'histoire de la théologie et de la piété l'ignore (la doctrine mariale de R. Lulle) complètement » (ibid., col. 1128).

3. **PETRUS THOMAS, O. Min.** (saec. XIV)

Fuit fidelis Scoti discipulus, et iuxta quosdam etiam alumnus. Parisiis lauream Magistralem obtinuit, Barcinone docuit. Ab aequalibus 'suis « Doctor strenuus, proficuus, serenus, invicibilis » appellatus est. Scripsit, inter alia egregia opera, *Tractatum de Conceptione B. M. V.*, editum a Pietro Alva y Astorga in op. *Monumenta antiqua seraphica ...*, Lovanii, 1665, pp. 212-274. Tractatus iste in tres libros dividitur, quarum primus in tres partes subdividitur, secundus in sex partes, tertius vero unam tantum partem habet (cfr. TEETAERT, in *Dict. Théol. Cath.*, t. 12, coll. 2046-2049).

4. **DANTES ALIGHIERIUS** (1265-1321)¹

Etiam maximus Italiae vates inter praecipuos scriptores marianos recenseri meretur. In suo enim poemate quod « è la voce di dodici secoli cristiani » (CARDUCCI, *L'opera di Dante*, Discorso, p. 45, Bologna, 1888) plura habentur relate ad doctrinam B. M. V. « Maria — aiebat Card. Alimonda — è il fermaglio d'oro dell'epopea dantesca ». Deipara enim, prout est Mediatrix inter Deum et homines, veluti fulcrum constituit circa quod totum poema vertitur. Est veluti demonstratio huius theseos: « Nemo venire potest ad Deum nisi per Christum. Nemo vero venire potest ad Christum nisi per Mariam », prout in nostro op. demonstravimus. Dantes iure appellari potest *poëta Mediationis Marianae*.

5. **PETRUS AUREOLUS, O. Min.** († 1322)²

Percelebris Minorita, Magister Parisiensis, qui ob suam scientiam « Magister praecipuus », « Doctor eximius », « Doctor novus » et persaepe etiam « Doctor facundus » appellatus est. Anno 1304 Parisiis erat Scoti aemulus, forsan adhuc studens: licentiatuus enim fuit a. 1318. Anno 1312 Bononiae docebat, et anno 1314 Tolosae, ubi eodem anno celebrem *Tractatum de conceptione B. M. V.* composuit.³ Die 8 dec. 1314, sermonem de conceptione immaculata B. M. V.

¹ ASIOLI L., *La Madre del Redentore nel poema di Dante Alighieri*, Fano, 1933; CICCHITTO L., O. F. M. Conv., *Maria Mediatrix universale in S. Bonaventura e Dante*, Roma, 1936; LÉPICIER Card. A., *La Vierge Marie dans le poème de Dante*, Roma, 1934; POLETTI G., *La Vergine-Madre nelle opere e nel pensiero di Dante Alighieri*, Siena, 1905; ROSCHINI G., O. S. M., *La necessità della divozione a Maria nella Divina Commedia*, Venezia, 1936.

² Cfr TEETAERT AM., O. M. Cap., *Pierre Auriol*, in *Dict. de Théol. Cath.*, t. 12, coll. 1810-1881; IDEM, *De Marialeer van Petrus Aureolus*, in *Handelingen van het Vlaamsch Maria-Congres te Brussel*, (1921).

³ Cfr op. Fr. GULIELMI GUERRAE, Fr. IOANNIS DUNS SCOTI, Fr. PETRI AUREOLI *quaestiones disputatae de immaculata conceptione beatiae Mariae Virginis*, Quaracchi, 1904, pp. 23-84.

habuit, a Dominicanis acriter impugnatum; conclusiones vero huius disputationis, cui sermo occasionem praebuerat, in synthesim redegit a. subsequenti 1315 in *Repercussorium editum contra adversarium innocentiae Matris Dei*.

Anno 1321 Archiepiscopus Aiacensis (Aix) electus fuit, et anno subsequenti, cum fama sanctitatis obiit. Quaedam de B. M. V. inveniuntur etiam in Comm., in *Libr. Sentent.* « En Mariologie, Auriol occupe une place éminente. Il est en effet, le premier¹ qui ait écrit *ex professo* un traité sur l'immaculée conception de Marie: *Tractatus de Conceptione B. M. V.*, il a contribué, dans une large mesure, à accorder à la mariologie une place de choix en théologie » (TEETAERT, l. c., col. 1873). Praecipua capita Mariologiae illius haec sunt:

a) **De divina maternitate.** Fuit privilegium gratis omnino ei a Deo concessum, absque ullo merito vel iure (*Tract. de Concept.*, ed. cit., pp. 56-57; *In III Sent.*, Dist. III, q. I. a. 4 et 7). Privilegium istud fons est omnium aliorum, eo quod omnia alia privilegia intuitu maternitatis divinae, B. Virginis a Deo collata fuerunt (*Tract. de Concept.*, p. 92). Privilegium hoc est maximum quod a Deo creaturae concedi possit post gratiam sanctificantem (*In III Sent.*, Dist. III, a. 4 et 7). Asserit quod Deus B. Virgini dedit, gradu eminenti, omnes gratias et omnia dona aliis sanctis collata (*In III Sent.*, dist. XIX, a. 3; *Tract. de Concept.*, p. 67).

b) **De perpetua virginitate Deiparae.** Tenet B. Virginem nedum talem [semper fuisse, sed virginitatis *votum* ante suum matrimonium emisisse (*In IV Sent.*, dist. XXX, a. 2). Matrimonium hoc validum fuit eo quod essentia matrimonii consistit « in translatione mutua corporis viri in mulierem et e converso, non vero in carnali copula seu in usu illius translationis » (ibid.).

c) **De immaculata conceptione.** In hoc privilegio vindicando praesertim excellit. Docet B. Virginem, in ipso primo instanti unionis animae cum corpore, speciali et gratuito privilegio (*Tract. de Concept.*, pp. 57, 63, 78, 82), intuitu meritorum Christi, *de facto* non contraxisse peccatum originale: quod tamen *de iure* contrahere debuisset, quia communi modo concepta (*Tract. de Concept.*, pp. 48, 87, 89). Fuit ergo a Christo sublimiori modo redempta (*Tract. de Concept.*, pp. 56, 60, 63, 79, 84, 88). Argumentatio eius ad haec tria verba restringitur: *potuit, decuit, fecit*. « Deus de potentia ordinata potuit virginem praeservare, ne originale contraheret » (*Tract. de Concept.*, pp. 49-52; *In III Sent.*, I a. 3). Ulterius demonstrat quod « de summa decencia ipsam Deus potuit praeservare » ne originale contraheret (*Tract. de Concept.*, pp. 53-71; *In III Sent.*, dist. III, q. 1, a. 4). Et concludit quod « absque fidei periculo potest teneri, quod Deus eam praeservavit *de facto* » (*Tract. de Concept.*, pp. 71-78; *In III Sent.*, dist. III, q. I, a. 4). Affirmat in suo Tractatu quod magnus numerus illu-

¹ *Primus* dici potest *relative tantum* i. e. inter fratres Minores, non vero absolute, cum primatus iste Eadmero Cantuar., tribui debeat.

strium doctorum praedicaverunt et praedicant etiam nunc, quolibet anno, Parisiis et in Anglia, B. Virginem non contraxisse peccatum originale. Attamen, iuxta ipsum, neque affirmatio neque negatio huius privilegii veritatem fidei constituit, quia Ecclesia nondum hoc definivit.

Ex immunitate a peccato originali, Aureolus ad immunitatem a FOMITE CON-
CUPISCENTIAE iure concludit, quae concupiscentia « non tantum fuit mitigata seu ligata, sed totaliter extincta et deleta » (*Tract. de Concept.*, pp. 57, 65, 79, 82, 86, 90, 92, 93; *Repercuss.*, p. 152; *In I Sent.*, dist. III, q. I, a. 4; *In III Sent.*, III, q. 1, a. 6). Admittit insuper immunitatem a quolibet vel minimo peccato actuali, immo impeccabilitatem (*Tract. de Concept.*, pp. 64, 78, 84, 85-86; *In III Sent.*, dist. III, q. I, a. 3, 4, 6, 7).

Inde a primo instanti unionis animae cum corpore, B. Virgo gratiam sanctificantem, simul cum omnibus virtutibus et donis supernaturalibus recepit. Haec autem gratia iugiter, usque ad mortem, in ipsa crevit, ita ut in ipso momento maternitatis divinae tantam gratiam habebat, qualem nullus umquam homo habuit.

d) **De assumptione B. M. V.** Asserit et probat quod dubitari non potest corpus B. M. V. in caelum assumptum fuisse; hoc autem non est dogma fidei sed pia tantum sententia (*Tract. de Concept.*, pp. 60, 61, 62, 64, 80, 89; *Repercuss.*, p. 151; *In III Sent.*, dist. III, p. I, a. 3 et 4).

e) **De mediatione B. M. V.** ex professo non agit. Tenet tamen quod B. Virgo cooperata est redemptioni generis humani praesertim per liberum suum consensum in incarnationem et mortem Christi (*In I Sent.*, dist. XLVIII, a. 2 et 3). Ipsa est « causa omnis gratiae ». Ex variis modis dicendi quibus passim utitur, teneri potest illum sententiam distributionis omnium gratiarum implicite docuisse.

[6. SIMON De Cassia, O. E. S. A. († 1348)

Scrpsit opus « De B. Maria Virgine » lib. I editum Basileae, typis Adae Petri 1517.

7. NICOLAUS PETRI, Senensis O. S. M. († 1349)¹

In praeclaro opere *Sermones de Sanctis*, anno 1501 typis impressum, plures habentur sermones de B. Virgine (tres de Conceptione, quinque de Purificatione, quatuor de Annuntiatione, duo de Nativitate, duo de Assumptione, unus de Sancta Maria ad Nives) in quibus varia elementa doctrinalia inveniuntur.

8. RICHARDUS RADULPHUS († 1359)

Fuit Oxoniensis Gymnasii Cancellarius. Scripsit opus « De laudibus B. M. V. », lib. I, editum Parisiis apud Io. Parvum, 1511.

¹ Cfr *Monumenta Ordinis Servorum B. M. V.*, t. I, p. 165.

9. **B. HENRICUS SUSONIUS, O. P.** († 1365)

Edidit: 1) *De Commendatione et encomio Illustrissimae Reginae Caelorum*. 2) *De Matris Dei ineffabili Dolore et Compassione*. 3) *De Mariae Planctu*. 4) *De recessu a Sepulchro, seu de Separatione Virginis a Filio*. 5) *De Compassione Virginis Matris, mediationem*. 6) *Ad B. Virginem Orationes 4*.

10. **RAYMUNDUS IORDANUS** (1381)

Fuit Canonicus Regularis S. Augustini, praepositus Useciensis (Uzès) et postea Abbas Cellensis (Celles). Asserunt quidam, humilitatis gratia, *Idiotae* nomen sibi imposuisse. At, verius dicitur tali nomine appellatum fuisse quia verum eius nomen per plura saecula ignotum fuit; tantummodo enim saeculo elapso inventum est a Theophilo Raynaud in documento quodam in quo legitur: «Raymundus Iordanus licentiatius in decretis». ¹ Scripsit *Contemplationes de B. Virgine*, lib. I, nec non *Tractatus de B. M. V.* a P. Theophilo Raynaud S. J. ut videtur, saec. XVII editus (cfr MARRACCI, o. c., t. I, p. 321).

VIII). - SAEC. XV

1. **S. VINCENTIUS FERRERIUS, O. P.** († 1419)

Plures conciones de B. M. V. reliquit, videlicet: 1) *De Conceptione B. M. V.*, serm. 1; 2) *De nativitate B. M. V.*, serm. 3; 3) *De Annuntiatione B. M. V.*, serm. 1; 4) *De expectatione partus B. M. V.*, serm. 1; 5) *De purificatione B. M. V.*, serm. 1; 6) *De Assumptione B. M. V.*, serm. 2, Antuerpiae, 1569. Bonum esset si quis ex sermonibus istis Mariologiam huius sancti erueret.

2. **IOANNES GERSON** († 1429)

Fuit Monachus Ord. Caelestinorum et postea Cancellarius Parisiensis, et — teste Petavio — theologus «gravissimus et eruditissimus, imo et castigatissimus» (*De Inc.*, l. 14, c. 8, n. 9, 11). In suis scriptis (*Opera omnia ... in 5 tomos distributa ... opera et studio M. Lud. Ellias du Pin ... Antuerpiae ...*, 1706) saepe de B. M. Virgine et praesertim de Mediatione agit. ² Tradidit etiam quaedam *principia* adhibenda ad hoc ut in laudibus Virginis efferendis modus non excedatur. ³ Principia haec sunt:

¹ Cfr RICHARD et GIRAUD, *Biblioteca Sacra ovvero Dizionario universale delle scienze ecclesiastiche*, t. 11, Milano, 1831, pp. 62 sq. Falso quidam putarunt *Idiotam* vixisse circa a. 800.

² Cfr BOVER I., S. I., *Universalis B. M. Virginis mediatio in scriptis Iohannis Gerson*, in *Gregorianum*, t. 9, (1928), pp. 242-268.

³ Principia seu veritates istae approbatae et expositae fuerunt a PETAVIO, l. c., et a CAMPANA, in op. *Maria nel Dogma*, ed. 4, pp. 9-12.

1. « Christus posuit terminos nostrae conquisitionis, ut non liceat de divinis alia vel aliter asserere, quam quae ex divinis Scripturis habentur, vel evidenter concluduntur, vel ab Ecclesia, quae Spiritu Sancto regitur, credenda traduntur » (PETAVIUS, l. c., n. 9).

2. « Christus contulit Matri suae ab initio et consequenter illas et tantas gratias, quas et quantas cognovit esse convenientes secundum ordinem suae sapientiae; et in hac veritatis soliditate debet esse contentus quilibet christianus, quantumcumque sit devotus » (Id., ibid.). « Ad haec... falsam esse concludit hanc ratiocinationem, qua plures ait uti consuevisse: Christus potuit et potest multa facere: et hoc decet eum: ergo fecit aut faciet » (Id., ibid.).

Reliquit sequentia Opuscula Mariana: 1) *Collectorium super Canticum B. V. Magnificat*; 2) *Carmina varia super Magnificat*; 3) *Super Magnificat*, tract. XII: 4) *De Purificatione B. Virginis*, Serm. II; 5) *De Conceptione B. Virginis*, Serm. III; 6) *De nativitate B. Virginis*, Serm. II; 7) *De coniugio Beatissimae Virginis et Ioseph*, Serm. I; 8) *De Annuntiatione B. Virginis*, Serm. I; 9) *Poëmata aliquot de B. M. V.*

3. S. BERNARDINUS SENENSIS O. Min. (1380-1444)¹

Mariologia S. Bernardini continetur praesertim in 11 sermonibus qui constituunt *Tractatum de B. Virgine* et in aliis 8 sermonibus qui in eius Quadragesimalibus inveniuntur. *Fons* praecipuus Mariologiae Bernardiniana ab opere *Arbor vitae* Ubertini a Casale (1259-1330) constituitur, ex quo 47 capita (super 101), quandoque etiam ad litteram, hausit.

S. Bernardinus de *Immaculata Conceptione* valde moderate at sufficienter loqui videtur. Fuse et solide de Assumptione et de Mediatione B. M. V. agit. Est vere — iuxta testimonium auctorum sui et posterioris temporis — *Doctor Marianus*. « Nemo — scribebat Barnabò Senensis in eius vita — (pace omnium dixerim) ante nostram aetatem ita eleganter, ita ornate, ita graviter hanc rem, carmine vel oratione soluta tractaverit, libri quidem sunt in manibus » (*Vita Bernardini Senensis*, c. II, in *Acta Sanctorum*, t. V, p. 110). Iuxta P. D'ARGENTAN, S. Bernardinus fuit « echo S. Bernardi » (*Conférences sur les grandeurs de la très Sainte Vierge*, Paris, 1877, t. 3, p. 423).

¹ AMOROS LEO, O. M. C., *Nova Eva-Corredemptrix*. De S. Bernardini Senensis sententia analytica disquisitio in *Estudis Franciscans*, 41 (1929), pp. 164-201; BROECKAERT N., O. F. M., *Maria's Middelaarschap bij den H. Bernardinus van Senen*, in *Handelingen van het Vlaamsch Maria-Congres te Brussel 1921*, t. 1, pp. 338-344; EMERIUS, O. M. C., *De universeele Genadebemiddeling volgens*, in *Standaard van Maria*, 1933, pp. 15-23; FOLGARAIT G., *La Vergine bella in S. Bernardino da Siena*, Milano, ed. Ancora, 1939; SCARAMUZZI D., O. F. M., *La dottrina della mediazione della Vergine in S. Bernardino da Siena*, in *Riv. del Clero Ital.*, a. XIII (1932), fasc. 9.

Mariologia S. Bernardini est:

a) ADMIRATIVA, non solum praerogatarum Marianarum in genere, sed praesertim *pulchritudinis* B. M. Virginis in tota sua latitudine acceptae. « Indubbiamente Bernardino lasciò pagine della più alta eloquenza sui dolori della Madonna. Ma, a differenza, per es. dei Sette Fondatori dell'Ordine dei Serviti (sec. XIII), o, più vicino a noi, di S. Gabriele dell'Addolorata ..., che tanto insistettero sulla compassione della Vergine, egli ebbe, è bene ripeterlo, una preferenza naturale a contemplare la bellezza di Maria ... bellezza evidentemente intesa nel senso più ampio della parola: bellezza d'anima e di corpo; più d'anima che di corpo ... la Madonna di Bernardino da Siena è quindi innanzitutto una Vergine bella, una Vergine gloriosa ... » (FOLGARAIT, o. c., p. 516).

b) THEOTOCENTRICA, hoc sensu quod B. Virginem tamquam Dei Matrem iugiter considerat.

c) AFFECTIVA, quatenus in suis elucubrationibus non sistit in mente, sed ad auditorum corda pertingere curat, affectus admirationis, amoris, grati animi, teneritudinis, fiducia, etc. suscitando. « Bernardino opera e anche ragiona continuamente col cuore. Lorenzo è la mente del secolo. Gerolamo n'è la collera. Bernardino n'è, nella sua espressione più alta, il cuore » (BONTEMPELLI, *S. Bernardino da Siena*, Genova, 1914, p. II).

d) ILLUMINATA, eo quod ex S. Scriptura praesertim elementa propriae Mariologiae haurit. Ratio est quia « ... Scriptura posuit talia fundamenta quod mens illuminata et alta, maiora concludit quam possit lingua, seu littera explicari » (I, 485 H). Scripta apocrypha, legendas, relationes apparitionum generaliter reicit.

e) PRACTICA. B. Virginem enim saepe exhibet tamquam exemplar sanctitatis et virtutum quas omnes in summo gradu possedit.

f) COMPLETA. « Non c'è punto della Mariologia che Egli non abbia trattato, non c'è prerogativa della Vergine che Egli abbia lasciato nell'ombra, non c'è gloria di Maria che Egli non abbia magnificamente celebrato. Si prenda ad esempio un trattato odierno di Mariologia: per ogni argomento si potrebbe aggiungere una testimonianza di Bernardino: ogni capitolo, ogni paragrafo quasi, troverebbe il suo riscontro negli scritti del senese ... Che dire ... della luce da lui proiettata sui due ... massimi privilegi di Maria, l'Assunzione e la Mediazione universale? Bernardino ha scritto sull'Assunzione della Madonna un vero e saldo « trattato teologico » che è nello stesso tempo un '« poema [d'amore] ». Tutto quanto si poteva dire sulla questione, fu detto da Bernardino stupendamente: il pensiero teologico fu da lui ... per così dire esaurito. E così pure, nessuno al pari di lui aveva ancora svolto il tema della Mediazione di Maria. Egli scrisse pagine sublimi sulla cooperazione della Vergine e sulla di Lei distribuzione universale della Grazia. — Grandi progressi fece fare ugualmente alla

Mariologia su diversi altri punti... Fra i titoli che il Senese dette a Maria per esprimere le relazioni di Lei con l'umanità, preferì quello di Regina ... S. Alfonso afferma che con la predicazione della gloria della Madonna il Senese santificò l'Italia » (FOLGARAIT, l. c. pp. 521-524).

4. AMBROSIUS SPIERA, O. S. M. († 1455)¹

Natus est Tarvisii circa finem saec. XIV vel circa initium saec. XV. Theologiae laurea in Universitate Patavina insignitus, fuit Studiorum Regens Patavii, deinde Procurator Generalis Ordinis in Romana Curia. Inter eius opera eminet *Quadragesimale de floribus Sapientiae*, pluries editum, in quo inveniuntur sex longissimi sermones de B. M. V. doctrina mariana referti, quorum tituli sunt:

1) *De Virginis gloriosae nobilissima nuncupatione, rutilatione et dotatione*, 2) *De Virginis gloriosae singulari et nobili Maternitate, amabilitate ardenti et qualitate excellenti*, 3) *De gloriosae Virginis Mariae nobili conditione, perfecta participatione, et reciproca retributione*, 4) *De Virginis gloriosae dulci susceptione, mirifica descriptione et debita simulatione*, 5) *Quomodo Virgo gloriosa sit lux mundi et Empyreii Caeli, quoad animam et quoad corpus*, 6) *De Virginis gloriosae clarificatione, lucidatione et perlustratione*.

In opere vero *Sermones de Adventu Domini*, Bononiae excuso a. 1501, tres sermones habentur, videlicet: 1) *De Annuntiatione Virginis Mariae* (sermo 14), 2) *De visitatione B. Mariae ad Elisabeth* (sermo 15), 3) *De desponsatione B. Mariae ad Ioseph* (serm. 16).

Notatu digna est praesertim amplissima expositio doctrinae de Immaculata Conceptione B. M. V., nec non doctrina de universali Mediatione B. M. V.

5. S. ANTONINUS, O. P., Archiep. Florentinus († 1459)²

Reliquit 46 sermones in laudem B. M. V. Scripsit etiam volumen magnum super caput I S. Lucae, in quo fuse agit de *Annuntiatione*, de *Salutatione angelica* etc. Agit etiam de Deipara in sua *Summa Theologica*, ed Veron. 1740, pars 4, tit. 15, cap. 2 etc.

6. IOANNES Card. TURRECREMATA, O. P. († 1468)

Inter alia splendida ingenii sui opera edidit opus *De veritate Conceptionis B. M. V.*, tract. I in 13 partes divisus, Romae, 1547, in 4, nec non opus *De Beatissima Virgine Maria*, Quaestiones plures super Evangelia festivitatum eiusdem.

¹ Cfr POKA A., O. S. M., *Doctrina Mariana* in sermonibus magistri Ambrosii Spiera Tarvisini O. S. M., Romae, 1943, in-8 gr., pp. 152.

² Cfr BRAND E., *Die Mitwirkung der seligsten Jungfrau zur Erlösung nach hl. Antonin von Florenz*, Rom, 1945.

7. **LEONARDUS NOGAROLUS, Veronensis** (1470)

Composuit *Officium de Conceptione Immaculata B. M. V.* Scripsit etiam ad Sixtum IV pro definienda Virgine ab omni originali macula immune, et pro instituendo et confirmando Officio Conceptionis a se composito, Epistolam seu supplicem libellum, ipsi officio praefixum.

8. **DIONYSIUS CARTHUSIANUS** († 1471)¹

Natus est Ryckel in Belgio, anno 1402. Philosophiae et Theologiae in Universitate Coloniensi studuit. Anno 21 aetatis suae Monachus Carthusianus factus est, et usque ad mortem in oratione, lectione et scriptione librorum vitam degit. Fertur Eugenium IV, post lectionem cuiusdam operis ab ipso conscripti exclamasse: «Laetetur mater Ecclesia, quae talem habet Filium!». Appellatus est *Doctor extaticus, venerabilis, beatus, sanctus.*

Opera omnia edita sunt recenter in 48 voluminibus. Scripta vero Mariana quae in operibus eius continentur, haec sunt: 1) *De laudibus Gloriosae Virginis Mariae*, libri IV, 2) *De praeconio et dignitate Mariae*, libri IV, 3) *In Canticum Canticorum Salomonis, de B. M. V. pia et continua enarratio*, 4) *In festo Conceptionis Gloriosae Virginis*, serm. VI, 5) *In festo Nativitatis eiusdem*, serm. V, 6) *In festo Annuntiationis eiusdem*, serm. V, 7) *In festo Visitationis eiusdem*, serm. V, 8) *In festo Purificationis eiusdem*, serm. VI, 9) *In festo Assumptionis eiusdem*, serm. VI, 10) *Super caput 31 Proverbiorum: Mulierem fortem etc...*; 11) *Super caput 24 Ecclesiastici: In omnibus requiem quaesivi etc...*; 13) *In Gloriosissimae Virginis Dei Matris Mariae Canticum Magnificat*, Commentarium.

In omnibus hisce scriptis, et praesertim in duobus prioribus amplis tractatibus, quidquid magis scientificum in Theologia mariana scriptum est, in unum collectum invenitur.

9. **THOMAS A KEMPIS** Ord. Can. Reg. S. A. (1379-1471)

Edidit: De commemoratione et invocatione Beatissimae Virginis Mariae — De Processu ad Salutandum Virginem Gloriosam. — De Consolatione piissimae Matris Virginis Mariae. — De frequenti Invocatione Nominis Iesu et Mariae — De Amore et Laude B. Virginis Mariae, Orationem I. — Ad B. Virginem Mariam, ut subveniat in hora mortis, Orationem I. Ad B. Virginem Mariam pro speciali consolatione, Orationem I. — Ad B. Virginem Mariam pro

¹ Bibliographia: DE WIT J., *Dionysius de Karthuizer over O. L. Vrouw*, in *Hand. Vlaamsch Maria-Congres*, 1921, 1, pp. 345-351; WEHRENS A., *Maria, Middelaars volgens*, in *Standaard aan Maria*, 1931, pp. 78-84; 149-154.

quacumque tribulatione insurgente, Orat. — Ad B. Virginem, ut ostendat nobis Iesum filium suum, Orationem 1. — De Veneratione et Commemoratione Beatae Mariae Virginis, serm. 2. — De laude dulcissimi nominis Iesu et dulcissimae Matris eius Mariae, serm. 1. — De devoto servitio B. Virginis, et recordatione nominis eius, ser. 1. — De Dolore et consolatione B. Mariae Virginis, serm. 1. — De excellentia meritorum, et privilegiis donorum B. Mariae Virginis, serm. 1, et alia, quae excusa sunt Duaci typis Belleri, 1635, in 8. Cfr MERCATOR JOES, *Quae de B. M. V. passim scripsit Thomas a Kempis, collegit et rite ordinavit Joes Mercator, humilis presbyter in partibus Hollandiae, Veulonae, Mosmans, 1924.*

Notatu digna sunt verba quibus Novitiis *vitam marianam* commendabat, postea a Card. de Bérulle et a B. Grignon de Montfort tam valide inculcatam: « Cum Maria in cella manete; cum Maria tacete, cum Maria gaudete; cum Maria dolete; cum Maria laborate; cum Maria vigilate; cum Maria orate; cum Maria Iesum quaerite; cum Maria Iesum in ulnis portate; cum Maria et Iesu in Nazareth habitate...; cum Maria et Iesu vivere et mori desiderate ». (*Sermones ad Novitios*, Freiburg, 1905, *Opera omnia*, t. 6, p. 205.

10. NICOLAUS HORIUS (1493)

Reliquit opus *De Beatissima Virgine*, lib. 2, Parisiis, 1500, in-18.

11. GASPARINUS BORRO, O. S. M. († 1498)¹

Fuit origine Venetus et natus est circa a. 1430-1435. Ordinem Servorum B. M. V. adhuc iuvenis ingressus, in scientiis speculativis excelluit, quas diu, Venetiis praesertim, docuit. Simeon a Castellatio de eo scribit quod « fece molti discipuli peritissimi, adeo che appresso tutti li valenti homini era existimado più presto cosa divina che humana ». Mortuus est die 14 febr. 1498, non minus pietate quam doctrina clarissimus. Inter eius opera eminent: 1) *Commentarii super Magistrum sententiarum ad mentem Scoti*, libri quatuor; 2) *Triumpho, sonetti, canzon et laude de la gloriosa Madre de Dio Vergine Maria*, editi Brixiae a. 1498 a fratre Simeone a Castellatio O. S. M.

In hoc opere poetico simul et theologico, de variis privilegiis B. M. V. agit et praesertim de immaculata conceptione, in negatores huius privilegii vehementissime invehens.

12. BERNARDINUS DE BUSTIS O. F. M. Obs. († inter 1513-15)²

Mediolani, ex nobili familia de Bustis, ortus, Ordinem Minorum ingressus est, ubi zelo praedicationis claruit. Inter opera eius spiritualia eminent *Mariale* de singulis festivitibus B. M. V., editum Mediolani 1494; Argentinae, 1496

¹ Cfr *Monumenta Ord. Serv. B. M. V.*, t. 11, pp. 122-158.

² Cfr CUCCHI F., O. F. M. Conv., *La mediazione universale della SS. Vergine negli scritti di Bernardino de Bustis*, Milano, Ancora, 1943.

et 1498; Lugduni, 1502 et 1515 etc. « Le recueil — scribit F. Wagendus, O. F. M. — forme un traité de Mariologie vaste et profond » (cfr *Dict. de Spiritualité*, t. 1, col. 1515). Composuit etiam *Officium de Immaculata Conc. B. M. V.*, a Sixto IV approbatum in Bulla « Dilecte fili » diei 4 oct. 1480. Mariale Bernardini magnum exercuit influxum in praedicatores marianos saec. XVI et XVII, prout apparet etiam ex eius repetitis editionibus.

IX). - SAEC. XVI

1. VINCENTIUS BANDELLUS, O. P. († 1506)

Scriptis *De conceptione B. M. V.* volumina duo, contra Immaculatam Virginis conceptionem. Mediolani, 1575.

2. SYLVESTER PRIERIAS, O. P. († 1523)

Fuit Magister S. Palatii. Scripsit *Tractatum de Regina caeli, Historia, B. M. V., Sermones de Deiparae festivitibus*.¹

3. THOMAS DE VIO, O. P., Card. († 1534)

Inter alia scripsit: 1) *De Conceptione B. M. V.*, tract. 1; 2) *De Spasimo B. M. V.*, tract. 1 ad Leonem X, Romae, 1503; 3) in *Quaestiones S. Thomae, de sanctificatione, Virginitate, Desponsatione, Annuntiatione, Conceptione et partu B. M. V. Commentaria*; 4) *Super Missus est, Canticum Magnificat, et alia Commentaria*.²

4. HIERONYMUS AB HANGESTO († 1538)

Fuit Professor eximius Universitatis Parisiensis, Lutheranae haeresis strenuus osor. Scripsit opus *Praeconiorum sacrosanctae Christi Matris, Virginisque semper gloriosae Mariae, adversus Ante-Marianos Propugnaculum*, lib. 1, Parisiis, apud Ascensium, 1529, in-4.

5. TRISTANUS DE ASCANIO (1540)³

Edidit gallice: 1) *De beatissima Virgine adversus impios Lutheranos* lib. 1, Parisiis, 1538; 2) *Disputatio inter hominem et rationem in honorem B. M. V.*, Parisiis 1588. Edidit latine 3) *Opusculum De B. Virgine praenotatum*: « Non habet similem, omnes enim in ea sunt virtutes », Parisiis, 1538.

¹ Cfr MARRACCI, *Bibliotheca Mariana*, t. 2, p. 365.

² Cfr MARRACCI, l. c., pp. 419-420.

³ Cfr MARRACCI, l. c., pp. 424-425.

6. IOANNES FABER, Ep. Viennensis († 1541)

Edidit (ut testatur Canisius, lib. 5 *de Deipara*, cap. 10) contra Ioannem Oecolampadium Haereticum *Epistolam Apologeticam*, qua illius in Deiparam Virginem calumnias egregie depulit ac dissipavit. Idem scripsit: *De Beatissima Genitrice Dei Maria et eius Filio vere Deo*, tract. 1., *De perpetua Virginitate Mariae*, tract. 1., *De Assumptione Beatissimae Virg. Mariae, Gaudioque Sanctorum in caelo*, tract. 1 et alia.

7. AMBROSIUS CATARINUS, O. P. († 1552)

Fuit patria Senensis, Episcopus Minorensis et postea Archiepiscopus Compsae. Scripsit: 1) *Pro veritate Immaculatae Conceptionis B. V.*, ac ipsius celebranda, a cunctis fidelibus festivitate, tractatus unus in 3 libros divisus, excusus Senis, per Mich. Aug. Bernardini Cattanzi, 1532, in-4; 2) *De consummata gloria solius Christi et B. Virginis*, lib. 1, Venetiis, 1551.

8. IOANNES COCHLEUS († 1552)

Edidit theutonice opus *De B. M. Virgine*, lib. 1, excusum Moguntiae, 1548. Latine vero edidit 2 sermones *de B. M. V. Dei Genitrice Domina nostra*, in quorum secundo Martinum Lutherum divinis Scripturis confutavit.

9. PHILIBERTUS BONNET (1552)

Fuit Praepositus Generalis Bellicorensis. Edidit inter alia, op. *Excellentes dignitates, virtutes et potentiae B. Virginis M.*, nec non *Tractatus de B. V. Maria*, Lutetiae, 1556.

10. S. THOMAS A VILLANOVA O. S. A. (1488-1556)¹

Appellari potest « Doctor Mellifluus Hispaniae Marianae ». Triginta sermones eius de B. Virgine (quatuor de Immaculata Conceptione, quinque de nativitate, unus de Praesentatione, septem de Annuntiatione, unus de Visitatione, duo de Purificatione, novem de Assumptione et unus de Virgine Domina nostra) *Mariale* ditissimum constituunt (cfr *Divi Thomae a Villanova Opera omnia*, Manilae, apud typographiam vulgo « Amigos del Pais », 5 voll. in-folio, 1883).

¹ Cfr CAPANAGA VICTORINO, O. S. A. R., *La mediación de la Virgen Maria según Santo Tomás de Villanueva*, in *Estudios Marianos*, vol. I, Madrid, 1942, pp. 226-283.

11. **HIERONYMUS NATALIS, S. I. († 1572)**

Scriptis *De laudibus Deiparae Virginis*, tractatum 1, excusum Antverpiae, typis Martini Nutii, 1595 in fol., — Item, *Annotationes et Meditationes in Evangelia*, quae in Sacrosancto Missae Sacrificio in festis B. M. V. leguntur.

12. **ALPHONSUS SALMERON, S. I. († 1595)**

Fuit patria Toletanus, ac unus ex decem quorum opera, sub ductu S. Ignatii, Societas Iesu fundata est. Vir doctissimus, Concilio Tridentino interfuit. Obiit Neapoli, anno aetatis suae 69. De B. M. V. haec scripsit:

Super Missus est Angelus, de Annunciatione ad Virginem sacram, ab Angelo facta, cum mysterio Incarnationis illam immediate consequuto tractatus novem. — *De Visitatione B. Virginis ad Elisabeth*, super illa verba *Exurgens Maria*, etc, tract. 1. — *In Canticum B. Virginis Magnificat*, tract. 5. — *De Desponsat. B. Virginis cum S. Ioseph*, tract. 3. — *De partu B. Virginis*, tract. 1. — Super illud Ioannis 19, *Stabat iuxta Crucem Iesu Mater eius*, etc. tract. 1. — *De rationibus propter quas dies Sabbati dicatus est B. Virgini, ac de eiusdem Sanctissimae Deiparae Lamentatione, et sollicitudine eius, quam in morte filii perpessa est*, tract. 1. — *De apparitione Christi suscitati ad Sanctissimam suam Genitricem Mariam, etiamsi de ea nulla fiat mentio in Evangelio*, tract. 1. — *De Sanctissima Virg. Deiparae anticipata Resurrectione, et in Caelum gloriosa Assumptione*, tract. 1. — *De Patrum veterum traditione, et solidis rationum momentis, quibus veritas assumptae in corpore et anima in Caelum gloriosae Virg. Deiparae comprobatur*. Tract. 1. — Super illud Lucae, 10, *Intravit Iesus in quoddam Castellum*, etc., de Assumptione Deiparae Virginis expositionem.

13. **S. PETRUS CANISIUS, S. I. (1521-97)**

A card. Hosio ita extollitur « ut vix quisquam sit a quo magis fuerit (B. Virgo) illustrata ». « L'éloge, — scribit Dillenschneider — est on ne peut plus mérité ». « A ce rigoureux polémiste récemment promu Docteur de l'Eglise, revient le mérite qu'il ne partage avec aucun autre d'avoir écrit une apologie classique et complète de toute la doctrine catholique sur la Mère de Dieu » (o. c., p. 109). Scripsit enim opus « *De Maria Virgine incomparabili et Dei Genitrice sacrosancta*, libri quinque ... » (BOURASSÉ, *Summa Aurea*, t. 8). In ipso sequitur ordinem chronologicum vitae B. M. V.: « Il y réfute — scribit Le Bachelet, — soit à part, soit en groupes, plus de cent adversaires de Marie, il évoque en sa faveur plus de quatre-vingt-dix Pères et Docteurs orthodoxes des huit premiers siècles: pour les temps postérieurs, il met à contribution les travaux d'environ cent-dix écrivains » (*Dict. Théol. Cath.*, art. *Canisius*, col. 1526).

14. **PROSPER ROSSETTI, O. S. M.** († 1598)

« Natione Italus, Patria Florentinus, primariae notae vir; atque in humanis ac divinis eruditus, et in Gymnasio Pisano publicus metaphysicus, ac S. Scripturae Lector; bonarum litterarum studiis adeo deditus et addictus, ut numquam fere calamum a scribendo amoveret; inter multas lucubrations scripsit pro Bibliotheca nostra Mariana *Sermones super Ave Maria*, quorum titulus est: *Lilium Salutationis Angelicae*, Florentiae, typis Iunctae, 1590 in-4 » (MARRACCI, *Bibliotheca Mariana*, t. 2, pp. 312-313).

X). - SAEC. XVII¹1. **ANGELUS FRANCISCUS TIGNOSI, O. S. M.** (1600)

Scriptit: *Il Regio diadema di 21 pietre preziose*, seu expositio Cantici *Salve Regina*, Milano 1599. *Statua di Maria Vergine*, Milano, 1605.

2. **STEPHANUS MENDEZ, O. P.** (1606)

Scriptit opus *Doze libros de la dignidad de la Virgen Madre de Dios*, tomis tribus, Barcinone, 1606 in-fol.

3. **ANTONIUS DAUROULTIUS S. I.** († 1614)

Sequentia scripta mariana reliquit, quae omnia Coloniae Agrippinae prodierunt, una cum eiusdem Catechismo Historiali, anno 1618, typis Kinckij: *De Immaculata eaque perpetua Deiparae Mariae Virginitate*. — *De Salutationis Angelicae usu, Iteratione, Utilitate*. — *De Cultu et honore Deiparae V. Mariae debito*. — *De Beata Virgine ab Infidelibus etiam honorata*. — *De Invocatione Deiparae Virginis Mariae*. — *De Intercessione et Patrocinio B. Mariae*. — *De Beneficiis B. Virg. spiritualibus*. — *De Beneficiis Deiparae Virginis corporalibus*; — *De Patrocinio Beatae Mariae in bello vel obsidione*. — *De Patrocinio B. Virg. in morte*. — *De Sodalitate Deiparae Virginis*. — *De Rosarii pietate admiranda*. — *De Cantico Salve Regina*. — *De Templis in honorem Deiparae Virginis erectis*.

¹ Cfr FLACHAIRE C., *La dévotion à la Vierge dans la littérature catholique, au commencement du XVII^e siècle*, Paris, 1917; HOFFER P., S. M., *La dévotion à Marie au déclin du XVII^e siècle: autour du Jansénisme et des « Avis Salutaires de la B. V. Marie à ses Dévots indiscrets »*, Paris, Les éditions du Cerf, 1938; RENAUDIN P., *La dévotion mariale dans l'école française du XVII^e siècle*, in *Vie Spir.*, 1938, t. 54, pp. 150-177.

— *De Imaginibus Deiparae Virginis*. — *De Blasphemorum in Sanctissimam Domini Matrem poenis*. — *De Sacrarum Imaginum B. Virginis prophanatoribus, eorumque poenis*.

4. IOANNES A IESU MARIA, O. C. D. († 1615)

Haec mariana scripta reliquit: *De Amore Cultuque Reginae Caeli*, tract. I, in duas Partes divisus, quarum prior de Dotibus, quae ad ipsius amorem excitant agit; altera vero eiusdem cultum proponit. — *Supernae Hierusalem Reginae clementissimae Mariae Epistola I*, quae nihil aliud est, quam frequens aspiratio ad purissimam Virginem, pro eius amore et consolatione ac intercessione erga Filium. — *De Assumptione B. Virginis, Carmen*. — Carmen, item, *in Laudem B. Virginis*. — *De Beatissimae Virginis Titulo, ac Tutela super Ordinem Carmelitarum*. — *De modo loquendi et dicendi Rosarium B. V.* — *De Actibus ad pulsum Ave Maria exercendis*, et alia, ut videre est in Operibus eius, Coloniae Agrippinae excusis, anno 1622.

5. PETRUS ANTONIUS SPINELLI, S. I. (1555-1615)¹

Edidit opus *Maria Deipara Thronus Dei*, de Virginis beatissimae Mariae praeclarissimis laudibus sub typo divini throni Apoc. IV adumbratae; deque pietate ac devotione, qua eadem Deipara a nobis colenda est.

Opus ex SS. Litteris, SS. Patribus, ac rationibus theologicis depromptum. Neapoli, 1613-Coloniae, 1619, 1663.

6. FRANCISCUS SUAREZ, S. J. (1548-1617)

Mariologia Doctoris Eximii complectitur 23 Disputationes (super 58) operis *De Mysteriis Vitae Christi*, ex quo omnes theologi subsequentium generationum hauserunt (cfr NEYSON G., *La Théologie Mariale de Suarez*, in *Rev. Prat. d'Apologétique* (t. 57 (1933), pp. 665-685).

« Suarez a rendu un éminent service à la science sacrée, quand, le premier de tous, il a traité d'après la méthode scolastique et soumis à une critique théologique rigoureuse toutes les questions qui se rapportent à la vie et aux grandeurs de la Vierge Marie Notre-Dame ». (Gabriel Vasquez, apud op. *François Suarez*, t. 1, p. 257, P. De Scorraille).

¹ SOMMERVOGEL, *Bibl. de la Comp. de Jésus*, t. 7, col. 1443.

7. S. LAURENTIUS a Brundusio, O. F. M. Cap. (1559-1619)¹

Inter Mariologos magni momenti cuiuscumque aetatis dignus est qui recensetur S. Laurentius a Brundusio, quem Pius XI « luce di scienza e splendore di santità » appellare non dubitavit.

Natus Brundusii die 22 iulii 1559, anno 16 aetatis suae post studia classica expleta, Ordinem Minorum Capucinorum ingressus est; Patavii philosophiae et theologiae maximo cum fructu operam dedit. « Sacerdotio auctus et lector Theologiae renuntiatus, universam doctrinam sacram maxime Divinam Scripturam sic profunde hausit, ut scientia ipsius infusa potius quam acquisita videretur.

Plures linguas, graecam nempe, chaldaicam, syriacam, germanicam, gallicam, hispanicam praeter latinam et italicam didicit, quas data occasione in verbi Dei praedicatione et in controversiis adhibuit.

Pluries Guardianus, Minister Provincialis Tusciensis, Venetae, Helveticae, Genuensis Provinciarum, Definitor, et tandem Minister Generalis disciplinam et studia praesertim sapientissimis datis litteris et exhortationibus promovit » (*Mariale*, praef., pp. VII-VIII). Fuit concionator, apologeta celeberrimus, ac Deiparae fervidissimus cultor. Obiit Ulyssipone die 22 iulii 1619. « Ad eius obitum tota prope Europa ingemuit » (RAUDERUS, S. I., *Bavaria pia*, p. 168, Monachii, 1628).

Plura reliquit opera, doctrina referta, inter quae eminet *Mariale*, Patavii a. 1928 editum, in quo 84 pulcherrimi Sermones « De Laudibus, de invocatione et de festis B. M. V. » inveniuntur, qui veram et solidam Summam Mariologiae constituunt. « Haud facile putamus — iure scribunt Editores huius operis — tam copiosam sermonum collectionem inveniri posse » (l. c., p. XVIII).

Notae vero distinctivae Mariologiae S. Laurentii haec sunt: novitas, opulentia, securitas et unctio.

a) NOVITAS (originalità) haec invenitur non iam in doctrina aut in probationibus saltem plerumque, ad ipsam probandam adductis, sed *in modo* pertractandi de B. Virgine « La façon dont le docte et saint Orateur expose la doctrine catholique de Beata, l'établit, fût-ce avec les arguments traditionnels, la défend contre les attaques de l'hérésie, enfin en tire, pour son auditoire, des conclusions éminemment pratiques, porte, à n'en pas douter, une empreinte très personnelle. Bien plus, nous ne craignons pas d'avancer que, sous ce rapport, le *Mariale* de saint Laurent de Brindes occupe une place tout à fait à part dans la littérature chrétienne de tous les temps. Qu'on le compare par exemple, soit aux divers écrits des pères ayant trait à la Vierge, Mère de Dieu, les

¹ Cfr JÉRÔME DE PARIS, O. M. Cap., *La Doctrine Mariale de S. Laurent de Brindes*, Paris, 1933; ISIDORO D'ALATRI, Lett. Capp., *Tra i precursori del Dogma dell'Immacolata*, Grottaferrata, 1935.

immortels sermons de Saint Bernard non exceptés, soit aux œuvres de Mariologues plus récents comme saint Bernardin de Sienne, Bernardin de Busti, etc., soit enfin à la partie Mariale des grands sermonnaires français, espagnols, italiens, des XVI^e, XVII^e, XVIII^e siècles, et l'on se rendra vite compte qu'ils possèdent vraiment un caractère qui leur est propre, une physionomie particulière très marquée ». (*Jérôme de Paris*, o. c., p. 202). Novitas ista ex duplici praesertim capite apparet, videlicet, ex usu frequentissimo S. Scripturae et ex modo mirabili quo ipsa iugiter utitur, nec non ex variis convenientiae rationibus semper aptissimis. Notatu dignum est sequens iudicium a P. Hieronymo a Parisiis prolatum: « Nous sommes en droit de conclure, qu'à l'exception peut être de saint Bernard, de saint Bernardin de Sienne et de quelque autre Père ou Docteur, il n'est point de mariologue qui ait traité avec autant de force et saine originalité que notre Saint la doctrine de Beata » (l. c. pag. 204).

b) OPULENTIA. Relate ad hoc subscribendum esse ducimus iudicio ab Editoribus Operum S. Laurentii prolatum, videlicet: « Summaria sermonum percurrentes, inveniemus omnia quae de Virgine dici possunt vel pertractasse S. Laurentium profunde, vel attigisse. Incipiendo enim e sublimi illa consideratione silentii Scripturarum de Virgine, omnem Deiparae vitam externam et internam, privatam publicamque gradatim percurrit, ut ascendat ad supernam laudem in celesti Sion, ubi eam ad Christi dexteram collocat, imaginem naturalem, vivam, perfectam sanctitatis et bonitatis Dei, qui tale tantumque opus super omnia eius opera mirabilia mirabilissimum potuitque voluitque efficere et ad totius humani generis utilitatem efformare » (*Mariale*, p. 594). « Unde quamvis "Mariale" in forma tractatus compositum non sit, excellenter tamen omnia continet quae de Virgine praedicantur » (*Mariale*, p. XVIII). Opulentia ista luculenter apparet praesertim in pertractatione quaestionis de Immaculata Conceptione, de qua P. Hieronymus asserit: « Elle ne se laisse, sous ce rapport, dépasser par la doctrine d'aucun autre Maître » (l. c., p. 205). Iure igitur S. Laurentius *Doctor Immaculatae* appellari potest. Notatu etiam digna est pertractatio de *principiis Mariologiae*. Agit enim, primus omnium, prout mihi videtur, de primario principio Mariologiae, quod in Maternitate divina reponit (*Mariale*, p. 479), nec non de principio eminentiae seu comparationis cum aliis Sanctis (*Ibid.*, pp. 290, 350, 365, 418, 445), et praesertim — prae omnibus aliis — de principio analogiae seu similitudinis cum Christo (*Ibid.*, pp. 350, 454, 455).

c) SECURITAS. Mariologia enim S. Laurentii iure dici potest fundata « supra firmam petram » S. Scripturae, ad quam continuo recurrit, SS. Patrum et solidi ratiocinii. Numquam ad revelationes privatas nec ad apparitiones et miracula appellat, prout alii Mariologi suae aetatis consueverant.

d) UNCTIO qua continuo, velut coelesti imbre, pertractatio perfunditur. Haec unctio orta esse videtur nedum ex ardentissima devotione erga B. Virginem, sed etiam ex eius sanctitate, ex eius continuo Scripturarum usu et ex vivacitate dictionis. « Nous avons vraiment, dans ces Sermons, une image fidèle de sa prédication vivante, et que, par conséquent, on ne doit pas être surpris d'y trouver figée, pour ainsi parler, l'onction forte et suave dont étaient imprégnés les solides enseignements qu'il y donnait » (l. c., p. 209). Quae cum ita sint, iure P. Hieronymus concludit: « ... Mariologues, *studiosi* des sciences sacrées, dévots de la Vierge Immaculée, mais surtout, prédicateurs, tireront grand profit à lire, relire, méditer les sermons in *Beata*m de notre Saint, à s'en

assimiler la doctrine, à se pénétrer de l'onction dont ils débordent. Bien plus, nous ne pensons pas exagérer en disant que ce ne serait pas sans grand dommage que les uns et les autres négligeraient l'étude approfondie du *Mariale* de Laurent de Brindes, splendide monument élevé à la gloire de la Très Sainte Mère de Dieu et des hommes par l'un de ses plus dévoués serviteurs et de ses chanteurs les mieux inspirés » (l. c., p. 213).

8. S. ROBERTUS BELLARMINUS, S. I. (1542-1621)¹

Doctrina mariana huius S. Doctoris invenitur in op. *Disputationes de controversiis*, Neapoli, ed. 1872 (cfr praesertim t. 2, p. 448; t. 4, pp. 664, 566; t. 4, pp. 171-80) et in *Concionibus* Lovanii habitis, videlicet: 1) *Super Missus est*, conc. 5, 2) *In festo Annunciationis*, conc. 1, 3) *In Festo Nativitatis B. M. V.* conc. 1, 4) *in Assumptione*, conc. 1, 5) *De partu B. M. V.*, conc. 1 (Coloniae, 1614 et Venetiis 1617, in-4). Cfr TROMP. S., S. I., *S. Robertus Bellarminus et Beata Virgo*, in *Gregorianum*, t. 21, 1940, pp. 162-182).²

9. ARCHANGELUS BALLOTTINI, O. S. M. († 1621)

Theologus et orator nobilissimus, sequentia reliquit:

1) *Dieci Discorsi sopra il SS. Nome di Maria*, Bologna, 1614, in-12; 2) *Compassionevoli affetti dell'addolorata Madre di Dio*, Bologna, 1612, in-8; 3) *Discorso sopra la Corona dei Sette Dolori*, Bologna, 1619, in-12; 4) *Sacra divozione per la festa solenne dell'Aspettazione del Sacro Parto di Maria*, Bologna, 1617, in-16. Manuscriptum remansit opus: *Bellezze di Maria descritte da Salomone nella Cantica in venti discorsi*.

10. S. FRANCISCUS SALESIIUS (1567-1622)

Viginti sermones de B. M. V. reliquit nec non alia quaedam scripta mariana quae a. 1865 collecta fuerunt a P. Clair S. J., in uno volumine. « Egli parlò di Maria come pochi sanno parlarne, e come nessuno ha saputo farlo con maggior arte ed in modo più conquidente » (CAMPANA E., *La Mariologia di S. Francesco di Sales*, in *Ephem. Mater Dei*, a. 1936, p. 86).

11. IACOBUS PONTANUS, S. I. († 1626)

Edidit: *De Virgine Matre*, lib. II, Floridorum libris insertos, Ingolstadii, typis Sartorii, 1602. — *Parthenometrica*, id est, Meditationes, Preces, et Laudes in Virginem Matrem, potissimum ex Ecclesiasticis Graecorum monumentis, ad

¹ Cfr SERVIÈRE, *La théologie de Bellarmin*, Paris, 1909, in quo caput speciale habetur pro Mariologia S. Roberti B. — Cfr etiam DILLENSCHNEIDER, o. c., pp. 113-118.

² Cfr. BELLARMINO, *Opera oratoria postuma*, edita a P. S. Tromp S. I., vol. II, Sect. 2 (In laudem B. M. Virginis), Romae 1942, pp. 47-100.

usum Partheniae Sodalitatis Augustanae, Augustae Vindelicorum apud Georgium Vuillorum, 1607, in-12. — *De Veneratione et Laudibus Dei Matris Progyrnasma* 1. Vertit etiam a graeca in latinam linguam *Canonem, sive Canticum peccatoris ad SS. Deiparam*, ut videre est tom. 12. magnae Bibl. Veterum Patrum, parte I.

12. LAURENTIUS REYERLINCK († 1627)

Scrpsit *Tractatum de B. M. Virgine*, in quo de ipsius nomine, symbolis, parentibus, virtutibus, festivitibus, canticis, templis, imaginibus, sodalitatibus fuse egit. Reliquit praeterea *Promptuarium Concionum super Evangelia festorum Deiparae*, Coloniae, a. 1613 et 1615.

13. PETRUS DE BÉRULLE, Card. († 1629)

Fuit fundator Congregationis Oratorii in Gallia. Eius Mariologia sparsa invenitur in omnibus operibus eius spiritualibus et praesertim in suis concionibus circa *L'Etat et les Grandeurs de Jésus* (1623), in op. *Vie de Jésus* (1629). Notatu digna sunt scripta sequentia, gallice edita:

De Salutatione Angelica B. Virgini facta eiusque excellentiis, disc. 1. — *De festo Annunciationis B. Virginis*, disc. 3. — *De Mysterio Visitationis eiusdem*, disc. 2. — *De Gratiis et magnitudinibus Beatae Virginis in Nativitate filii*, disc. 1. — *De Maternitate Beatae Virginis*, disc. 1. — *De Doloze B. Virginis in Passione filii*, disc. 1. — *De vita interiori et exteriori Beatae Virginis*, disc. 1. — *De Concordia Virginitatis et Maternitatis in Maria*, disc. 1. — *Ad Sanctissimam Virginem Mariam Orationem* 1. — *Precationem in modum voti servitutis et obedientiae erga beatissimam Virginem Deiparam*, et plura alia, eximie ab omnibus laudanda, et probanda, quae una cum eius Operibus prodierunt Parisiis apud Antonium Estiene, anno 1644, in-fol. Alia editio *Œuvres compl.* facta est a Migne, Parisiis, 1856 (cfr NICOLAS O. P., *La doctrine mariale du Card. de Bérulle*, in *Rev. Thom.*, a. 45, t. 43, 1937, pp. 81-100).¹

14. FRANCISCUS POIRÉ, S. I. (1584-1637)

In eius opere *La triple couronne de la bienheureuse Vierge*, Paris, 1630, quamvis quaedam futilia non desint, plura tamen stricte theologica habentur.

15. LAURENTIUS DE APONTE, O. Cler. Reg. M. († 1639)

Latino sermone scripsit atque edidit sequentia scripta: *Utrum definiiri possit de fide Virginem SS. Conceptionem sine peccato originali*, tract. 1, in 8 § divisum.

¹ Cfr etiam MOLIEN A., C. O., *Les grandeurs de Marie d'après les écrivains de l'école française*, Paris, Desclée de Brouwer, 1936, in-12, 630 pp. Agit de Card. de Bérulle, de P. Condren, de P. Gibieuf et de Ven. Olier.

— *De Mariae magnitudine ex conceptione, nativitate et Maternitate*, discursus 3.
 — *De efficacitate precum Mariae*, disc. I. — *Maria Virgo Arca benedicta, quia pura absque peccato originali*, homil. I. — *Quid senserit S. Thomas de conceptione Virginis et qualis fuit opinionis*, homil. I. — *Maria lignum benedictum, quia Mundi Salus*, homil. I.

16. **STEPHANUS BINET, S. I.** († 1639)

Edidit a. 1634, opus *Grand Chef-d'Œuvre de Dieu, ou les Perfections de la Sainte Vierge*, in quo — iuxta Bremond — « le précieux et le trivial, le suave et le grossier » unita inveniuntur (*Histoire littéraire du sentiment religieux en France*, t. I, pp. 130-132).

17. **P. SYLVESTER SAAVEDRA, O. d. M.** († 1642)¹

Auctor est egregii operis *Sacra Deipara, seu de eminentissima dignitate Dei Genitricis Immaculatissimae, quae est de illius possibilitate et existentia in ordine ad Dei-Hominis generationem*, Lugduni, 1655.

18. **IUSTINUS MIECHOW, O. P.** (1590-1689)

Est auctor op. *Discursus praedicabiles super Litanias Lauretanis*, 1634. « Ses *Discursus praedicabiles* sont, à peu d'exceptions près, de véritables traités dogmatiques solidement construits, et par endroits, très suggestifs ». (DILLENSCHNEIDER, o. c., p. 218).

19. **IOSEPHUS DE LA CERDA, O. S. B. Ep. Almeriensis**

Edidit opus: *Maria Effigies, Revelatioque Trinitatis et attributorum Dei*, t. I, in-fol., Almeriae, 1640.

20. **FERDINANDUS QUIRINUS SALAZAR S. I.** (1576-1646)

De B. M. Virgine egregie loquitur in suo magno opere *Pro Immacolata Conceptione Deiparae Virginis Defensio*, Alcala, 1618, nec non in op. *Expositio in Proverbia Salomonis* (cap. 8), Lugduni, 1637, et *Expositio in Canticum Cantorum*, Coloniae Agripp., 1612.

¹ Cfr ROZO G., C. M. F., *Magister Sylvester Saavedra O. d. M.*, in *Marianum*, 5 (1943) pp. 140-146. — DELGADO I. M., O. d. M., *Fr. Silvestre de Saavedra y su concepto de Maternidad divina*, in *Estudios Marianos*, t. 4 (1945), p. 521-558.

21. IOANNES BAPT. NOVATUS († 1648)

Fuit Superior Generalis Congreg. Ministrantium Infirmis.

Est praecipuus inter scriptores marianos saec. XVII. Scripsit opus vere egregium cui titulus *De eminentia Deiparae Virginis*, Romae, 1637. « Accuse sur les thèses mariales de Suarez un progrès notable » (DILLENSCHNEIDER, o. c., p. 162).

22. BARTHOLOMAEUS DE LOS RIOS O. E. S. A. (1580-1652)¹

Plures parvos tractatus scripsit de *sancta servitute* (schiavitù) in varias linguas translatos, nec non opus capitale: *De hierarchia mariana, libri sex: in quibus Imperium, Virtus et Nomen B.mae Virginis Mariae declaratur, et Mancipiorum eius dignitas ostenditur*, Antwerpiae, ex officina Plantiniana Balthasaris Moretti, 1641. Est vere « Doctor muneris regii Deiparae nec non servitutis marianae ». Notabilem exercuit influxum in auctores scholae Gallicae (Boudon, Montfort etc.). Scripsit etiam *Horizon Marianus* sive de excellentia et virtutibus B. M. Virginis tractatus novem (1647).

23. DIONYSIUS PETAVIUS, S. I. (1583-1652)

Petavius « mit toute son application à expliciter les doctrines mariales » (DILLENSCHNEIDER, *La Mariologie de S. Alphonse De Liguori*, I, p. 167). Scripsit: 1) *De festis et laudibus Beatissimae Virginis M.* panegyricos VIII, Parisiis, 1642; 2) *Paraphrasim cantici Magnificat*, graecis versibus expressam, cum latina interpretatione, Parisiis, 1637.

In celeberrimo opere *Dogmata Theologica* (Parisiis, 1643-50) in l. 14 quae de praerogativis B. M. V. habet antiqua traditio, tunc temporis cognita, examini acute subicit et discutit. Caput 9 libri 14 de *Mediatione* universali B. Virginis agit, sive quoad acquisitionem omnium gratiarum, sive quoad distributionem earumdem.

¹ BURON ALVAREZ C., O. E. S. A., *Causalidad de Maria en nuestra predestinación según el P. Bartolomé de los Rios*, O. E. S. A., in *Estudios Marianos*, I, 1942, 287-324; IDEM, *El P. Bartolomé de los Rios y su « Hierarquia »*, Lérida, 1925. — EYCKELER P., *Het Koningschap van Maria volgens de leer van Fr. Bartolomeus de los Rios*, in *De Standaard van Maria*, Irg. 15 (1935) 129-184; 166-171; 193-199. — MARCOS DE ESCALADA, La « Hierarchia Mariana » del P. Bartolomé de los Rios, in *El Mensajero de Maria*, 6 (1918) 163-167. MUSTERS A., O. S. A., *La Souveraineté de la Vierge d'après le écrits mariologiques de Barthélemy de los Rios*, O. E. S. A., Gand, 1946.

24. **MARCELLINUS DE PISIS, O. F. M. Cap.** († 1656)

Scrpsit *De Beata Virgine Maria*, tractatum quatuor tomis constantem, in quo Scientiae omnes, scilicet Theologia, Ius Canonicum, Ius Civile, Philosophia, Mathesis, Astronomia, Astrologia, Hydrographia, Geographia, Medicina, Rhetorica, Grammatica, Ancillantes Beatae Virgini Mariae, sua pandunt obsequia, quibus Virginis illibata Encomia illustrantur. — Adiectae sunt *Homiliae* de omnibus festis eidem Beatae Virgini Mariae sacris, Parisiis, typis Ioannis Jost, 1637, in-4.

25. **LUCAS WADDINGUS, O. F. M. Rec.** († 1657).

Reliquit sequentia scripta mariana: *Relatio Philippi III et IV Hispaniae Regum ad Sanctissimos DD. Paulum V, Gregorium XV et Urbanum VIII pro definienda Controversia Conceptionis Beatae Mariae Virginis*, Lovanii, apud Henricum Harterium, 1624, 4d. in-fol. Cum eadem Legatione ibidem edidit Opuscula quatuor a se elaborata, videlicet: *De Baptismo Beatae Mariae Virginis*. — *De Redemptione eiusdem*. — *De Morte eiusdem*. — *De mente Sanctorum Patrum circa eiusdem Conceptionem*.

26. **MARTINUS PHILIPPUS CONVELT, S. J.** (1573-1658)

Edidit *Theatrum excellentiarum SS. Deiparae ex consociatione excellentiarum sui Filii*. Antuerpiae, 1655.

27. **IOANNES OLIER** (1608-1657)

Fuit Fundator S. Sulpitii, et est praecipuus inter discipulos Card. de Bérulle. Scripsit *Recueil de la S. Vierge* (cfr *Œuvres*, Migne, 1856, Paris).

28. **ANGELUS PACIUCHELLI, O. P.** († 1660)

Edidit Romae, a. 1657, meditationes quibus titulus: *Excitationes dormitantis animae*.

29. **GERARDUS BALDI DELLA GHERARDESCA, O. S. M.** († 1660)

Fuit publicus S. Theologiae professor in Lycaeo Pisano. In suo op. *Monarchia Cristiana* sat completum habet *Tractatum de B. M. Virgine*.

30. **PAULUS BARRY, S. I.** (1585-1661)

Scrpsit: 1) *Le Paradis ouvert à Philagie par cent dévotions à la Mère de Dieu*, Lyon, 1636, in-12; 2) *La Magnificence de Dieu envers sa sainte Mère ...*, 1639, Exaggerationem haud raro, nec non malum gustum, haec opera sapiunt.

31. **GEORGIUS DE RHODES, S. I.** (1661)

In secundo vol. operis *Disputationes theologicae scholasticae*, continetur sat completus tractatus *De Maria Deipara* (Disp. unica, q. I, ad 6, pp. 184-275, in-fol.). « Il s'étudie — scribit Dillenschneider — à être concis et clair. Sa théologie mariale écrite *con amore*, se rapproche beaucoup, tant pour la richesse du fond que pour la méthode, de nos mariologies classiques les plus estimées » (l. c., p. 178).

32. **THEOPHYLUS RAYNAUD, S. I.** (1582-1663)

Fuit, iuxta P. Dillenschneider (o. c., p. 170) « un mariologue de carrière ». Scrpsit, inter alia (19 vol. in-fol.) sequentia *Marialia* quae continentur in t. 7 operum suorum (Lugduni, 1665): 1) *Nomenclator Marianus*, e titulis selectibus, quibus B. Virgo a SS. Patribus honestatur contextus, cum observationibus et Glossario, Lugduni, 1639, n. 120; 2) *Scapulare Marianum* illustratum et defensum, Parisiis, 1654, contra Launoy; 3) *Dissertatio de retinendo titulo Immaculatae Conceptionis*, Coloniae, 1651; 4) *Diptycha Mariana*, quibus inanes B. Virginis praerogativae, plerisque novis scriptionibus vulgatae, a probatis et veris apud Patres Theologosque receptis, solide et accurate secernuntur, Gratianopoli, 1743; 5) *O Parascevasticum* etc. Lugduni, 1661.

« La doctrine mariale du P. Raynaud a ses côtés sévères, quelques-uns trop sévères. Mais on commettrait une injustice notoire, à croire pour autant ce théologien en opposition avec la mariologie traditionnelle. Il est vrai, dès l'en-tête de son livre, il annonce qu'il ne suivra pas tout uniment les sentiers battus. Il entend faire œuvre de critique. Il n'y a pas à le lui reprocher. Dans les louanges décernées à Marie, il aime la mesure discrète de la vérité. '*In modo erras, si supra, vel infra, aut extra metas veritatis quemlibet laudas*'... Théoricien excellent du progrès homogène de la doctrine mariale, l'auteur des *Diptycha* assumat peut-être trop souvent, dans l'application concrète des principes de la mariologie, le rôle de serre-frein » (DILLENCHNEIDER, l. c., p. 172-176).

33. **PETRUS FRANC. PASSERINI** (1665)

Edidit, Placentiae, a. 1665, *Encyclopedia Mariana* ex XXII partibus quasi elementis alphabetico ordine digestis composita.

34. IOANNES IAC. SCHMIDT (1666)

Scrpsit opus *Triumphus Marianus* seu eminentissimae Dei genitricis perpetuae Virginis Mariae praerogativae, sublimioribus animi conceptibus ex S. Scriptura, SS. Patrum sententiis, Theologorum placitis, rationum ac historiarum momentis ponderatae et explicatae, Einsidiae, 1666.

35. PETRUS DE ALVA Y ASTORGA, O. F. M. Obs. († 1667)

Operarius indefessus, pro Immaculata Conceptione acriter decertavit et sequentia scripta edidit: 1) *Sol veritatis* cum ventilabro seraphico pro candida aurora Maria in suo conceptionis ortu sancta, pura, immaculata et a peccato originali praeservata, Matriti, 1660, in-fol. Hoc opus in Indicem librorum prohibitorum a. 1665 relatum fuit. 2) *Radii solis veritatis* caeli atque Zeli illustrantis fratrum Minorum sententiam communem et patrum ordinis Praedicatorum opinionem singularem, pro SS. Deiparae electione, productione, generatione, nativitate in utero et ex utero, in-fol., Lovanii, 1663; 3) *Militia universalis pro Immaculata Virginis Conceptione* ex diversis auctoribus tum modernis contra malitiam originalis infectionis peccati, in-fol., Lovanii, 1663; 4) *Armentarium seraphicum* pro tuendo Immaculae Conceptionis titulo in-fol., Matriti, 1648; 5) *Opusculum pro conficiendo armamentario maiori pro Immaculata Conceptione V.*, in-fol., Matriti, 1649; 6) *Bibliotheca virginalis* seu Mariae mare magnum, 3 vol., in-fol., Matriti, 1649. In hoc opere collecta inveniuntur varia scripta pro Immaculata Conc.; sola littera A haec tria prima volumina occupat; 7) *Monumenta antiqua seraphica*, in-fol. Matriti, 1664; 8) *Expositio nova litteralis cantici Magnificat*, in-12, Matriti, 1666; 9) *Nodus indissolubilis* de conceptu mentis et conceptu ventris, Matriti, 1661 et 1663; 10) *Allegationes et avisamenta Ioannis de Segovia*, episc. Caesarin. ad patres concil. Basileensis, a. 1436, circa Virginis Mariae Immaculatam Conceptionem, in-4, Matriti, 1664; 11) *Exsufflationes pro defensione Immaculatae Conceptionis Deiparae* adversus minutissimos atque futes atomos, quibus nonnemo offuscare praesumpsit Solem Veritatis, in-8, Saragotiae, 1662; 12) *Risus Aurorae*, in-8, Lovanni, 1663, in quo praecedens opus defendit. Omnia manuscripta huius Auctoris — quarum plura inedita remanserunt — 40 voluminibus in-folio correspondent.

36. CRISTOPHORUS VEGA, S. I. (1595-1672)

Eius opus *Theologia Mariana* (Neapoli, 1866, duo vol.), quod tempore Auctoris magno favore exceptum fuit, hodie communiter parvi fit. Est enim mariologia haud raro sine modo et sine gustu (cfr SCHEEBEN, *Dogmatik*, t. 3, p. 478).

Quaestiones fuites abundant. Risum movent hodie verba: « Qui enim vel dubiis Mariae laudibus fidem non facit, sui silentii ac temeritatis poenas persolvere promeretur » (l. c., t. I, p. 14). Non desunt tamen quaedam magni momenti, praesertim circa excellentiam Maternitatis divinae et circa *Mediationem* B. M. V. in opere salutis.

37. **MAXIMILIANUS REICHENBERGER, S. I.** († 1673)

Sex diversis vicibus opusculum Widenfeldt refutavit (cfr TERRIEN, *La Mère des hommes*, t. 2, p. 479). Praecipuum eius opus inscribitur: *Mariani cultus vindiciae*, Pragae, 1577, 4, p. 184).

38. **VINCENTIUS CONTENSON, O. P.** (1641-1674)

In percelebri opere « Theologia mentis et cordis » sat longam et lucidissimam dissertationem privilegiis B. M. V. illustrandis consecrat (t. 3, Dissert. 6, *Mariologia*, seu de incomparabilibus Deiparae Mariae V. dotibus, ed. Vivès, 1875, pp. 259-300). In 4 distinctis capitibus stricte inter se connexis agit de praerogativis 1) naturae, 2) gratiae, 3) gloriae B. M. V., nec non 4) de illa praerogativa quae ex ordine unionis hypostaticae exurgit.

39. **HIPPOLYTUS MARRACCI** (1604-1675)

Fuit alumnus Congregationis Clericorum Regularium Matris Dei. Plura de B. M. V. scripsit, quorum elenchus ita ab ipso traditur in suo op. *Bibliotheca Mariana*, vol. I, 599, ed. Romae, 1648:

« *Prophetas Marianos*, seu de Prophetis Mariae Deiparae Virginis praecul-toribus, lib. I. — *Apostolos Marianos*, seu de singulari SS. Apostolorum in Mariam Deiparam Virginem pietate, lib. I., Romae typis Francisci Monetae 1643, in-8. — *Pontifices Maximos Marianos*, seu de Romanorum Pontificum in Mariam Deiparam Virginem ardenti Studio ac Pietate, lib. I. Ibidem, typis Francisci Caballi, 1642, in-8. — *Purpuram Marianam*, seu Purpuratis Patribus Eminen-tissimis S. R. E. Cardinalibus, pietate in Mariam Deiparam insignibus, lib. I. — *Antistites Marianos*, seu de Catholicae Ecclesiae Episcopis, Archiepiscopis, ac Patriarchis, qui praecipuo in Mariam Deiparam Virginem amore praecelluere, lib. I. — *Fundatores Marianos*, seu de Sacrarum Religionum Congregationum-que Fundatoribus, Mariae Deiparae Virgini singulariter addictis ac dilectis, lib. I, Romae, typis Caballi, 1643, in-8. — *Religiosos Marianos*, seu de Religio-sorum Ordinum Illustribus Viris, eximio in Deiparam Mariam Virginem Cultu praeeminentibus, lib. I. — *Palmam Marianam*, sive de Sanctis, pro Catholica Fide ac Pietate, Martyrii Palmam inclytis, qui Mariam Deiparam Virginem sin-

gularis venerationis cultu prosequuti sunt, lib. I. — *Lilia Mariana*, seu de Candidissimis Sacrarum Virginum in Mariam Deiparam et Virginitatis Principem Studiis, lib. I. — *Heroides Marianas*, seu de singulari Illustrium Faeminarum Principum in Mariam Deiparam Virginem Adfectu, lib. I. — *Caesares Marianos*, seu de Christianis Imperatoribus, pietate atque amore in Mariam Deiparam Virginem conspicuis, lib. I. — *Reges Marianos*, seu de Christianis Regibus in Mariam Deiparam Virginem cultu ac devotione Illustribus, lib. I. — *Principes Marianos*, seu de praecipuis Christianorum Principum infra Caesares Regesque in Mariam Deiparam Virginem Obsequiis, lib. I. — *De Marianae Coronae Calculis* Romae in Ecclesia S. Mariae in Campitello asservatis, Dissertationem, Romae, apud Franciscum Caballum, 1642, in-8. — Prae manibus habeo¹ *Bullarium Marianum*, seu Collectionem Bullarum, Constitutionum, Diplomatum, Breviumque Apostolicorum, in honorem cultumque Mariae Virginis a Summis Pontificibus seu Sede Apostolica emanatorum, tomis 2. — *Polyantheam Marianam*, sive Mariae Deiparae Virginis Nomina et Encomia selectiora, e Sanctorum Patrum, aliorumque Sacrorum Scriptorum monumentis collecta, atque alphabetica serie digesta, tomis 3. — *Caelum Marianum*, seu Mariae Deiparae cum Coelis materialibus, in nomine, natura, virtutibus, proprietatibus Adsimilationem, tomo 1. — *Sacerdotium mysticum Marianum*, seu Sacerdotis Evangelici dignitatem, munus, et officium Mariae Deiparae spiritualiter adaptata, tomo 1. — *Bibliothecam*, item, *Magnam Marianam*, continentem Historica Methodo, et ordine temporum, Opera omnia, quae Veteres Patres, atque antiqui Scriptores Ecclesiastici de Maria Deiparente Virgine peculiariter conscripta reliquerunt, tomis compluribus, et alia, quae auxiliari Magnae Dei Matris manu, vita comite, proferentur in lucem». In operibus istis et praesertim in *Bibliotheca Mariana*, plura inveniuntur quae respuenda sunt, utpote apocrypha et sensu critico carentia.

40. S. IOANNES EUDES (1601-1680)

Scriptis: 1) *La Dévotion au très Saint Cœur et au très Saint Nom de la B. Vierge*; 2) *Le Cœur admirable de la Mère de Dieu*, Caën, 1681. « Ce livre — scribit Lévesque — est une Somme Mariale, pleine d'onction et de piété » (*Le bienheureux Eudes, sa spiritualité*, 1923, n. 9).

41. ALOYSIUS FR. D'ARGENTAN, O. F. M. Cap. (1615-1680)

Est auctor operis *Conférences sur les grandeurs de la Très Sainte Vierge* (Rouen, 1680; Paris 1687, 1887; Avignon, 1756), quae sat solido fundamento theologico innituntur.

¹ Opera *Polyanthea Mariana*, *Familia Mariana*, *Apostoli Mariani*, inveniuntur in *Summa aurea* BOURASSÉ, voll. IX-XI, XIII.

42. **ALOYSIUS ABELLY** (1603-1692)

Scriptis opera: 1) *La Tradition de l'Eglise touchant la dévotion particulière des chrétiens envers la très Sainte Vierge Marie, Mère de Dieu*, Paris, 1662; 2) *Sentiments des Pères et Docteurs de l'Eglise touchant les excellences et prérogatives de la très Sainte Vierge Marie ... pour servir de réponse à un libelle intitulé: Avertissements de la B. V. M. à ses dévots indiscrets*, Paris, 1674; 3) *Réponse de M. de Rodez à la lettre qu'on lui a écrite sur le sujet du livre des Avertissements salutaires*, Paris, 1674; 4) *Défense de l'honneur de la très Sainte Mère de Dieu contre les ennemis de son Immaculée Conception* (cfr *Dict. d'Hist. Ecclés.*, art. *Abelly*, t. I, col. 102).

43. **IOANNES CRASSET, S. I.** (1618-1692)

Scriptis classicum opus: *La véritable dévotion envers la Sainte Vierge établie et défendue*, Paris, 1679, 1687, et 1708.

44. **NICOLAUS PALLAVICINUS, S. I.** (1621-1692)¹

Edidit opus: « *Le Grandezze della Madre di Dio* ». Opera in cui si rifiutano le antiche e moderne eresie contro la Divina Maternità e le altre doti della Vergine ecc., Roma, 1690.

45. **P. PAULUS SEGNERI, S. I.** (1624-1694)

Scriptis opus *Il devoto della Vergine*, editum Bononiae a. 1677, et postea pluries et in pluribus linguis impressum. In ipso expenduntur varia motiva et media honorandi B. M. V., simul cum « un fond de doctrine très substantielle et parfois très originelle » (*DILLENCHNEIDER*, o. c., p. 223).

46. **HENRICUS M. BOUDON** (1624-1702)

Fuit praecipuus refutator operis « *Monita salutaria* ». Scriptis: 1) *Avis catholiques touchant la véritable dévotion de la B. Vierge*; 2) *La dévotion à l'Immaculée Mère de Dieu*; 3) *Dieu seul*, ou le saint esclavage de l'admirable Mère de Dieu; 4) *Les grands secours de la divine Providence par la très Sainte Vierge, Mère de Dieu, invoquée sous le titre de Notre-Dame du Remède, dans l'Ordre de la très Sainte Trinité et de la Rédemption des captifs*.

¹ SOMMERVOGEL, o. c., col. 117.

47. **IACOBUS B. BOSSUET** (1627-1704)

Scriptis plures *sermones* marianos, theologica scientia refertos (cfr *Œuvres*, ed. Martin Baupré, 1868; Lebarcq, 1890).

48. **ALOYSIUS BOURDALOUE, S. I.** (1632-1704)

Plures reliquit *Sermones* de B. M. V. (*Œuvres Orat.*, Vivès Paris, 1867).

XI). - SAEC. XVIII

I. **B. LUDOVICUS GRIGNION de Montfort** (1673-1716)¹

Natus est in oppido Montfort die 31 ianuarii 1673. Post studia philosophica in Collegio Remensi apud Iesuitas peracta, studio theologiae incubuit Parisiis in Seminario S. Sulpicii, ubi sacerdotio initiatus est die 5 iunii 1700. Per sexdecim annos, in bonum animarum, missionum ope, inter persecutiones et cruciatus fere continuos intensissime adlaboravit, ad veram devotionem erga Virginem, cuius amore flagrabat, omnes instanter excitando. Quae in hisce Missionibus docuit, postea scripsit (cfr *Traité* etc., n. 110). Mortuus est die 28 aprilis 1716.

Classicum opus cui titulus *Traité de la véritable dévotion à la Sainte Vierge*, anno 1842 inventum et prima vice editum, magnum exercuit et exercebit influxum in doctrinam et cultum B. Virginis. Doctrina vero huius tractatus synthetice proposita fuit ab eodem Beato in aureo opusculo *Le secret de Marie*.

Mariologia Montfortana est: a) *originalis*, b) *solidissima*, c) *eminenter practica*, d) *unctione referta*.

a) **Originalis**. Quamvis enim B. Grignion ultimus sit inter discipulos Cardinalis de Bérulle, et ideo a schola Berulliana, quoad ideas fundamentales operis sui evidenter dependeat, originalitas tamen doctrinae eius ubique refulget. «Non obstant des emprunts (à Bérulle et à Boudon), on doit dire que de la première ligne à la dernière de ce vivant opuscle, l'originalité de l'auteur s'affirme vigoureuse. Il lui revient d'avoir défini, mieux que ses devanciers, la parfaite dévotion à Marie et d'en avoir réglé la pratique jusque dans les moindres détails. C'est dans ce sens qu'il faut l'entendre, quand il écrit: " Je proteste hautement, qu'ayant lu presque tous les livres qui traitent de la dévotion à la Mère

¹ Cfr LHOUMEAU, S. M. M., *La vie spirituelle à l'école du B. L. M. Grignion de Montfort*, Tours, 1926; GEBHARD H. M., S. M. M., *Commento al trattato della vera divozione a Maria Vergine*, in *Regina dei Cuori*; ROSCHINI G. M., O. S. M., *La Corredentrice degli uomini secondo il B. di Montfort*, in *Regina dei Cuori*, a. 1940-1941.

de Dieu, et ayant conversé familièrement avec les plus saints et savants personnages de ces derniers temps, je n'ai point connu ni appris de pratique envers la Sainte Vierge, semblable à celle que je vais dire".¹

« Où le Bienheureux accuse plus fortement encore la note personnelle, c'est quand il établit, dans la première partie de son traité, la légitimité du saint esclavage. Le cardinal de Bérulle en avait justifié la pratique, en démontrant qu'elle n'était qu'une parfaite rénovation des vœux et des promesses du baptême. Le vénéré Boudon en avait, pour l'accréditer, appelé à l'argument de la tradition. Grignon de Montfort remontera plus haut et prouvera que cette dévotion répond de tout point au plan de la sagesse divine. A cette fin, il exploitera avec une sûreté de logique admirable l'idée de la médiation de Marie dans l'économie de notre salut. Chez lui, cette doctrine décrit toute sa courbe harmonieuse » (DILLENCHNEIDER, l. c., pp. 247-248).

b) **Solidissima.** Supponit enim, prout vel legentibus patet, cognitionem profundissimam theologiae marianae, praesertim patristicae. Ipsemet auctor fatetur se legisse *fere omnes libros* de devotione mariana pertractantes (*Traité* etc., n. 118). Et alibi fatetur se textus marianos Patrum et doctorum ample collegisse (ibid., n. 41). Eius mariologica scientia apparet etiam ex innumeris notis manuscriptis, adhuc ineditis. Iure, Tractatus Montfortanus appellatus est « la Metafisica della dottrina intorno a Maria Vergine ». Notatu praesertim dignissima apparet doctrina de Mediatione Universali B. Virginis, in tota sua extensione ita ut « Doctor Mediationis » vere appellari possit. Fundamenta devotionis marianae, nullibi sicut in hoc tractatu, tam valide exponuntur. « Libro di piccola mole, scribebat Benedictus XV, ma di soavissima devozione e di solidissima dottrina ». ²

c) **Eminenter practica.** Scopus enim tractatus est eminenter practicus: indigitare, nempe, fidelibus, perfectissimam formam devotionis erga B. Virginem, in sancta servitute, seu potius captivitate reposita, ita ut omnia cum Maria, in Maria, mediante Maria et per Mariam peragantur. Maria enim est via facillima, brevissima, tutissima, delectabilissima qua ad Iesum pervenitur.

d) **Unctione referta.** Mariologia enim Montfortana non est doctrina arida, frigida, abstracta aut speculativa, sed est mirabiliter sapida quia mirabili unctione perfusa ita ut sub speciali quodam Spiritus Sancti afflatu conscripta appareat. Ipsemet enim Beatus aperte testatur quod Spiritus Sanctus usus est ipso ad librum illum scribendum (*Traité*, n. 114).

Haec unctio ex hoc provenit quod paginae illae, antequam scriberentur, ab ipso auctore, viro sanctissimo, ad praxim perductae fuerunt. « In questo libro,

¹ *La vraie dévotion*, p. 86.

² In Epist. authogr. ad Sup. Gen. S. M. M. diei 19 aprilis 1916, occasione II Centenarii a morte Beati. In variis Litteris Encyclicis RR. Pontificum, et praesertim in Litt. Encycl. Pii X *Ad diem illum*, haud raro echo quaedam doctrinae Montfortanae percipitur.

scribebat P. Faber, si rileva il sentimento di un certo non so che di ispirato e di soprannaturale che va aumentando, man mano si progredisce nello studiarlo. Lettolo e riletto, si è costretti a toccare con mano che la sua novità non invecchia, la sua pienezza non diminuisce, il fresco profumo e il fuoco sensibile della sua unzione non si altera nè vien meno ». ¹

2. **IACOBUS WENNER, S. I.** (1659-1725) ²

Edidit opus *Resolutiones Partheniae, seu quaestiones 50 de B. V. Maria, brevi methodo discussae*, Graecii, 1701. In quest. 26, B. Virgini privilegia status innocentiae vindicat.

3. **CAROLUS DEL MORAL, O. F. M. Obs.** († 1731) ³

Scrpsit opus: *Fons illimis Theologiae scoticae marianae*, Matriti, 1730, vol. 2 in-fol. In ipsis docte agit de essentia et attributis maternitatis divinae, de mirabili praedestinatione Virginis, de iustitia originali, de gratia et Virginis impeccabilitate, de meritis et virtutibus. Novas aliquando theorias profert.

4. **IOANNES BAPT. VAN KETWIGH, O. P.** († 1746) ⁴

Est auctor praeclari operis *Panoplia Mariana*... Antuerpiae, 1720, contra errores mariologicos Iansenistarum. « Un des charmes — scribit Dillenschneider — de cette Mariologie scolastique, et non le moins profond, est le souci constant de son auteur, de ne pas s'écarter d'une ligne des principes de saint Thomas » (o. c., p. 149). Est velut Mariologia *ad mentem S. Thomae*.

5. **HYACINTHUS SERRY, O. P.** (1659-1738)

Reliquit opus *Exercitationes historicae, criticae, polemicae de Christo eiusque Virgine Matre*, Venetiis, 1719 (cfr *Dict. de Théol. Cath.*, art. *Serry*, coll. 1961-1962). Anno 1722 opus istud a Suprema S. C. S. Officii in indicem librorum prohibitorum insertum est.

6. **S. LEONARDUS a Portu Mauritio, O. F. M. Ref.** (1676-1751)

In suis peribus (editis Romae, a. 1853) inveniuntur plures *Sermones* de B. M. V., qui magnum exercuerunt influxum in devotione erga B. M. V. promovenda.

¹ In praef. ad versionem anglicam ab ipso peractam, a. 1862.

² Cfr SOMMERVOGEL, o. c., col. 1071.

³ Cfr HURTER, *Nomenclator Literarius*, t. 4, p. 1026; ed. 3, Oeniponte., 1910.

⁴ Cfr *Scriptores Ordinis Praedic.*, t. 3, pp. 820-824.

7. **AMIDEUS MARKEL, O. S. M.** († 1760)¹

In sua *Theologia univērsa* in 18 libros divisa, integrum librum III Deiparae consecrat, sub titulo *Tractatus de Deipara Virgine*. Edidit etiam a. 1734 tractatum *de virtutibus heroicis a B. Virgine exercitis in vita, passione et morte I. Christi Filii sui*.

8. **P. CAESARIUS M. SHGUANIN, O. S. M.** (1692-1769)²

Fuit patria Tyrolensis, ex Valle Venusta, habitu Ord. Serv. Mar. Frohnleithii indutus die 25 iulii an. 1713, lector philosophiae ac dein theologiae prius in conventu Oeniponti, postea in conventu S. Marcelli de Urbe, poenitentiarium in Basilica Vaticana. Vir scientissimus, insignis canonista, mortuus est Romae, cardinalis reservatus in pectore, cum fama sanctitatis. Fere innumera opera scripsit, quae adhuc extant in Archivo Ordinis, de re philosophica, moralis, canonica, hagiographica, historica, ascetica etc. vel typis mandata vel adhuc manuscripta. Sed ad nos quod attinet, ex multis et quidem ingentibus voluminibus in folio manuscriptis, vel contractis titolis, pauca quae sequuntur, meminisse sufficiat, nempe: 1^o) *Super mysterio de univērsali reformatione relatio quam de immediata voluntate Mariae Immaculatae Virginis et SS. Dei Genitricis... ab Altissimo electae et constitutae mundi reformatricis SS. Domino Domino Clementi Papae XII in quinque libros distinctam detulit Caesarius etc. Relatio super mysterio de univērsali reformatione etc., libri XIII.* — 2^o) *Vita, Passio et Triumphus B. V. Mariae sine labe conceptae Virginis Dei Genitricis, Iesu Christi in passione Sociae etc., et producta coram Summo in terris Iesu Christi Vicario Clemente XIII etc., tomi IV.* — 3^o) *Tuba mirum spargens sonum, seu univērsalis reformationis opus, quod de immediata voluntate Mariae Virginis Immaculatae... in Urbe paratum SS. Dño Dño Clementi XIII directum etc., tomi V.* Et alia quamplurim opera in quibus omnes propemodum quaestiones mariologicae mira doctrinae profunditate et concinna perspicuitate referuntur atque effuso calamo pertractantur. Primus omnium, a Clemente XIII definitionem dogmaticam Assumptionis corporeae postulavit.

9. **IOANNES CHRYSOSTOMUS TROMBELLI** (1697-1784)³

Edidit egregium opus *Mariae SS. vita ac gesta, cultusque illi adhibitus per dissertationes descripta*, Bononiae, 1761-1765, 6 vol.

¹ Cfr HURTER, o. c., t. 4, p. 1377.

² Cfr BERARDO S., O. S. M., *La Mariologia del P. Cesario M. Shguanin, O. S. M.*, in *Marianum*, a. 1947, fasc. I.

³ MORONI, *Dizionario di erudizione storico-ecclesiastica*, vol. 81, pp. 96-97.

10. S. ALPHONSUS M. DE LIGUORI (1696-1787) ¹

Inter Mariologos omnium saeculorum, nemo forsàn, in doctrinam et cultum marianum, tam universalem et efficacem exercuit influxum sicut S. Alphonsus.

Natus est Neapoli die 27 sept. 1696 ex nobili familia neapolitana. Anno 17 aetatis suae lauream utriusque iuris in patria universitate assecutus est. Vigessimum septimum annum agens, pericula fori vitare et Dei servitio se totum mancipare cupiens, habitum ecclesiasticum sumpsit, et postea Sacerdos consecratus est. Anno 1732 Congregationem instituit a SS. Redemptore nuncupatam. Anno 1762 Episcopus S. Agatae Gothorum consecratus, omnibus omnia factus est. Mortuus est Nuceriae Paganorum die 1 augusti 1787. Eum Pius Papa IX, anno 1871, Universalis Ecclesiae Doctorem declaravit. B. Virginis fuit semper singulariter devotus.

Plura egregie scripsit ad Theologiam Moralem et Asceticam spectantia.

Eminent, inter omnia eius opera, opus « *Le Glorie di Maria*, opera utile per leggere e predicare divisa in due parti. Nella *prima* si ragiona delle molte e copiose grazie che la Madre di Dio dispensa a' suoi devoti, dichiarate in diversi punti sopra la *Salve Regina*. Nella seconda parte poi si ragiona delle sue *Feste* principali, e dei suoi *Dolori*, così in generale come in particolare. Indi si tratta delle sue eroiche *Virtù*. E poi degli *Ossequi* da praticarsi in suo onore. Infine vi è una *Raccolta* di esempi scelti ». ²

Inter dissertationes invenitur quoque *Dissertatio super censuris circa Immaculatam B. M. Virginis Conceptionem*, 1748.

Opus *Le Glorie di Maria*, primum editum Neapoli, a. 1750, et postea in varias linguas translatum ac innumerabilibus vicibus editum, fuit revera *signum contradictionis*. « De Doellinger qui donne le ton, jusqu'à Drews, en passant par

¹ Cfr DILLENSCHEIDER C., C. SS. R., *La Mariologie de S. Alphonse De Liguori*, vol. I, *Son influence sur les renouveaux des doctrines mariales et de la piété catholique après la tourmente du Protestantisme et du Jansénisme*, Fribourg (Suisse), 1931. — Vol. II, *Sources et synthèse doctrinale*, Fribourg (Suisse), 1934. — Est opus vere classicum, Mariologica eruditione referunt, ac sub omni respectu completum; ANGEL LUIS, *La compasión de María según San Alfonso Maria de Ligorio*, in *Vida Sobrenatural*, t. 39 (1940), pp. 3-14; 81-91; 161-174. VAN ROSSUM G. M., C. SS. R., S. Alphonsus M. De Liguori et Immaculata Conceptio B. M. Virginis, Romae, 1904.

Pro vita et operibus S. Alphonsi consuli possunt CAPECELATRO, *La vita di S. Alfonso M. De Liguori*, Roma, 1893; KARNMENGIESER J., in *Dict. de Théol. Cath.*, t. 1, coll. 906-920.

² Cfr. *Opere ascetiche*, vol. VI, *Le Glorie di Maria*. Parte I. Sopra la Salve Regina; parte II Discorsi ecc. Est editio critica accuratissima et egregiis adnotationibus referta, cura Patrum Congregationis SS. Redemptoris (Roma, via Merulana, 31). Editionem criticam popularem curavimus et nos anno 1940 (Edizioni *Marianum*), cum introductione et notis.

Meyrick, Pusey, Littledale, Achelis, Zoëckler, Heiler, Wernle, c'est le même refrain que nous entendons. Alphonse s'est voué au culte fanatique de Marie, et son crime est d'avoir fait de trop nombreux prosélytes. On n'a pas idée à quelle note disgracieuse se monte souvent la polémique autour de saint Liguori. Au dire de Zoëckler, la dépravation et la paganisation de la vie de l'Eglise, remonte à la théologie des Ordres religieux, notamment à celle qui eut pour chef, au XVIII^e siècle, l'auteur des *Glorie* »¹ (DILLENCHNEIDER, *La Mariologie de S. Alphonse de Liguori*, I, p. vi). Inter Italos in synthesesim veluti redigit impias calumnias contra S. Alphonsum illatas Franciscus Sciarelli, scribens: « Questo libro, che è frutto del fanatismo *mariolatrico* di Alfonso de Liguori, è pieno delle più empie e sacrileghe bestemmie ... È questo un libro che largamente favorisce vivere immorale; giacchè, secondo quanto è ivi insinuato, gli uomini più scellerati e facinorosi, le donne più corrotte per vituperevoli costumi, sono certi e sicuri della salvezza della loro anima, purchè dicano un'Ave al giorno, o abbiano qualche altra divozione a Maria ... E intanto questo libro, ricolmo di bestemmie e fecondo di insinuazioni a dimorare impunemente nella immoralità e nel delitto, è il testo favorito dei predicatori cattolici, ed è solennemente approvato con un decreto speciale ed infallibile di Papa Gregorio XVI » (*La Madre di Gesù Cristo*, pp. 124-127, Roma, 1879).

Ex adverso, auctores catholici magnis meritisque laudibus opus illud celebrarunt et celebrant: « Avec ses *Glorie di Maria*, scribit Rivière,² Alphonse eut le mérite de porter au jansénisme le coup décisif et de couronner avec plus encore de plénitude théologique et de succès pratique l'effort de ses prédécesseurs ». P. Adhemarus d'Alès habet opus « pour le manuel par excellence de la dévotion confiante envers Marie ». ³ P. Deneffe tenet quod « Saint Alphonse a condensé dans sa *Mariologie* tous les travaux de ses devanciers et assuré ainsi le triomphe des thèses mariales traditionnelles ». ⁴

Laudes istae, doctrinae marianae S. Alphonsi tributae, minime exaggeratae videntur. Mariologia enim S. Alphonsi hac triplici nota distinctiva nobis commendatam se offert, videlicet: est a) *encyclopedica simul et progressiva*, b) est *completa*, c) *fundatissima*, d) *unctionis plena* et e) est *eminenter practica*. Nil mirum igitur si tam universalem et tam efficacem influxum exercuit in omnes Mariologos posteriores.

Mariologia S. Alphonsi est:

a) **Encyclopaedica et progressiva.** In Mariologia enim, sicut in omnibus aliis operibus etiam minimis, S. Doctor sapientissime rationem habet omnium

¹ HAUCK, *Realencyklopedie d. prot. Theologie*, t. 12, col. 329.

² Cfr *Rev. des Sciences religieuses*, t. 12 (1932), p. 476.

³ In *Etudes*, t. 211 (1932), p. 233.

⁴ In *Scholastik*, 7 Jahrg. (1932), p. 613.

quae a praecedentibus scriptoribus prolata fuerunt, ita ut veluti omnium echo evadat. «La Mariologie de S. Alphonse est le résumé exact de toute la tradition doctrinale du moyen âge touchant la Sainte Vierge» (DILLENCHNEIDER, o. c., I, p. 282).

«Controversistes, théologiens, et auteurs spirituels avaient, au XVII^e siècle, rendu à la mariologie catholique, les plus signalés services. Les premiers s'étaient attachés à dissiper les préjugés et les interprétations tendancieuses que les adversaires avaient accumulés autour des privilèges de Marie et de son culte. Les seconds avaient par leurs spéculations hâté le progrès homogène et l'enrichissement des thèses mariales. Les derniers s'étaient employés à encourager l'enseignement courant sur la Vierge, et à redonner à la piété catholique un regain de ferveur pour la Reine du ciel. Il n'était que de condenser les acquisitions obtenues et de composer, à l'usage des fidèles, un *compendium marial* à la fois solide et pieux. Ce fut la tâche à laquelle se dévoua saint Alphonse et qu'il amena à bon terme» (Ibid., p. 252). Quidquid igitur boni, sive apud apologetas, sive apud theologos sive apud auctores spirituales anteacti temporis invenerat, in suo opere diligenter S. Doctor adunavit, ita ut parva quaedam encyclopaedia mariana evaserit. At, non in hoc tantum sistit S. Alphonsi mariologicum meritum. Ipse enim, sua vice, et apologeta, et theologus et spiritualis auctor fuit. Qua apologeta, strenue et valide defendit contra Lud. Antonium Muratori dogma Immaculatae Conceptionis et Mediationem Universalem B. M. V. Qua theologus, novas dilucidationes et probationes identidem attulit quaestionibus mariologicis ante ipsum pertractatis. Qua auctor spiritualis devotionis fervorem sapienter moderatum, erga B. Virginem, in omnibus fidelibus omnibus viribus promovere satagit. Quapropter, Mariologia Alphonsiana dicenda est simul encyclopedica et progressiva.

b) **Completa.** Universa enim Mariologia Alphonsiana, in duplici missione ad quam electa fuit Beatissima Virgo, tamquam in duplici fundamentali principio, fundatur, videlicet: Mater Dei et Mediatrix hominum, seu Socia Mediatoris in universo Mediationis opere, seu in nostra reconciliatione, in nostra regeneratione spirituali et in distributione omnium et singularum gratiarum. Ex hoc duplici fundamentali principio, seu ex hoc quod fuit B. Virgo *digna* Mater Dei et *digna* Mediatrix hominum, deducit S. Doctor praerogativas omnes, sive animae (immunitas a peccato originali, a fomite concupiscentiae, a peccato actuali; singularissima gratia initialis B. Virginis et iugis in ea progressus) sive corporis (virginalis puritas et votum virginitatis; assumptio gloriosa). Fusa agit de cultu honoris et invocationis B. Virgini exhibendo. Principia vero quibus saepe utitur ad explicitiora reddenda varia praerogativa mariana, sunt principium convenientiae et principium eminentiae seu comparationis cum omnibus aliis Sanctis.¹

¹ Cfr Schema generale Mariologiae Alphonsianae a C. Dillenschneider propositum, o. c., vol. II, pp. 52-55.

Haec tamen doctrina, in se substantialiter completa, non organice seu systematice, sicut nos fecimus, a S. Doctore exponitur, sed passim, in universo opere. Ipse enim, pro fidelibus scribens, exempla P. Miechow et P. Paciuchelli secutus, ordinem *liturgicum* sequitur, exponendo scilicet antiphonam *Salve Regina*.

c) **Fundatissima.** Ad fontes enim, scilicet ad Scripturam et ad Traditionem, iugiter recurrit, et ex illis veritates omnes mariologicas haurit. « Fait indéniable, scribit Dillenschneider, en composant les *Glorie*, saint Alphonse mit autant que personne à contribution nos Livres Saints » (o. c., II, p. 2). Recurrit praesertim ad Canticum Canticorum, de quo 78 citationes habentur. Sobrius utitur etiam scriptis apochryphis, in quibus aliquid veri invenitur.

Sed praesertim S. Doctor ad Traditionem viventem Ecclesiae recurrit. « D'avoir été le champion le plus résolu de la tradition vivante de l'Église dans le siècle le plus hostile qui fût jamais à cette même tradition, c'est là un des titres de gloire les moins contestés de saint Alphonse de Liguori ... C'est spécialement dans les *Glorie di Maria*, qu'il nous est aisé de saisir sur le vif le respect souverain que professe saint Alphonse pour les monuments de la tradition chrétienne.

« On peut dire qu'il ne les a jamais interrogés avec plus d'amour que sur les privilèges de la Vierge. La pensée de l'Église sur Marie lui arrivait: a) de l'enseignement des Pères et des Docteurs; b) de la Liturgie catholique; c) et des manifestations du sens chrétien ». (Ibid., p. 18). Quamobrem paginae operis eius persaepe opus quoddam musivum apparent ob frequentissimas Patrum et Scriptorum citationes. Utitur etiam, sed caute, revelationibus privatis. Non ita tamen, prout nobis et etiam aliis videtur, processit in narrationibus miraculosis referendis, in quibus haud raro sensus criticus deesse videtur, cum praeiudicio veritatis et soliditatis.

d) **Uctionis plena.** In lectione enim operis Alphonsiani, a prima usque ad ultimam paginam, unusquisque persentit hominem sanctissimum loqui. Integer liber scopum auctoris assequitur: « far piovere luci di confidenza e fiamme di amore ».

e) **Eminenter practica.** Iugiter enim S. Doctor, qui animarum pastorem se esse persentit, practicum intentum evidenter persequitur et evidenter etiam assequitur: promotionem scilicet amoris et fiduciae in omnibus fidelibus erga B. Virginem, omnium gratiarum Mediatricem. Liber *Le Glorie di Maria*, vere « Liber humilium » dici potest, quibus panis solidus scientiae marianae iugiter frangitur. « Ben io ho osservati innumerevoli libri — scribit S. Doctor in Introductione, — che trattano delle glorie di Maria, e grandi e piccioli; ma considerando che questi erano o rari o voluminosi o non secondo il mio intento, perciò ho procurato da quanti autori ho potuto aver per le mani di raccogliere in breve, come ho fatto in questo libro, le sentenze più scelte e spiritose de' Padri e de' Teologi, affine di dare il comodo a' divoti con poca fatica e spesa, d'infiammare

con la lezione nell'amor di Maria, e specialmente di porgere materia a' Sacerdoti di promuovere con prediche la divozione verso questa divina Madre». Hinc modus dicendi simplex omnino et omnibus patens quo in expositione doctrinae Marianae iugiter utitur.

Quae cum ita sint nil mirum si opus mariologicum S. Alphonsi « il povero contradetto libro della Madonna » tam profundum et simul tam universalem influxum in fideles et in ipsos Mariologos cuiuscumque fere regionis exercuerit, prout ex innumeris fere editionibus in variis orbis terrae partibus peractis evidenter apparet. In Italia circiter 40 editiones peractae fuerunt; in Gallia vero 28 editiones completae et 99 partiales, i. e. *Salve Regina*; in Germania 7 circiter; in Helvetia 10 circiter; quamplurimae in Belgio, in Hollandia, quaedam etiam in Anglia etc. Iure igitur S. Alphonsus inter principes Mariologiae collocatur.

XII). - SAEC. XIX ¹

1. GULIELMUS IOSEPH CHAMINADE (1761-1850)

Fuit fundator Societatis Mariae (Marianistae). Reliquit op. *Petit Traité de la connaissance de Marie*, Paris, Téquy, 1927, nec non *Manuel des Serviteurs de Marie*, Bordeaux, 1801. Cfr NEUBRET E., S. M., *La Doctrine Mariale de M. Chaminade*, p. 113, Les éditions du Cerf, Juvisy, Paris, 1938.

2. IOANNES BAPT. MALOU (1809-1864)

Fuit Professor Theologiae dogmaticae in Universitate Catholica Lovaniensi et postea Episcopus Brugensis. Opus eius *L'Immaculée Conception de la très-sainte Vierge Marie, considérée comme dogme de foi*, 2 voll., Gemacré, Bruxelles, 1857, notabilem exercuit influxum in Mariologos posteriores relate ad dogma Immaculatae Conceptionis B. M. V.

3. IOANNES IACOBUS BOURASSÉ (1813-1870)

Fuit professor theologiae dogmaticae, canonicus Turonensis nec non Societatis Archeologicae praeses. Collegit *Summam auream de laudibus B. M. V.*, ex sacris bibliis, operibus SS. Patrum, decretis conciliorum, etc., Parisiis, 1862, tomi 13. Saepe tamen in hoc voluminoso opere sensus criticus deest omnino.

In vol. I continetur « Historia Mariana » Mariae SS. vita et gesta, per dissertationes descripta, auctore Io. Chrys. Trombelli. In vol. II continuatio habetur

¹ Scriptores Mariani saec. xx, utpote recentiores, sunt communiter noti, ideoque hic omituntur. Praecipui tamen in Bibliographia generali in initio huius voluminis posita, recensiti fuerunt.

« Historiae Marianae » nec non « Historia Deip. Virg. Mariae « auctore Christophoro De Castro S. I. ». De reliquiis B. M. V., et de aedibus quas incoluit B. Virgo, auctore Trombelli; Iconographia B. M. V., auctore Trombelli; Biblia Mariana, auctoribus I. De S. Miguel et Barco Burgensi O. P. — In vol. III continentur: Mundus Marianus, seu symbola Virginea (Picinelli), Hortus Marianus (Pexen-Felder S. I.), Liturgia Mariana (Colvener). In vol. IV continuatur Liturgia Mariana, de cultu publico ab Ecclesia Mariae exhibitio (Trombelli), de cultu mariano (J. Thomas a S. Cyrillo, Coster, Raymundus Iordanus, Seamer etc...). — In vol. V et VI continentur Testimonia Mariana SS. Patrum (Bourassé). In vol. VII continetur Bullarium Marianum (Bourassé), Conciliorum Decreta Mariana (Bourassé), Scholastica Mariana (Sedlmayr). — In vol. VIII continetur Scholastica Mariana, et sequentia: De 12 privilegiis B. M. V. (S. Albertus M.), De Immaculata Conceptione B. M. V. (Gravois, Suarez, Malou, Sire), Polemicae Marianae, seu de B. M. V. incomparabili (Canisius). — In vol. IX continetur paraenetica mariana (Reismiller), Polyanthea Mariana (H. Marracci). In vol. X et XI, Polyanthea Mariana (idem), necnon familia mariana. (idem). In vol. XIII continentur Peregrinationes Marianae (Gumpfenberg), De imitatione B. M. V. (Sailer), Miranda Mariana (Cimaroli). — In vol. XIII varia inveniuntur, videlicet: Litaniae Lauretanae (Berlendus), Apostoli Mariani (Marracci), Expositio litteralis Cantici *Magnificat* (Alva y Astorga), Parthenice (Baptista Mantuanus).

Bourassé edidit insuper opus *Historire de la Vierge Marie*, Turonibus, 1862.

4. LUDOVICUS a Castroplanio, O. F. M. Obs. (1874)

Scriptis opus: *Maria nel consiglio dell'Eterno*, ovvero la Vergine predestinata alla missione medesima con Gesù Cristo, voll. 3, Neapoli, 1872.

5. ROHAULT DE FLEURY († 1875)

Typis edidit opus *La Sainte Vierge. Études Archéologiques et Iconographiques*, Paris, 1878, 2 voll. in-4.

Est opus in quo sensus criticus plerumque deest, et ideo caute omnino in usus illius procedi debet.

Iure de hoc opere cl. Leclerq severum iudicium hoc protulit: « G. Rohault de Fleury consacra ainsi à l'histoire de la personne et du culte de Marie un travail développé, dans lequel il interrogeait les textes et représentait les monuments antérieurs au XII^e siècle. Or, partout, l'auteur rapporte, avec une complaisance évidente, les légendes auxquelles il n'ajoute foi que si elles donnent à tel ou tel sanctuaire une origine aussi illustre que reculée. S'il existe des raisons de rejeter ces contes apochryphes, il n'y fait pas allusion, afin de ne pas ruiner

le brillant édifice qu'il construit. Toutes les historiettes les plus décriées, relatives à l'établissement du christianisme dans les Gaules, sont accueillies avec une candeur qu'une profonde ignorance excuse seule de la mauvaise foi. Ce n'est pas seulement les évêchés qui remontent au 1^{er} siècle, ce sont les sanctuaires dans lesquels on a célébré le culte de la Vierge dès le 1^{er} siècle, sous l'impulsion des saints de Provence et de beaucoup d'autres tout aussi imaginaires. Mais ce n'est pas assez, et l'auteur soutient que "à Evreux comme à Chartres, on peut dire que le culte de la sainte Vierge est antérieur même au christianisme, puisque la tradition asiatique d'une vierge qui devait enfanter se conservait dans toute la confédération aulerque" ... Dès qu'il s'agit de prouver l'antiquité du culte de Marie en Gaule, les monuments les plus suspects deviennent d'irrécusables témoins; il va sans dire que l'inscription pseudo-druidique de Chartres: *Virginii pariturae* est du nombre. Et ce trait donne au livre sa valeur vraie. C'est une thèse, en vue de laquelle la science n'est qu'un prétexte et l'érudition un procédé » (*Dict. d'Archéol. Chrét.*, t. 10-2, col. 2043).

6. CAROLUS PASSAGLIA (1812-1887)

Inter praecipuos Theologos saec. XIX merito numeratur. Praecipuum eius opus fuit *De immaculato Deiparae semper virginis conceptu* (p. 1375), in tres partes divisum, Neapoli a. 1854-1855 editum. In prima Parte agit de Virginis idea, appositis typis; in secunda Parte de accommodatione Scripturarum ad Virginem et de Scripturarum testimoniis relate ad ipsam; in tertia tandem Parte sententiam traditionis circa Virginem exponit, conceptae Virginis cultum et institutae probationis iudicium. Est opus vere ingens, critice tamen haud parum imperfectum. « Œuvre confuse et dénuée de critique ». Ita P. Jugie, in *Dict. de Théol. Cath.*, art. *Immaculée*, t. 7, 894.

7. IOSEPH SCHEEBEN (1835-1888)

« Grand théologien qui a consacré à Marie les pages les plus profondes et les plus belles de sa Dogmatique »¹ (DRUWÉ, in *Bulletin de la Société Française d'Et. Mar.*, 1936, p. 9; cfr *Sistematische Mariologie*, Vertaald door H. B. Van Waes, S. I., met inleiding en aanteekeningen van Eug. Druwé S. I., Brussel, 1938). A cl. Bittremieux habetur « inter doctores mariales nostrae aetatis princeps » (*Ephem. Theol. Lov.*, t. 3 (1926), p. 234).

¹ *Handbuch der Katholischen Dogmatik*, t. 3 (Fribourg i. B., 1882), pp. 455-629.

8. **AUGUSTUS NICOLAS** (1807-1888)

Fuit magnus apologeta saec. XIX. Scripsit opus vere egregium de B. M. V. in tres partes divisum: in prima parte (vol. 1) *La Vierge Marie dans le plan divin* (1885) ostendit quomodo aeternum Dei consilium in creatione et redemptione tres veluti terminos complectitur: Deus, Iesus, Maria. In initio *Maria*, pura creatura, in medio seu in centro, Iesus, Deus-Homo, et in summitate Deus aeternus. In secunda parte (vol. 2) considerat *La Vierge Marie d'après l'Evangile* (1857). Tertia vero pars (vol. 3) *La Vierge Marie vivant dans l'Eglise* (1860) est veluti « l'épanouissement de la fleur dont avons précédemment montré la tige dans l'Evangile et la racine dans le plan divin ». In hac tertia parte invenitur expositio *dogmatica, liturgica et historica* cultus B. M. V. in Ecclesia. De hoc opere iudicium hoc proferebat Paulus Lapeyre, eius biographus: « C'est le traité définitif de la doctrine catholique sur la Sainte Vierge ».

9. **IOANNES HENRICUS NEWMAN, Card.** (1801-1890)

Cultum et privilegia B. M. V. contra Anglicanos praesertim defendit atque egregie illustravit praesertim in opere *A Letter to the Rev. E. B. Pusey on his recent « Eirenicon »*, London, 1866 (cfr FRIEDEL J., S. M., *The Mariology of Cardinal Newman*, New-York, 1928; CHIMINELLI P., *Maria nella vita e nel pensiero di J. H. Newman*, in *Studium*, 1939, pp. 285-298).

10. **AUGUSTUS ROSKOVANY, Ep. Nitriae** (1807-1892)

Composuit monumentale opus cui titulus: *B. Virgo Maria in suo Conceptu Immaculata, ex monumentis omnium saeculorum demonstrata*, 9 volumina, Nitriae, 1873-1881.

In volumine I exhibentur Monumenta et Litteratura e primis XVI saeculis. In volumine II, Monumenta saeculorum XVII et XVIII. In volumine III Litteratura amplissima saeculi XVII et XVIII. In voluminibus IV et V et VI exhibentur monumenta saec. XIX, iuxta tres Epochas disposita, videlicet: Volumina IV et V exhibent: 1) monumenta quae *Encyclicam* Pii IX die 2 febr. 1849 super mysterio Immaculatae Conceptionis editam praecesserunt; 2) *Responsa Praesulum* orbis Catholici ad praedictam Encyclicam, et alia documenta ante definitionem evulgata. Vol. VI praebet: 1) Documenta *praeparatoria* definitionis, 2) Documenta ipsius *definitionis*; 3) Documenta *post definitionem* vulgata; 4) Litteratura Mariana a saec. XIX usque ad a. 1871. In volumine VII exhibentur *Supplementa* Litteraturae Marianae usque ad a. 1871 (in quo tomus VI desinit), et ab a. 1872, ad a. 1875. In vol. VIII prosequuntur *Supplementa* ad a. 1875

et exhibetur ulterior Litteratura ab a. 1876 ad a. 1880. In volumine IX inveniuntur *Supplementa* Monumentorum Marianorum ad Tomos anteriores (a saec. 1, ad a. 1870, nec non ulteriora monumenta ab a. 1870 ad a. 1880). Opportune tandem *Repertorium* seu Index Alphabeticus adiungitur in novem tomos de B. M. V. Immaculata.

Est opus valde utile; at saepe, praesertim in recensendis scriptis priorum saeculorum, sensus criticus deest, et deplorabilis confusio fit operum authenticorum cum operibus apocryphis. Caute igitur quisque eo uti debet.

II. IACOBUS M. ALOYSIUS MONSABRÉ, O. P. (1827-1907)

Plures reliquit *Sermones* de B. M. V. in quibus expositionis venustas cum soliditate doctrinae mire coniungitur. Collecti fuerunt in unico vol. cui titulus: *La Vierge Marie: Principaux extraits de ses œuvres, rassemblées par le Chan. J. Chapeau, Paris, Lethielleux, 1934.*¹

¹ Mariologi recentiores eorumque scripta in decursu Operis passim recensentur.

APPENDIX I

DE SCRIPTIS MARIANIS ACATHOLICORUM ¹

Opportunum ducimus recensere hic, Appendicis instar, praecipua scripta mariana ab acatholicis edita. Ex horum scriptorum cognitione triplex utilitas erui potest. Ipsa enim: a) materiam praebent *confirmationis* in rebus illis in quibus nobiscum consentiunt; b) materiam praebent *refutationis* in rebus illis in quibus a nobis dissentiunt; c) intellectionem adiuvant operum a catholicis contra ipsa vel ab ipsis contra catholicos conscriptorum.

SAEC. XVI

LUTHERUS, circa doctrinam de B. Virgine — sicut circa alias doctrinas — sibimet haud semel contradixit. Sequentia scripta vulgavit: 1) *Das «Magnificat» verteutscht und ausgelegt*, Wittenberg, 1521; 2) *Kurze Auslegung des «Ave Maria»*, 1522; 3) *Explicatio Salutationis Angelicae*, 1522; 4) *Sermon von der Geburt Mariä der Mutter Gottes, wie Sie und alle Heiligen sollen geehret werden*, 1522; 5) *Sermon von der Himmelfahrt Maria*, Wittenberg, 1522; 6) *Betbüchlein der Zehn Gebote - des «Ave Maria» etc.*, Wittenberg, 1522; 7) *Sermon am Tage unserer lieben Frau Lichtmess*, Wittenberg, 1523; 8) *Sermon auf das Evangelium Luc. I: Maria stund auf, und gieng ab eilend in das Gebirge*, Wittenberg, 1523; 9) *Die deutsche Vesper mit dem «Magrifcat» verteuscht*, 1525; 10) *In Divae Virginis Mariae Zachariaeque odas «Magnificat» et «Benedictus» commentarii*, Argentor., 1526. Plura insuper de B. Virgine profert in aliis tractatibus et praesertim in sermonibus. In omnibus hisce scriptis, sicut et in aliis, saepe Lutherus sibimet contradicit. Sic, e. g. in Serm. Dom. II post Epiph. Immaculatam Virginis Conceptionem admittit. At, in alio Sermone de Conceptione, declarare non erubuit: «Nullum festum magis odi, quam festum Conceptionis et Corporis Christi».

OECOLAMPADIUS, *Sermo de laudando in Maria Deo*, Basileae, 1521. In hoc Sermone plura magnifice de Virgine asserit, at postea etiam ipse sibimet contradixit.

ZWINGLIUS, *Predigt von der ewig reinen Magd Maria der Mutter Iesu Christi*, Zurich, 1522.

BODENSTEIN ANDREAS VON CARLSTADT, *Eine Frage ob auch Jemand möge selig werden ohne die Fürbitte Mariä?*, Wittenberg, 1524.

LOCHER JOHANN, *Von Ave Maria*, Lauten, 1524.

¹ Cfr ROSKOVANY, *B. Virgo Maria in suo Conceptu Immaculata ex monumentis omnium saeculorum demonstrata*, passim.

- KELLER ANDREAS, *Sermon auf dem Tag der Verkündigung Mariä, gepredigt zu Rotenburg*, 1524.
- ZIEGLER CLEMENS, *Von der Vermählung Mariä und Josephs*, 1924.
- SCHLAITSS SIMON, *Antwort wider die Baalspaffen und Prediger, welche die Feste Mariä so fleissig und ernstlich handhaben und vertheidigen*, 1925.
- SACERIUS, *Postilla circa Evangelium in die Concept. Mariae*, 1530.
- IACOBUS SCHENKIUS, *Explicatio Evangelii de Christi Conceptione*, 1530.
- ROTHMAMUS IACOBUS, *Epitome quorundam abusuum qui in Ecclesia irrepserunt atque ad tempus usurpati sunt*, 1532. In hoc memoriali, a pluribus ministris Lutheranis subscripto, ut impia habentur quaedam cantica ad B. Virginem directa, et praesertim «*Salve Regina*» (Art. X).
- CALVINUS IOANNES in libro *de Harmonia Evangelica* magnifice de B. Virgine loquitur. Attamen, in *Antidoto Concilii Trid.*, Immaculatam Conceptionem negat.
- URBANUS REGIUS, *Sendbrief an den Convent des Jungfrau-Klosters Wynhusen, wider den unchristliche Gesang, Salve Regina*, Wittenberg, 1537.
- CONRADUS PELLICANUS RUBEAEQUENSIS, *Commentarii in SS. IV Evangelia et Apost. Acta*, Tiguri, 1537. Plura profert contra B. Virginem eiusque cultum.
- KORBER OTTO, *XVII Artikel, 10 der Guardian zu Amberg am Tage der Geburt Mariä a. 1539 von öffentlicher Kanzel mit höchster Gotteslästerung ausgerufen und betheuert hat*, 1539.
- VIRET PETRUS, *Petit traité de la salutation angélique et de l'origine des chapelets, l'abus d'iceux*, Genève, 1545.
- PETRUS PAULUS VERGERIUS (Ep. apostata), *Contra librum cui titulus: Rosarium. — Contra librum cui titulus: Miracula Virginis*, c. 1565.
- KEMNITIUS MARTINUS, *Examen decretorum C. Tridentini*, Francof., 1566. Contra Immaculatam Conceptionem utpote in Scriptura et Traditione non fundatam invehit.
- ANONYMUS, *Traité de la fin et usage des miracles et de la Conception de la Vierge Marie en péché originel, contre l'opinion de ceux de l'Eglise romaine*, 1566.
- NEANDER MICH., *Apochrypha, h. e. narrationes de Christo, de Maria, de Iosepho, cognatione et familia Christi*, Basileae, 1567.
- PFUNTEL B., *Das schöne «Magnificat» der Jungfrau Maria in 28 Predigten*, Leipzig, 1598.

SAEC. XVII

- INNOCENTIUS GENTILETUS, *Stupenda Templi Iesuitici: 1) de idolatrica invocatione et salutatione angelica, una cum horrendis blasphemiae adorationis, superstitiosae consecrationis creaturarum exemplis; 2) de patrociniis sanctorum quos monachi quibus rebus Deos atque Deas tutelares assignarint; 3) de sanctorum reliquiis*, Francof. et Ambergae, 1610.

- BALCKE J., « *Magnificat* », d. I. der Lobgesang der Jungfrau Maria in 8 Predigten, Stettin, 1610.
- ANONYMUS, *Bericht, was die evangelische nach Gotteswort reformirte Kirche von der Jungfrau Maria halte*, Herborn, 1610.
- THOMAS HELWIS (Anglicanus), *That Christ took his flesh of Mary*, London, 1611.
- IOANNES SCHOLVINUS, *Tractatus theologicus de dicto Apostolico: Rom. V, 12, in quo agitur de peccato originis*. Annexa est dissertatio de Conceptione S. Mariae, Gissae Hassorum, 1618.
- MATTHIAS BERNEGGER, *Hypobolimaea Divae Mariae Deiparae Camera, seu Idolum Lauretanum ...*, Argentorati, 1619.
- RICHARDUS CRAKANTORP, *Defensio Ecclesiae Anglicanae contra M. Antonii de Dominis Ep. pi Spalatensis iniurias*. Opus posthumum a Ioanne Barkham editum, Londini, 1625. Adversus cultum et Immaculatam Conceptionem invehit.
- MICHAEL LORIDO, *De adoratione omnium creaturarum ac praecipue de cultu B. Virginis et Angelorum*, Sedani, 1629.
- ANDREAS RIVETUS, *Apologia pro SS. Virgine Maria Matre Domini adversus veteres et novos Antidicomarianitas, Collyridianos, et Christiano-Categoros*, Ludg. Batav., 1639.
- GILBERTUS VOETIUS, *Specimen assertionum pro sodalitatibus B. Mariae inter Reformatos erigendis*, Ultrajecti, 1642.
- GEORGIUS CALIXTUS, *Disputatio theologica de cultu B. Virginis Mariae apud Pontificios*, Helmstadii, 1650.
- MARTINUS GRUNDMANN: a) *Idolum Marianum Martini Firmiani contra Pontificios*, 1651. b) *Defensio Idoli Mariani contra Ioannem Christophorum Peschelium Iesuitam*, Vratislaviae, 1652.
- ZACHARIAS HOGELIUS, *De Immac. Conceptione Domini nostri Iesu Christi, Virginis vero Deiparae Mariae ceterorumque mortalium omnium peccato originali macula, adversus Romanae Ecclesiae heterodoxiam, iniustamque legem silentii Fratribus Ord. Praedicatorum nostra aetate indictam*, Arnstetti, 1656.
- CHRISTIANUS SIMPLICIUS, *Bedenken und Antwort auf Hern D. Ioh. Caspar Jäger's den 8 sept. d. I. gehaltene Predigt ...*, Nürnberg, 1661.
- MOLANUS R., *Maria oriunda e semine Davidis*, Jenae, 1661.
- KROMAYER HIERONYMUS, *Ecclesiae Romanae Apostasia ...* Lips., 1662 et 1682. Contra Immaculatam Conceptionem, inter alia, disserit.
- ABRAH. CALOVIUS, *Disputatio theol. de inimicitiiis inter serpentem et mulierem, ad locum classicum Gen. 3, 15 adornata*, Wittenbergae, 1662.
- ADOLARIUS IUNGIVS, *De sepultura B. Mariae*, Wittenbergae, 1667.
- HENRICUS ALISCHER, *Dissertatio historico-theologica de B. V. M. Natalibus*, Lips., 1667. Contra Immaculatam Conceptionem.
- VOGEL H., *De Virginitate Mariae in partu, et de Maria Teotoko seu Dei Genitrice*, Wittenbergae, 1669, 1675.

- MAYER FRID., *Dissertatio historico-theologica de conventu Apostolorum ad mortem Mariae*, Lips., 1671.
- GOLDBACH, *De Conceptione maculata an immaculata B. M. V. Deiparae?*, 1671 et 1681.
- IOANNES ADAMUS SCHERZERUS, *Disputatio de quaestione illa famosa: an B. Virgo sit absque peccato concepta?*, Lips., 1671.
- HEIDEGGER, *Schriftmässiger Bericht von der ewigen reinen Jungfrau Maria*, Zürich, 1673.
- VALENTINUS CONRAD, *Dissertatio historica de Mariae ortu*, Stettini, 1675 et 1694.
- VALENTINUS ALBERTI, *Epistula de Mariolatria*, Leipzig, 1676.
- SZEREMLYE I., *Disputatio historico-theol. de Epistolis V. Mariae*, Marburg, 1682.
- MEISMER IOANNES GEORGIUS, *Theologiae Marianae systema, sive Mariomaniam Pontificiorum circa praecipua fidei capita impugnat*, Wittenbergae, 1684.
- KROMAYER MELCH., *Untersuchung der Feste, so der sel. Jungfrau Maria zu Ehren angestellt sind, aus heil. Schrift und Kirchengeschichte*, Gotha, 1684.
- JUNGE I. C., *De conceptu et partu Virginis*, Giessae, 1685.
- VON SAUDEN BERNARDUS, *De cultu B. V. M. et aliorum Sanctorum eorumque imaginibus*, Regiomonti, 1689.
- BECK, *Iesuita vapulans in schola Ebraica et a civitate Ebraica exulans sive diss. philol. vindicans a corruptelis Iesuiticis dicta biblica Gen. 3, 15, et Num. 26, 44*. Ulmae, 1692.
- CALIXTUS FRID. ULRICUS, *B. M. Virginis Immaculatae conceptionis historia, cui accessit Alexandri Papae VII Constitutionis examen, ad Coloniae et Herbipoleos DD. Theologos directum*, Helmstadii, 1696.
- VEIEL ELIAS, *Romano-Catholicus Dubitanti in Disputatione de Conceptione B. V. M. per D. Petrum de Alva et Astorga, celebrem in Ordine Minorum scriptorem, in labyrinthos inextricabiles coniectus, viam tamen exeundi comiter monstrante auctore*, Francof. et Lips., 1697.

SAEC. XVIII

- FRIDERICUS TRENTOVIUS, *Disputatio theologica de Rosario*, Regiomonti, 1701.
- MEUSCHEN JOH. GEORG., *Die Liebe Frau und das heilige Haus zu Loretto*, Francof., 1703.
- PICININUS IACOBUS, *Apologia Reformationis*, 1706, Contra cultum B. M. V. infensissimum se ostendit.
- SCHROER SAMUEL, *De sanctificatione seminis Mariae Virginis in actu Conceptionis Christi sine redemptionis pretio, contra antiquum Scholasticorum nonnullorum praeservationis in lumbis Adami figmentum*, Lipsiae, 1709.
- GOTTLIEB STOLZ, *Dissertatio de praeservatione Mariae, ex qua Christus nasci debuit*, Waldenburgii, 1711.

ANON., *De Iosepho parente Christi naturali*, 1711.

MEISNER, *Theologiae Marianae systema*, Wittenbergae, 1713.

GEDDES MICHAELI, *Liber historicus ac criticus, quo historia celebratissimi domicili semper Virginis Mariae Lauretanae recensetur, additis animadversionibus*, Londini, 1715.

ANON., *Theologisches Bedenken, betreffend ein Bild, so in Pabstthum « Maria Dolorosa » genannt wird, – von welchem gefragt wird: ob es Könne bei Aufrichtung eines Altars in evang. luth. Kirchen andern Bildern zugefügt werden? Unschuldige Nachrichten von alten und neuen theol. Sachen.*, Leipzig, 1716, p. 921. Negative resolvit quaestionem.

VERMEHREN, *Ecloga Antipontificia, Mariam Matrem fidelium dicendam haud esse*, Lubecae, 1717.

GOZ HENRICUS, 1) *Dissert. de moribundis Ave Maria ingemiscuntibus*; 2) *dissertatio Mariam Matrem fidelium haud dicendam*, Lubecae, 1717.

HEILIGEN-LEXICON, Leipzig 1719. In hoc lexico protestantico, mira de B. Virgine elogia scribuntur (cfr praesertim, p. 1372).

I. FRID. PERINGSKIOELD, *Fragmentum Runico-Papisticum, seu soliloquium Deiparae Virginis querulum circa Passionem Domini*, Stockolmiae, 1721.

P. C. MITTERNACHT, *De spasimo Mariae*, Lubecae, 1722.

IOANN. FRANCISCI, *Magnificat*, 1724.

IOANN. CHRISTIANUS CLODIUS, *Schediasma de nominibus arabicis Christi et Mariae*, Lipsiae, 1725.

ANON., *Pactum Marianum*, Erfordiae, 1728.

MOR. F., *De infamia Mariae inter infideles*, 1729. Est contra Immaculatam Conceptionem.

SCHMID IOANN. ANDR., *Prolusiones Marianae decem notabiliora, sive vera sive ficta ab auctoribus antiquioribus et recentioribus de B. Maria passim notata exhibentes*, Helmstadii, 1719.

HOCHEISEL C. L., *Commentatio sistens Mariam in nuptiis Caneis repulsam ferentem*, Francof., 1733.

ZEIBIG C. H., *De verbis Gabrielis, de conceptu Christi ad Mariam missi*, Wittenbergae, 1734.

REIMBOLD F. M., *De Iacobo Hyacintho Serry teste veritatis in historia Mariae et Christi adversus Caesarem Baronium aliosque in Ecclesia Romana*, Lipsiae, 1736.

HAFERUNG I. C. *Admirabilis Christi ex Virgine nativitas*, Wittenb., 1736.

GREGUSCH G., *Disputatio theologica de iuramento per Dei Genitricem et Sanctos reliquos minime praestando*, Wittenbergae, 1739.

PIERQUIN M. P., *Dissertation physico-théologique touchant la Conception de Jésus-Christ dans le sein de la Vierge Marie*, Amsterdam, 1742.

KIESLING IOAN. RUD., Prof. Lipsiensis, *Exercitationes theologico-historicae in*

quibus Ioannis Trombellii exercitationes de cultu Sanctorum (et B. M. V.) moleste diluuntur, Lipsiae, 1742.

MANNSTAD F., *De Mariolatria Pontificiorum*, Hafniae, 1742.

CHRYSANDER W. C. I., *Commentatio philologico-theologica de sapientia Dei in connubio Iosephi ac Mariae admiranda*, Helmstadii, 1744.

BERNHOLD I. G. S., *Mariae hymnus Luc. I*, Erlangae, 1745.

DEYLING SALOMON, Prof. Lips., *De natura peccatrice B. Mariae*, Lips., 1746.

ERNESTUS AUGUSTUS CONSTANTINUS, Dux Saxoniae, Rector Acad. Ienensis, *Maria Virgo non Monialis*, Ienae, 1752. Sententiam de voto virginitatis a Maria emisso reicit, et ad obscurioris aevi commenta refert.

IUNGIUS A., *De sepultura B. Mariae*, 1752.

FEUERLEIN I. W., *Observationes de B. V. Maria θεοτόκω in Socratis narrationem de Nestorio hanc vocem damnante*, Gottingae, 1755.

ANON., *Historia controversiae saec. IX de partu B. V.*, Gottingae, 1758.

EKERMANN, *De Mariolatria Romanensium*, Upsaliae, 1761.

SCHUBERT I. I., *Historia controversiae de Maria Deipara*, Gryphswaldiae, 1765.

KIESLING I. RUD., *Antiquiores Ecclesiae Christianae haereticos contra Immaculatam Mariae Virginis Conceptionem testes sistit*, Erlangae, 1775.

JUNCKER C. L., *Christus-Köpfe; Marien-Köpfe*, Bern. 1776.

GYOERFFY IOS., *Napra forgó virág, mellyben a' bold. Sz. Máriának fogantatása és hét Unnepei foglaltanak*, 1791. Contra Immaculatam Conceptionem.

FLATT I. F., *Asseritur veritas et summum momentum SS. Conceptionis Christi ex superventu Spiritus S. in Virginem Mariam*, Tubingae, 1792.

WALTER VERSUCH, *Eines schriftmässigen Beweises, dass Joseph der wahre Vater Christi sei*, Berlin und Stralsund, 1792. Contra hoc impium opusculum scripsit, ex eodem haereticorum coetu:

OERTEL, *Antiosephismus, oder Kritik über einen Ungenannten schriftmässigen Beweis, dass Joseph der wahre Vater Christi sei*, Germanien, 1792.

WIELAND C. M., *Zur Geschichte der Verehrung der heil. Jungfrau*, in *Deutscher Merkur*, Weimar, 1796.

SAEC. XIX

MORIZ VON WESER, *Der Kampf der Finsterniss mit dem Lichte des XIX Jahrhunderts*, Düsseldorf, 1822. Pluribus S. Scripturae testibus conatur probare B. Virginem ex S. Ioseph plures habuisse filios.

J. A. JACOBI, *Maria die heilige Jungfrau*, Erfurt und Gotha, 1822.

ESCHER HEINRICH, *Die Marianischen Bruderschaften der Jesuiten, und die Konventikel der Herrnhuter*. Eine historische Parallele, Zürich, 1822.

KÖNIG H., *Rosenkranz eines Katholiken*, Frankfurt, 1829.

NICOLAUS HENR., *Tatum Zubli*, Trajectinus, *Diss. theologica inauguralis de Hymno Mariae*, Lugd. Batav., 1829.

- BOST M., *Doctrine de l'Écriture sainte sur l'adoration de Marie*, Genève, 1833.
- KLÖDEN K. F., *Zur Geschichte der Marienverehrung, besonders im letzten Jahrhundert vor der Reformation in der Mark Brandenburg und Lausitz*, Berlin, 1840.
- IOANNES IAC. VAN OESTERZEE, Roterodamensis, *Disputatio theologica de Iesu e Virgine Maria nato*, Traiecti ad Thenum, 1840.
- TYLER J. E., *The Worship of the Blessed Virgin Mary in the Church of Rome, contrary to Scripture, and to the Faith and Practice of the Church of Christ through the First Five Centuries*, London, 1844.
- STANFORD, *A Handbook of Romish controversy*, Dublin, 1852.
- Statim post definitionem dogmaticam Immaculatae Conceptionis, plura scripta contra tale dogma prodierunt. Praecipua sunt:
- JOSÉ JIMÉNEZ Y TEIXIDO, *Nulidad de la definición dogmatica de Su Santidad Pio IX acerca del misterio de la Inmaculada Concepción*, Madrid, 1855.
- BRAULIO MORGAEZ, O. P., *Iudicium doctrinale super decreto pontificio diei 8 dec. anni proxime praeteriti*, Matriti, 1855.
- GEORG EDUARD STEITZ, *Das Dogma von der unbefleckten Empfängnis der Maria*, in *Allgemeine Kirchenzeitung*, Darmstadt, 1855, nn. 27-29.
- FRIEDR. KARL WILD, *Die Bulle des Papstes Pius IX über die unbefleckte Empfängnis Maria: Mariott der wahre Protestant* (Zeitschr.) Basel, 1855, IV, 113.
- HENGSTENBERG, *Evangelische Kirchenzeitung*, Berlin, 1855.
- ANON., *La questione dell'Immacolata Concezione della B. M. V. trattata e decisa da S. Bernardo, S. Tommaso, S. Bonaventura, con note ed aggiunte di un sacerdote cattolico*, Torino, 1855.
- COQUEREL ATHAN., *Un dogme nouveau concernant la Vierge Marie*, Paris, 1855.
- PUAUX, *Du Pape à propos de l'Immaculée Conception*, Rochefort, 1855.
- SAMUL, *Lord Bishop of Oxford, Rome: her new dogma and our duties, a sermon preached before the university at S. Mary's Church*, Oxford and London, 1855.
- Abbé GUETTÉE, *Observation d'un théologien sur la Bulle de Pie IX relative à la Conception de la S. Vierge*, Paris, 1855.
- ELIE BERTON, *L'Immaculée Conception et le XIX^e siècle*, Marseille, 1855. Item: *Réponse aux critiques de l'Imm. Conc.*, Marseille, 1855.
- E. DE PRESSENSÉ, *L'Immaculée Conception. Histoire d'un dogme catholique romain, et comment l'hérésie devient un dogme*, Paris, 1855.
- POUPOT, *La Vierge Marie et son caractère dans l'Évangile*, Poitiers, 1855.
- J. BISSEUX, *Réflexion sur la Bulle de Marie et sur le dogme de l'Imm. Conc.*, Paris, 1855.
- CHRISTOPHILUS AMERISTUS, *Protestation contre le dernier Mandement de l'Archevêque de Malines, ou Lettre à ce Prélat sur le Culte de Marie et sur le nouveau dogme de l'Imm. Conc.*, Bruxelles, 1855.
- POINSOT, *Réfutation du nouveau dogme de l'Imm. Conc. de la Vierge Marie*, Bruxelles, 1855.

- LOUIS DURAND, *Brève Réfutation du nouveau dogme de l'Imm. Conc.*, Bruxelles, 1855.
- IDEM, *Neuf thèses sur le dogme de l'Immaculée Conc. de la Vierge Marie, avec défi à M. Théodore, Evêque de Liège, et à tout pretre ou membre de l'Eglise de Rome*, Bruxelles, 1855.
- WALSH, *The Immaculate Conception of our Lord and Saviour Jesus Christ*, Dublin, 1855.
- MAGUIRE E., *The new Romish Dogma of the Immaculate Conception, or Trial of the Church of Rome before a jury of Irish Roman Catholics*, Belfast, 1855.
- PEYRAT, *Un nouveau dogme, histoire de l'Immaculée Conception. Portrait de la Vierge. Les Visions d'un Jacobin. Lettre Apostolique*, Paris, 1855.
- OTTO SCHOENEMANN, *Der Sündenfall und Marienklage ...*, Hannover, 1855.
- WIMMER G. A., *Ehrenrettung der seligen Jungfrau Maria, der Mutter unser Herrn und Heilandes Jesu Christi, gegen die päpstlichen Verunglimpfungen*, Bremen, 1855.
- DONETTI ATANASIO Prete, *Il Dogma dell'8 dicembre 1854. Lettere ai veri Amatori della religione*, Bellinzona, 1855.
- Abbé LABORDE, *Relation et Mémoire des Opposants au nouveau dogme de l'Imm. Conc. et à la Bulle « Ineffabilis »*, Paris, 1855.
- BORDAS-DEMOULIN, *Marianisme substitué au Christianisme*, in op. *Les Pouvoirs constitutifs de l'Eglise*, Paris, 1855, pp. 56 ss.
- Plures articuli a. 1855 et sequentibus, contra Immaculatam Conceptionem editi fuerunt in Ephem. *L'Observateur Catholique*, Paris.
- BRAUN THOMAS, Priester, *Katholische Antwort auf die päpstliche Bulle über die Empfängniss Maria*, Ortenburg, 1856.
- MEYRICK, *Devotional Theology of the Church of Rome. The glories of Mary*, Oxford, 1856.
- BUNGENER FELIX, *Marie et Mariolatric*, Genève, 1856.
- GODFRAY, *Rome, son nouveau dogme et nos devoirs*, Paris, 1856.
- ZAALBERT ET FRENTROP, *Controversia de Immaculata Conc.*, 1856.
- HAGEN HERM. GER., *Disquisitio historico-dogmatica inauguralis de dogmate Imm. Conc. Mariae*, Traiecti ad Rhenum, 1856.
- Instructio pastoralis Ep. pi Ultraiecti, ac Episcoporum Harlemensis et Daventriensis super Immaculata Conceptione B. M. V.*, Ultraiecti, 1856 (lingua neerlandica). Tres isti Episcopi Iansenistae definitionem Pontificiam impudenter impugnant.
- ANON., *Juicio doctrinal sobre el decreto pontificio ... escrito por un Teologo de los Cuatro al cuatro*, 1857.
- ANON., *Il Ritratto di Maria nel Cielo, delineato dietro i dati attinti nella S. Scrittura*, Torino, 1857. Virginitatem Deiparae parientis Dominum impugnat.
- STAP, *Etudes sur le nouveau dogme de l'Imm. Conc. Par les auteurs des Essais sur la Réforme Catholique*, Paris, 1857.

- ANON., *L'Imm. Conc. devant l'Ecriture sainte et la tradition des Pères*, Paris, 1857.
- MORGAEZ BRAULIUS, O. P., *Examen Bullae « Ineffabilis », institutum et concinnatum iuxta regulas sanioris theologiae*, Paris, 1858.
- ANON., *Die unbefleckte Empfängniss der Jungfrau Maria*, Leipzig, 1858.
- DURAND L., *L'Infaillibilité Papale prise en manifeste et flagrant délit de Mensonge, ou le dogme de l'Imm. Conc. cité et condamné au tribunal de l'histoire et des Pères. Examen de quelques assertions de la Bulle « Ineffabilis Deus » et Réfutation de deux volumes de M. Malou sur le nouveau dogme*, Bruxelles, 1859.
- ANON., *Defensa de la Iglesia católica contra la Bula dogmatica de Pio IX en 8 diciembre 1854*. Por un Americano al Congreso de la Alianza evangelica, 1859.
- ANON., *Reliquien von der allerseligsten Jungfrau Maria*, Freysing und München, 1860.
- SALVADOR J., *L'Immaculée Conception en 1854, et sa différence d'avec la conception immaculée, ou de quelle manière les dogmes se font et peuvent se défaire*. In opere: *Paris, Rome, Jérusalem, ou la question religieuse au XIX^e siècle*, Paris, 1860, II, 452.
- ANON., *Compendio di controversia tra la parola di Dio e la Teologia Romana, ad uso dei Cristiani evangelici*, Torino, 1860. Contra Imm. Conc.
- BRAUN THOMAS, *Die unbefleckte Empfängniss Maria*, 2 Augl., Stuttgart, 1872.
- HASE KARL, *Handbuch der Protestantischen Polemik gegen die römisch-katholische Kirche*, Leipzig, 1862. Contra cultum B. V., eiusque Immaculatam Conc.
- PREUSS ED., *De Immac. Conceptu B. M. V. Disquisitio instar Appendicis adiecta novae editioni operis: Martini Chemnicii examen Conc. Tridentini*, Berolini, 1862.
- BRAUN THOMAS, *Gegen die falschen Propheten des 8 dec. 1854. Geharnischte Predigt auf den VII Sonntag nach Pfingsten*, St. Gallen, 1863.
- DIETLEIN W. O., *Evangelisches Ave Maria, Ein Beitrag zur Lehre von der selig zu preisenden Jungfrau*, Halle, 1863.
- ANON., *La Vergine Maria della Bibbia e la Vergine Maria della Chiesa Romana*, Firenze, 1865.
- KRÜGER-VELTHUSEN W., *Maria, die Mutter Jesu Christi*, Barmen und Elberfeld, 1865.
- PREUSS ED., *Comparative Darstellung des Lehrbegriffs der verschiedenen christlichen Kirchenparteien*, Berlin, 1866.
- MESSNER, *Das dogma von der unbefleckten Empfängniss Mariä, in Neue evangelische Kirchenzeitung*, 1866.
- GARIMEI P., *Vita di Maria Madre di Gesù di Nazareth o esame critico della sua storia*, Firenze, 1867.
- ROUSSEL, *La Vergine e i Santi*, Firenze, 1867.

ANON., *Neueste unfehlbare Fabrikation unbefleckter Dogmen: Der heilige Rock in neuer und vermehrter auflage. Eine Streitschrift gegen die neumodischen römisch-papistischen Eiferer etc.*, Leipzig, 1868.

UHLHORN GERHARD, *Das römische Concil: vier Vorträge im Evangelischen Verein zu Hannover gehalten*, Hannover, 1870. Prior Immac. Conc., posterior Assumptionem oppugnat.

RATGMAN I., *Maria, die Mutter des Herrn. Ein evangelisches Lebensbild dargestellt in einem Vortrage*, Chemnitz, 1870.

ANON., *Maria, die Mutter Jesu: Evangelium und römischer Katholicismus*, Stuttgart, 1871.

SPOERR HERMANN, *Ueber den Cultus der Madonna*, Hamburg, 1872.

MALAN A., *Maria Madre di Gesù: discorso pronunziato nella Chiesa evangelica valdese di Messina*, Firenze, 1874.

GRIGNANI GIUSEPPE, *Risposta all'Orazione di Mons. Lucido Parocchi Vescovo di Pavia, detta il giorno 8 dic. 1872 e pubblicata nel 1873, sull'Immacolata Concezione di Maria ...*, Pavia, 1874. Auctor unus est ex quattuor Sacerdotibus Papiensibus, dogmati de Immac. Conc. refragantibus ac propterea excommunicatis.

KOELLING H., *Jesus und Maria*, Gotha, 1875. Contra Immac. Conc.

WATTERICH, *Die falsche und die wahre Marienverehrung. Predigt zu Maria Geburt*, Basel, 1875. Negat B. Virginem esse Immaculatam, semper Virginem, Assumptam cum corpore in coelum, Mediatricem nostram.

FRIEDRICH J., *Die unbefleckte Empfängnis Maria durch den Georgi Ritterorden in Bayern gegen Amort vertheidigt*, München, 1876.

WIMMER, *Ehrenrettung der sel. Jungfrau Maria, der Mutter unserer Herrn und Heilandes Jesu Christi gegen die päpstlichen Verunglimpfungen*, 3 Ausg., Bremen, 1876.

SCIARELLI FR., *La Madre di Gesù Cristo*, Firenze, 1879.

Plura scripta antimariana prodierunt hisce annis in Ephemeride Veterum Catholicorum cui titulus *Deutscher Merkur*.

A. 1881 et 1882, plures articuli pariter prodierunt in Ephem. *Month*, a P. Clarke conscripti.

BENRATH, *Zur Geschichte der Marienverehrung*, in *Theologische Studien und Kritiken*, Gotha, 1886, 7-94, 197-267.

ROESCH, *Astarte-Maria*, in *Theologische Studien und Kritiken*, Gotha, 1888.

SAEC. XX

HANCK, art. *Maria* in *Realencyklopädie für protestantische Theologie und Kirche*, Leipzig, 12, 1903, 309-336.

HERZOG (= I. Turmel), *La Sainte Vierge dans l'histoire*, Paris, Librairie Critique, 1908 (In Indice).

HARNACK, in *Lehrbuch der Dogmengeschichte*, Tübingen, Mohr, 1909, t. 2, pp. 476-478; t. 4, pp. 655-659, et passim.

KOCH, *Adhuc Virgo ...*, Tübingen, Mohr, 1929, in-8, 44 pp. — *Maria*, in *Encycl. Die Religion in Geschichte und Gegenwart*, 3, 1931, 1995-1996. In vet. ed.: 4, 1913, 151-159.

Marienverehrung, *ibid.*, 3, 1931, 2014-2017.

COULANGE (= I. Turmel), *La Vierge Marie*, Paris 1925.

Plura circa B. Virginem inveniri possunt in *Dictionary of the Bible*, ed. Hastings (t. 3, pp. 286-293), in *Dictionary of the Christ and Gospels*, in *Encyclopédie des sciences religieuses*, in *Encyclopedia Biblica*, in *Cyclopaedia of... theological literature*, in *Dictionary of Christian Biography*, nec non in variis vitis Christi a Protestantibus editis (cfr GRANDMAISON, in *Dict. Apolog.*, t. 2, coll. 1537-1538).

APPENDIX II

DE REVELATIONIBUS PRIVATIS CIRCA B. VIRGINEM

I. De revelationibus privatis in genere

Revelatio, ratione finis, distingui solet a Theologis in *publicam* et *privatam*, secundum quod ad individuum aliquod particulare, aut ad omnes homines dirigitur. Revelatio publica, morte Apostolorum clausa est, ita ut nulla nova veritas revelationis deposito adiungi adhuc possit. Revelationes vero privatae factae sunt personis quibusdam et fieri adhuc possunt.¹

Revelationes istae privatae, iuxta doctrinam Ecclesiae: 1) sunt *possibiles*, prout patet ex eo quod Ecclesia illas examini subicit, et etiam eo quod revelatio publica, ex parte Dei, minime revelationem privatam excludit; 2) *reales*, quamvis raras, prout patet ex eo quod aliquando adprobatae fuerunt (e. g. instituendo festa liturgica in illis fundatas, prout pro festo SS. Cordis Iesu factum est); 3) revelationi publicae necessario *subordinatae*, ita ut iuxta ipsam diiudicari debeant; 4) *utiles*, eo quod quamvis nihil substantiale deposito fidei addant vel addere valeant (quia novae substantiales revelationes post mortem Apostolorum fieri non possunt),² ad *explicitiorem* tamen veritatum fidei expositionem et ad pietatis incrementum aliquid conferre possunt; 5) *non necessario ab omnibus admittendae*: nemo enim tenetur huiusmodi revelationibus necessario credere (quia ad depositum generale fidei non pertinent). Attamen, si de illarum authenticitate alicui sufficienter constet, sive per auctoritatem Ecclesiae (e. g. apparitiones et declarationes B. M. V. apud Lapurdium) sive per signa congruentia revelationem confirmantia, peccaret utique illas respuendo, quia temerarius aut imprudens haberetur (non tamen haereticus).

II. De revelationibus privatis circa B. Virginem

Iamvero plures revelationes privatae circa B. Virginem, saeculorum decursu habitae fuerunt. Praecipuae sunt:

1. Revelationes factae MARIAE AB AGREDA (1602-1665), quae scripsit opus, post eius mortem editum, cui titulus: «*Mística ciudad de Dios, milagro de su omnipotencia y abismo de la gracia: historia divina y vida de la virgen madre*

¹ Cfr DIDOT, art. *Révélation*, in *Dict. Apol.*, t. 4, coll. 1005 et sq.

² *Decret. Lamentabili*, Prop. 21, DENZ., 2020.

de Dios, reyna y señora nuestra Maria santísima, restauradora de la culpa de Eva y medianera de la gracia, manifestad en estos ultimos siglos por la misma señora a su esclava sor Maria de Jesús, abbadesa de el convento de la Inmaculada Concepción de la villa de Agreda de la provincia de Burgos, para nueva luz de el mundo, alegría de la iglesia católica y confianza de los mortales», Madrid, Bernard de Villa Diego, 1670.¹

2. Revelationes factae ANNAE-CATHARINAE EMMERICH. Continentur in *Vie de la Sainte Vierge* (in *Méditations d'Anne-Catherine Emmerich*, pp. 389 et sq. iuxta versionem Ab. Cazalès, 7 ed., Amb. Bray, Paris 1864).²

Aliae revelationes circa B. Virginem factae fuerunt S. Catharinae Senensi, B. Magdalenae Martinengo, Caeciliae Bay, et praesertim S. Birgittae, cuius habentur plures revelationes circa Immaculatam Conceptionem, circa vitam et virtutes B. Virginis a prima pueritia usque ad Verbi Incarnationem, nec non circa longum B. Virginis martyrium. Cfr *Revelationes S. Birgittae a Ioanne Cardinali de Turrecremata recognitae*, Coloniae Agr., 1628. Revelationes istae approbatae fuerunt ab Urbano VI (1378-1389), a Bonifacio IX (1389-1404) et a Martino V (1417-1431).

III. De valore et usu revelationum privatarum circa B. Virginem

Hisce positis quaeritur: quisnam est valor usus harum revelationum in Theologia Mariana? ... Circa hoc valde disputatum est.³

I) CENTURIATORES MAGDEBURGENSES omnes privatas revelationes simpliciter reiciebant tamquam fide, etiam humana, indignas. Inter Catholicos vero

¹ Circa hoc opus valde inter theologos saec. XVII et XVIII disputatum est (cfr GHEYN, art. *d'Agreda*, in *Dict. VACANT*, t. I, coll. 629-631). Iuxta Bossuet, contineretur, ibi « scolastique raffinée selon les principes de Scot, Dieu lui-même se déclare scotiste »; et in ipso videbat dæmonis artificium « pour faire qu'on croie mieux connaitre Jésus-Christ et sa sainte Mère par ce livre que par l'Evangile » (*Œuvres*, Versailles, 1817, t. 40, pp. 637-640; cfr t. 40, pp. 172-204-207; t. 41, p. 92). Prohibita fuit lectio huius operis a S. Congr. Inquisitionis die 26 junii 1681, attamen executio Decreti a Clemente XI suspensa fuit ob instantias Caroli III, regis Hispaniae. A. 1696 a Sorbona condemnatum fuit. Adprobatum tamen fuit ab Universitate Salmanticensi, Lovaniensi, Tolosana etc. et a fratribus Ord. Minorum acriter defensum. De ipso Gheyne hoc iudicium profert: « En résumé, si l'on veut juger l'œuvre de Marie d'Agreda, sans l'esprit de parti qui a malheureusement vicié bon nombre des appréciations portées sur ses écrits, il faut reconnaître qu'au point de vue de la théologie mystique et de l'édification, la *Mystique Cité de Dieu* mérite la vogue dont elle a joui. Au point de vue historique, ce livre contient plusieurs des erreurs qui lui ont été reprochées. Il a, ce qui suffit à le rendre suspect, trop de rapport, quant à son contenu, avec les deux livres apocryphes de *l'Enfance de Jésus* et de la *Nativité de la bienheureuse Vierge Marie*. La chronologie et la géographie reçoivent, dans la *Cité de Dieu*, plus d'un accroc » (l. c., col. 360).

² Cfr severum iudicium P. TERRIEN in op. *La Mère de Dieu*, t. 2, l. 8, c. 2.

³ Cfr SEDLAMER, *Theologia Mariana*, apud BOURASSÉ, *Summa Aurea*, t. 7, coll. 773-780.

quidam illas solummodo admittunt quae circa *mores* tantum, non vero circa *mysteria* versentur. Ita BAÑEZ (in 22, q. 1, a. 1, dub. 3); MELCHIOR CANUS (*De locis theologicis*, lib. X, cap. 8 et 4); SOTUS (*De natura et gratia*, I. III, c. 11). Alii vero admittunt etiam revelationes quae respiciunt *mysteria*, dummodo tamen non sint de rebus inter theologos controversis, quia tunc essent iure suspectae. Ita GRAVINA (in *Lapide Lydio*, p. I, l. II, c. 3, p. 177); FRANCISCUS ARADIUS Ep. Segoviensis (lib. *De statu Ecclesiae*, tract. 3, p. 23, p. 152); Card. CAJETANUS (t. 2, tract. 1, c. 5, par. *Novae autem revelationes*) et S. ANTONIUS Ep. Flor. (*Summ. Theol.*, p. II, tit. 8, c. 2).

2) Alii, e contra, tenuerunt credi posse fide divina et supernaturali *mysteria* solis privatis revelationibus proposita, cum sola *probabili* notitia circa authenticitatem talium revelationum. Ita card. XIMENES, O. F. M., (*Annot. ad myst. Civit. Dei*, annot. 5, par. 8), citans pro sua sententia Cardinalem De Lugo (tract. *de Fide*, disp. 1, n. 240) et Ripaldam (disp. 7, sect. 2), nec non MASTRIUS (*De virtut. theol.*, disp. 6, q. 10, art. 2, n. 299), PANGER (*De Fide*, disp. 3, n. 24) etc... Quinimmo CHRISTOPHORUS VEGA de revelatione privata Immaculatae Conceptionis agens, eo devenit ut scriberet « Summum Pontificem, licet nullum aliud extaret fundamentum, nec subesset ratio, qua niteretur pia de Immaculato B. Virginis conceptu sententia, una dempta B. Birgittae revelatione, posse litem decidere, ac praesentem controversiam dirimere, ac fidelibus sententiam piam tamquam fidei dogma proponere » (*Theologia Mariana*, Neapoli, 1866, t. 1, p. 136). Quid dicendum? ... Media quaedam via, inter duo extrema, cum communi Theologorum opinione, tenenda videtur, videlicet:

a) Dantur vel dari possunt revelationes privatae, humana fide dignae, etiam circa *mysteria* mariana et quidem inter doctores controversa. Attamen:

b) Non possunt tales revelationes credi fide divina et supernaturali si sola *probabili* notitia, sicut ordinarie fit, de ipsis constet, prout apparet ex prop. 21 damnata ab Innocentio XI: « Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia tantum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidat, an sit locutus Deus ».

Quapropter cum Card. Lépicier concludimus: « cautum omnino esse oportet theologum, qui in confirmationem alicuius theologiae theseos ad Servorum Dei revelationes confugerit. Nam, etsi omnis authenticitas ab hisce revelationibus non sit abiicienda, meminisse tamen theologum iuvat in iis visionibus humanum saepe elementum, inscio etiam vidente, misceri; ex quo fit ut id quod tamquam divinitus revelatum offertur, aliud saepe non sit nisi vanus imaginationis partus. Quapropter approbatio, quam de huiusmodi revelationibus Ecclesia interdum profert, modo potius negativo quam positivo est accipienda: sic quippe Ecclesia hoc tantum declarat, scilicet in illis scriptis doctrinam veritati revelatae contrariam generaliter haud contineri, quidquid de origine illorum decerni possit.

Unde ea fideles ad propriam aedificationem libere legere possint; theologum tamen non sine maxima cautela ad talia, pro dogmatibus conficiendis, confugere decet » (*De Maria numquam satis*, pp. 37-38).¹

¹ Circa valorem revelationum privatarum conferatur Card. Prosper Lambertini (Benedictus XIV in suo classico opere *De Servorum Dei Beatificatione et Beatorum Canonizatione*, L. II, Patavii, 1743, p. 243, n. 11).

PARS TERTIA
DE PRINCIPIIS FUNDAMENTALIBUS MARIOLOGIAE

PRAENOTANDA ¹

1. **Principia mariologiae** sunt propositiones quaedam, (abstractione facta ab evidentia aut inevidentia) quatenus ex ipsis natae sunt deduci conclusiones theologicae B. Virginem respicientes. Sunt veluti *fundamenta* super quae omnes mariologiae partes extruuntur; sunt veluti *semina* et *radices* ex quibus conclusiones, tamquam rami et folia, procedunt, quibus iugiter intellectus fidei ditescit.

2. **Existentia** horum principiorum ex hoc patet quod Mariologia est pars Theologiae, et Theologia est scientia; ² scientia autem nihil aliud est nisi *cognitio certa et evidens veritatis necessariae per causas*, seu aliis verbis, habitus conclusionum logice deductarum ex *principiis*, quae sunt veritates a Deo revelatae in quibus implicite (formaliter vel virtualiter) conclusiones illae, tamquam in causa, continentur.

3. **Utilitas** horum principiorum ex hoc patet quod per ipsa omnes, partes alicuius scientiae arctissime ad invicem colligantur, ita ut ex ipsis ordo, unitas et scientiae harmonia enascantur. « Multa, una specie intellecta, simul intellicantur » (*Sum. Theol.*, I, 12-10, 1).

Insuper quam maxime inserviunt ad explicitiorem cognitionem privilegiorum B. M. V. Nil mirum igitur si nostris praesertim diebus, ³ in quibus Mariologia

¹ Bibliographia: BALIĆ C., O. F. M., *De Regula fundamentali Theologiae Marianae Scotisticae*, Sibenik, 1938; BITTREMIEUX J., *De principio supremo Mariologiae*, in *Eph. Theol. Lov.*, t. 8 (1931), pp. 249-251; *Marialia*, Bruxellis, 1936, pp. 16-29; cfr etiam *Eph. Theol. Lov.*, t. 12, 1935, pp. 607-609; BOVER J., *Sintesis orgánica de la Mariología en función de la asociación de María a la obra redentora de Jesucristo*, Madrid, in *Estudios Eclesiasticos*, Pozas, 12, 1929, in 8, 28 pp.; CUERVO, O. P., *Boletín de teología dogmática*, in *Ciencia Tomista*, a. 28, t. 56, 1937, p. 141; DENEFFE, S. J., *Het grondprinciep der Mariologie*, in *Mariale Dagen van Tongerlo*, 1936, pp. 70-82; DRUWÉ, *Position et structure du Traité Marial*, in *Boll. de la Soc. Franç. d'Et. Mar.*, 1936, pp. 16-29; FECKES, *Das Fundamental-prinzip der Mariologie*, in *Scientia Sacra*, 1935, pp. 252-276; KEUPPENS, *Mariologiae Compendium*, pp. 11-19; LAVAUD, in *Revue Thomiste*, 1927, p. 435; MÉRCKELBACH, in *Mariologia*, Parisiis, 1939, pp. 91-92; NUY R., S. I., in *Mariale Dagen van Tongerlo*, 6, 1936, pp. 23-40. Plures articuli, a variis auctoribus compositi, circa principia fundamentalia Mariologiae inveniuntur in *Estudios Marianos*, a. III, vol. III, Madrid, 1944. Ibi crisi subiecta sunt ea quae in prima editione huius operis circa Mariologiae principia scripsimus.

² Bene scio hodiernos quosdam Theologos naturam scientificam Theologiae negare aut in dubium vertere. At, rationes quae ab ipsis afferuntur nobis sat validae non videntur. Cfr G. M. ROSCHINI, O. S. M., *La Teologia è veramente scienza?* in *Acta Pont. Academiae S. Thomae Aquinatis*, Romae, 1944, pp. 47-132.

³ Primus qui de principiis Mariologiae ex professo pertractavit, fuit, ut videtur, GERSON († 1429) in *Epistola Cancellarii Parisiensis de susceptione humanitatis Christi allegorica et*

non iam occasionaliter (veluti appendix ad Tractatum de Verbo Incarnato), sed ex professo, tamquam specialis Tractatus Theologicus exponitur, quaestio exorta sit circa principia Mariologiae et praesertim circa primum principium seu circa ideam veluti centram totius Mariologiae, quae organicam eius extructionem possibilem reddat. Principia Mariologiae (sicut et principia cuiuslibet scientiae) distingui possunt in *principale* seu fundamentale et *secundaria* quae subdividi possunt in *universalia* et *particularia*. Recte igitur haec nostra tractatio in duplicem veluti partem dividitur, videlicet: I. *De principio primario Mariologiae*; II. *De quibusdam principiis secundariis Mariologiae, sive universalibus sive particularibus*.

I. DE PRINCIPIO PRIMARIO MARIOLOGIAE

Quaestionis momentum et difficultas

Quaestio de primo Mariologiae principio constituit, procul dubio, fundamentale problema methodologiae mariologicae. Huiusmodi enim principium structurae tractatus Mariologici praesidet, eidem firmitatem, ordinem et unitatem conferendo. Est veluti *semen* vel cellula germinativa ex qua radices, fustus, rami cum floribus et fructibus procedunt. Primum enim mariologiae principium exprimere debet missionem, essentiam, rationem ipsam essendi B. M. Virginis, locumque quam ipsa occupat in praesenti ordine a Deo, iuxta aeternum suum consilium, praeordinato. Hinc tractationis momentum et difficultas. Ex difficultate autem variae nec non discordes solutiones huic quaestioni datae derivantur.

Quaestionis divisio. Perspicuitatis gratia, praesentem tractationem in quatuor puncta dividimus, agentes:

1. De illorum sententia qui dubitant vel negant dari primum aliquod Mariologiae principium.
2. De illorum sententia qui unicum admittunt Mariologiae primum principium.
3. De illorum sententia qui admittunt duo prima Mariologiae principia.
4. Sententia nostra conciliativa.

I. De illorum sententia qui dubitant aut negant dari primum aliquod Mariologiae principium.

Quod etiam in Mariologia, sicut et in qualibet alia parte S. Theologiae, dentur principia quaedam secundaria, universalia aut particularia ex quibus conclusiones

tropologica, in *Opera* Parisiis, 1606, t. 1, coll. 451 ss. Saec. XVII de iisdem pertractarunt Petavius, Theophilus Raynaud, Bartholomaeus de Los Rios (in praefatione ad opus *Hierarchia Mariana*, Antuerpiae, 1641), et Ioannes Maria Zamoro (in op. *De eminentissima Deiparae perfectione*, Venetiis, 1629, l. 1, cap. 22, nn. 6, 85).

quaedam deducuntur, res evidens est, et nemo de ipsa dubitat. Huiusmodi enim principia sunt veluti ideae matres ex quibus variae evolutiones in variis capitibus inclusae, derivantur. Attamen, idem dici non potest de supremo quodam principio.

De existentia cuiusdam supremi principii mariologici dubium aliquod habuisse videtur P. C. Zimara, S. M. B., in Ephemeride *Divus Thomas*, Friburgi (15, 1937, 113-115). Ibi enim Mariologos admonuit ut attendant ad possibilitatem carentiae, pro Mariologia, alicuius primi principii, ad hoc ut systematizationis excessus sedulo devitent.

Negavit vero existentiam cuiusdem primi principii mariologici P. J. F. Bonnefoy, O. F. M.,¹ hac ratione ductus quod Mariologia non sit scientia sui iuris neque scientia subalternata Theologiae aut Revelationi. Est enim, Mariologia, pars integrans Theologiae quae, iuxta S. Thomam, est scientia una. Mariologia ergo non habet et non potest habere principia diversa a principiis ipsius Theologiae, quibus adiungere debet primas conclusiones ex ipsis deductas. Consequenter vana sunt varia Theologorum conamina ad primum aliquod Mariologiae principium stabiliendum.

Negant insuper pro Mariologia — sicut et pro Theologia in genere — existentiam cuiusdam supremi principii illi omnes qui tenent S. Theologiam (cuius Mariologia est pars integrans) dici non posse stricto sensu scientia et ideo supra primum aliquod principium aedificari.

Seponentes dubium P. Zimara, eo quod nulla ab ipso adducitur ratio ad illud stabiliendum, aliquid dicendum putamus de sententia P. Bonnefoy. Verum quidem est — prout asserit P. Bonnefoy — Mariologiam non esse scientiam autonomam neque esse scientiam subordinatam Theologiae sed partem tantummodo integram eiusdem. Ex hoc tamen minime sequitur quod esse nequeat aliquo modo sui iuris adeo ut tractatum a se constituat, et ideo nequeat habere principium quoddam supremum ex quo soliditatem et unitatem organicam desumat. Ita, e. g., in Tractatu « De SS. Trinitate » tamquam primum principium recognosci solet: « In divinis omnia sunt unum ubi non obviat relationis oppositio ». In tractatu de Sacramentis: « Sacramenta id efficiunt quod significant ». Iamvero, si in aliis partibus integrantibus scientiae theologiae habetur aut haberi potest primum aliquod principium, curnam illud Mariologiae negabitur?

Relate tandem ad illos qui Mariologiae primum quoddam principium denegant eo quod Theologia (cuius Mariologia est pars integrans) non est vere propriaeque scientia, sufficit respondere quod S. Theologiae indoles verae scientiae negari non potest, dummodo terminus « scientia » tribuatur Theologiae (quae est scientia divino-humana) et aliis scientiis (quae sunt humanae) non iam univoce

¹ Cfr *La primauté absolue de Notre-Seigneur Jésus-Christ et de la Très-Sainte Vierge*, in *Bulletin de la Société Française d'Etudes Mariales*, 1939, pp. 88 s.

sed analogice tantum. Theologia enim — sicut et Mariologia — est scientia sui generis, at proprie vereque scientia. Et ideo propria habet principia (articuli fidei) nec non proprias habet conclusiones ex principiis deductas et ad systema quoddam reductas. Inter varia vero principia, primum aliquid principium deesse nequit essentiam ipsam proprii obiecti in semetipso reflectens. At, quodnam est huiusmodi primum principium?

II. De illorum sententia qui unicum admittunt Mariologiae primum principium.

Qui tenent dari in Mariologia unicum supremum principium, distribui possunt, claritudinis gratia, in duas classes, secundum quod primum principium ab ipsis propositum est simplex aut compositum.

A) *Sententia illorum qui tenent dari unicum primum* Mariologiae principium simplex.* Qui hoc tenent, vident, seu melius, videre volunt primum Mariologiae principium in *maternitate divina* aut in officio *Novae Evae* (Sociae Redemptoris).

a) **Quidam tenent** principium supremum Mariologiae esse *Maternitatem divinam* adaequate sumptam, seu maternitatem moralem-physicam. Ita tenuit inter veteres, e. g., S. Laurentius a Brundisio: « In sacrosancto hodierno Evangelio de SS. Virgine Deipara ... nihil aliud habemus nisi quod ipsa sit vera et naturalis Mater Christi: *de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Et quidem haec prima est et summa dignitas Virginis Gloriosae, ex qua omnis eius gloria honorque dependet. Sicut enim in qualibet scientia statuitur *primum aliquid principium* aut axioma, ex quo omnes fere illius scientiae conclusiones educuntur, et comprobantur, uti in Theologia quod Deus sit primum ens, in naturali philosophia quod natura est principium motus, in morali quod bonum est faciendum et fugiendum malum; ita in hodierno Evangelio statuitur hoc primum principium nobilitatis et dignitatis Mariae, quod ipsa sit vere *Theotocos*, naturalis, vera et propria Mater vivi et veri Dei, Unigeniti Filii summi Patris, ex quo principio concluditur quod ipsa sit Sponsa Altissimi, quod sit Domina Angelorum, Regina Sanctorum omnium, Imperatrix totius universi etc. Ex hoc autem eodem principio educenda nobis est hodie conclusio haec, quod ipsa fuerit semper sanctissima, semper gratia plena, absque omni macula peccati, quod sine originali peccato concepta sit » (*Mariale*, Patavii, 1928, sermo VIII *In Concept. Immac.*, § 1, p. 479). Et alibi: « a dignitate Christi petenda et intelligenda nobis est dignitas Mariae, et ab hoc principio eliciendae conclusiones ceterarum laudum ipsius; ab hac radice rami, flores, folia, fructus laudum naturae, gratiae et gloriae singularisque excellentiae super omnes Sanctos, etiam Angelos ... Sed plane, sicut incomprehensibilis omnino est dignitas Christi, ita et dignitas Mariae, quae ex Christi dignitate immediate pendet, cum illius sit Mater » (ibid.,

serm. V *In Concept. Immac.*, § 2, pp. 455-456). Tandem, alibi: «Haec enim sicut unitas suo simplicissimo sinu omnium numerorum species, veluti thesauro complectitur omnes Beatæ Virginis laudes, quod prædestinata fuerit a Deo nataque in mundo, ut Dei Mater esset» (ibid., p. 455).

Idem tenet, inter modernos, e. g. POHLE-GIERENS (*Lehrbuch der Dogmatik*, t. 2, 9 ed., Paderborn, 1937, p. 248) qui maternitatem divinam vocat *fundamentalbegriff* (= ideam fundamentalem) Mariologiae, eodem modo quo unio hypostatica est idea fundamentalis pro Christologia, et mediatio naturalis est idea fundamentalis pro Soteriologia.

Nuper, P. Marcellianus Llamera, O. P., explicite asseruit «Mariologiam habere unicum principium, unam tantummodo veritatem seminalem quae eam essentialiter ad unitatem redigit, id est *maternitatem divinam*. Haec autem maternitas divina necessario secumfert maternitatem spiritualem, et haec universam missionem salvificam B. Virginis secumfert». Agitur enim de maternitate divina corredemptrice quae maternitatem spiritualem includit. Et adiungit primum principium optime exprimi posse verbis illis simplicissimis evangelii: *Maria Mater Iesu*. Maternitas, in scientia mariologica, omnia dicit... «Ipsa est Virgo Mater. Tota mater». ¹

Inter illos qui tenent quod divina maternitas B. M. Virginis includat et exigit spiritualem maternitatem, accenseri posse videntur, inter recentiores: Cuervo (*Ciencia Tomista*, t. 56, p. 141), Fernandez (*De Mediatione B. V. secundum doctrinam D. Thomae*, in *Ciencia Tomista*, t. 37, p. 149), Bernard (*Le mystère de Marie*, lib. I, cap. 1) et Gagnebet (*Questions Mariales*, in *Angelicum*, 22 [1945] 164 ss.).

b) Alii tenent principium supremum Mariologiae esse principium antiquissimum *Mariae novae Evae* seu sociae Redemptoris. Ita DENEFFE (l. c.). Etiam BILLOT in tr. De Verbo Incarnato, ubi de B. Virgine agit, hanc thesim fundamentalem ponit: «De Virgine Matre generaliter tenendum est, quod in ordine reparationis eum locum tenet, quem tenuit Eva in ordine perditionis, ... quo fit ut novo Adae, id est Christo, indissolubili nexu ad dissolvenda diaboli opera coniungi debuerit nova Eva, id est Maria» (Romae, 1927, d. 7, p. 386).

Ita etiam Zimara, S. M. B., in Eph. *Divus Thomas* (Freiburg), t. 15, 1937, pp. 113-115.

Nuper P. S. Alameda, O. S. B., demonstrare conatus est principium primum Mariologiae, iuxta SS. Patres, esse missionem corredemptricem Mariae, videlicet, interventum Mariae in redemptione, quemadmodum Eva intervenerat ruinae. Maternitas divina, iuxta Patres, consecrarium fuit Officii Secundae Evae, id est, fuit veluti medium pro actuazione missionis novae Evae, quatenus Maria restituit nobis principium gratiae quod nobis abstulit Eva.

¹ *Estudios Marianos*, t. 3, pp. 67-161.

B) *Sententia illorum qui tenent dari unicum primum Mariologiae principium compositum.*

Exclusis hypothesibus circa primum quoddam principium mariologicum *simplex* in *maternitate divina qua tali* aut in *missione novae Evae* consistens, Mariologi haud pauci proposuerunt primum quoddam principium mariologicum compositum aut complexum. Hoc autem principium consisteret, iuxta varios auctores, 1) in maternitate sponsali (Scheeben), 2) in maternitate divina concrete seu historice sumpta (Bernard, Bover), 3) in maternitate soteriologica seu corredemptrice (Merkelbach, Benz, Leloir), 4) in maternitate providentiali modo considerata (P. Elias a Virgine Perdolente). Modi isti dicendi, unum idemque, plus minusve, expriment. Aliquid dicamus de singulis.

Scheeben,¹ tamquam supremum Mariologiae principium habet *Maternitatem sponsalem* seu *nuptialem* (*Die bräutliche Mutterschaft*). Ita etiam FECKES (l. c.), DRUWÉ (l. c.), DERCKX (*De Psychologie der Vrouw*, 1931).

En quomodo cl. P. Druwé sententiam Scheebenianam exponit:

« Scheeben fait nettement de ce caractère personnel materno-sponsal de la Vierge la clef de voûte de toute sa Mariologie.

Partons, si vous le voulez, du double principe fondamental, auquel nous étions arrêtés ci-dessus. L'idée de maternité divine d'une part et celle d'associée au Rédempteur d'autre part nous mena chacune à une réalité unique, sous-jacente à l'une et à l'autre.

Commençons par l'idée de maternité divine. Nous avons vu que la maternité pleinement humaine suppose une relation morale d'amour et de dévouement de la mère, tant par rapport au principe déterminant de sa conception que par rapport à son objet. Cet objet, son Fils, dans le cas de Marie, c'est le Verbe fait chair. A la relation ontologique réelle, que Marie contracte à l'égard du Verbe du fait de sa maternité physique adéquate, s'ajoute par conséquent une relation morale d'amour et de dévouement maternels, terminée elle aussi au Verbe fait chair. Le principe déterminant de sa conception, c'est l'opération surnaturelle, commune aux trois Personnes divines. Mais cette opération qui, à la fois, produit l'humanité du Christ et l'unit au Verbe, se termine à la seule seconde Personne. Elle implique par conséquent de la part du Père la « mission » par laquelle il envoie son Fils dans la chair, et de la part du Verbe, le don par lequel il se donne lui-même à Marie. Et ce don, le plus intime qui se puisse concevoir d'une Personne divine à une personne humaine, incontestablement d'une liberté souveraine du côté divin, la sainte Ecriture s'est plu à souligner qu'il a été subordonné au libre consentement aussi de la Vierge. La révélation d'autre part est formelle pour exclure de cette conception la paternité humaine et partant le libre don mutuel complet entre époux humains, que la maternité vraiment humaine présuppose. La tradition chrétienne ne s'est pas fait faute de voir, en conséquence, dans le libre acquiescement de Marie à l'Incarnation, un connubium divinum entre elle et le Verbe.

Nous nous trouvons donc ici devant le fait absolument unique d'une maternité, dont l'objet (ou le fruit) est une personne divine préexistante, qui librement se donne

¹ *Handbuch der Katholischen Dogmatik*, t. 3 (Freiburg B., 1882), pp. 455-629.

à la Mère, pour être revêtu par elle de sa chair, et qui requiert au préalable le libre consentement de sa Mère à son enfantement. Il en résulte que la relation contractée, de ce chef, par Marie à l'égard du Verbe est à la fois et indissolublement une relation de Mère et une relation d'Épouse, et que la créature qui en est le sujet se trouve caractérisée vis à vis de toutes les autres par cette relation materno-sponsale.

Nous arrivons au même résultat en partant de l'idée d'association. Le fondement révélé s'en prend dans le parallèle antithétique entre Adam et Eve d'un côté et Jésus et Marie de l'autre, parallèle qui se découvre dans le Protoévangile à la lumière de la tradition. Eve nous apparaît ainsi tout d'abord à côté d'Adam comme l'épouse-type, — adiutorium simile sibi (Gen. 2, 18), — dans le mariage-type, placé au seuil de l'humanité pour incarner en quelque sorte l'idée que s'en fait le Créateur et qu'il veut voir respectée par toutes les générations à venir (Mt. 19, 4-8). Mariage-type aussi parce que dans ce rôle d'adiutorium Eve aurait avec Adam assuré la permanence des dons préternaturels et surnaturels dans l'humanité toute entière, préfigurant ainsi spécialement l'union sanctificatrice du Christ et de l'Église (Eph. 5, 31 s.). Cette association sponsale d'Eve avec Adam apparaît par là même essentiellement ordonnée à sa maternité spirituelle par rapport à tout le genre humain. Première épouse, première mère, elle devait être " Eve ", c'est à dire " mater cunctorum viventium " (Gen. 3, 20), dans un sens autrement vrai que celui que seul lui a laissé son infidélité à son rôle d'adiutorium et qui consiste à ouvrir la série des générations humaines, préalablement vouées par elle à la mort de l'âme et du corps.

« Le parallélisme susdit nous invite donc à voir en Marie aussi l'association toute entière ordonnée à une double maternité, — maternité physique, à l'égard du Premier-né de l'humanité régénérée, — maternité spirituelle, à l'égard des puînés, qui ne forment avec le Primogenitus qu'un seul corps mystique.

« Mais nous n'avons pas encore épuisé la fécondité de ce mystérieux parallèle. Le caractère typique de cette première union sponsale est encore souligné dans l'Écriture par la façon souverainement intime et unique, dont l'épouse y est unie à l'époux, au point que celui-ci peut dire d'Eve en toute vérité: "Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea" (Gen. 2, 23). Or la seule façon possible pour le Verbe de réaliser une union semblable avec son Associée, c'était d'en faire sa Mère, une mère virginale, dont seule il tiendrait toute la substance de sa chair. L'association de Marie au Christ est donc elle aussi à la fois et indissolublement une relation materno-sponsale.

« Dans cette formule de la dignité suréminente de Marie nous n'avons pas simplement la juxtaposition de deux concepts distincts, qui se trouveraient unis de fait, dans la réalisations concrète, actuelle de l'économie rédemptrice. C'est un concept unique, dans lequel les raisons formelles d'épouse et de mère se trouvent liées par le dedans, intrinsèquement, de manière à intégrer une réalité parfaitement une, qui constitue ce que Scheeben appelle le "caractère personnel" (Personalcharakter) de Marie » (l. c., pp. 24-26).

In expositione sententiae doctissimi Scheeben, Druwé haec, paucis verbis, asserere videtur: supremum Mariologiae principium est *Maternitas sponsalis*. Ad hanc maternitatem sponsalem devenimus sive ex principio *maternitatis divinae* sive ex principio *consortii* in opere redemptionis. Ad tale principium devenimus,

imprimis, ex principio *maternitatis divinae*.¹ Haec enim maternitas quid omnino singulare constituit. In ipsa enim, 1) Persona quae est terminus talis relationis (i. e. maternitatis divinae) *praeexistit* Matri, quinimmo Ipsamet matrem suam creavit et munificentissime ornavit; 2) Haec divina Persona, praexistens, seu Verbum Dei, antequam libere, pro generis humani redemptione carnem assumeret, liberum consensum Matris suae postulavit. Maternitas proinde divina, *duplicem*, necessario, *relationem* complectitur, *maternam*, scilicet, respectu Verbi Dei, et *sponsalem*, respectu eiusdem Verbi divini. Verum quidem est liberum *consensum* Virginis *in initio* tantummodo operis redemptorii apparere; attamen simul apparet continuatio eius tamquam conveniens, si non tamquam necessaria.

Ad eandem maternitatem sponsalem devenitur ex principio consortii, *seu novae Evae*. Eva enim, cui opponitur Maria, apparet nobis, relate ad Adam, tamquam typus sponsae (*adiutorium simile sibi*, Gen. 2, 18) in matrimonio typico. Prima sponsa, prima Mater, Eva, esse debebat etiam « mater cunctorum viventium ». Parallelismus inter Evam et Mariam nobis manifestat consortium ad duplicem maternitatem ordinatum, videlicet, ad *maternitatem physicam*, respectu Primogeniti humanitatis regeneratae, et ad *maternitatem spiritualem* respectu aliorum qui cum Primogenito unicum corpus mysticum constituunt.

Ex hoc principio maternitatis sponsalis, tamquam ex prima radice, omnia Virginis privilegia derivantur.

1. **Alii dixerunt** principium supremum Mariologiae esse quidem *Maternitatem divinam*, at non in sensu abstracto et aprioristico sed in sensu *concreto et historico*, quemadmodum scilicet a S. Scriptura et a Traditione nobis exhibetur. Ita BOYER (l. c.), BERNARD, O. P. in op. *Le mystère de Marie* (1933, p. 21), etc. Maternitas divina, tali modo considerata, esset axioma fundamentale, seu principium vitale quod, sicut in aliis scientiis (e. g. in theologia naturali) cohaesionem atque unitatem in integram irradiet mariologiam. Sic enim accepta (i. e.,

¹ NUY (l. c.) ipsam maternitatem (et ideo etiam maternitatem humanam) *essentialiter sponsalem* agnoscit. Qualibet maternitas enim est relatio quae tribus elementibus constat, *subiecto* (sponsa-mater), *termino* (filius) et *fundamento* (operationes maternae physico-morales): Subiectum igitur dicitur sponsa-mater: notio enim maternitatis necessario secumfert mutuum bonorum et praesertim corporis et animae oblationem sponsae ad sponsum et e converso, in qua mutua oblatione, utriusque consensus ad actum coniugalem seu ad filiorum procreationem includitur. Conceptus igitur formalis maternitatis divinae, sicut et cuiuslibet maternitatis verae humanae, essentialiter consistit: 1) in hac habitudine sponsae ad sponsum; et 2) in habitudine sponsae ad filium, communem matrimonii fructum, quae habitudo in operationibus maternis fundatur. Ideo B. Virgo merito *sponsa Dei* (non vero *sponsa Christi* vel Filii vel *Patris*) nuncupatur, eo quod Incarnatio est opus ad extra et ideo naturae seu Deo ut Uni proprie competit. Cum vero Maternitas divina formaliter vel concrete sumpta, absque mutua sponsi sponsaeque dilectione concipi nequeat, in ipsa notione maternitatis divinae plenitudo gratiae implicitae continetur, eo quod dilectio Dei non supponit sed ponit bonitatem sive naturalem sive supernaturalem in rebus.

in ordine concreto et historico), maternitas divina aliud includit elementum a quo veluti completur, *principium* videlicet *associationis* seu *consortii in opere redemptorio Christi*. Elementum hoc (seu principium consortii), maternitati divinae propriam seu historicam et concretam significationem confert, eamque Mariologiae supremum principium constituit, et est satis intrinseca omnium veritatum quae scientiam mariologicam integrant quasque ad strictissimam unitatem reducit. Mariologia igitur, in functione huius associationis spectata, est systema scientificum cohaerens. P. Bover, in praelaudato opere, mirabilem foecunditatem huius principii ostendit, illud ad praecipuas mariologicas doctrinas feliciter applicando.

2. **Alii auctores** videre voluerunt supremum Mariologiae principium in *Maternitate corredemptrici* ita ut primum principium enuntiari possit hoc modo, *Maria est mater Dei-Redemptoris qua talis*. Ita, e. g. MERKELBACH (l. c., p. 91): « Tota Mariologia non innitur duobus principiis irreductibilibus, sed fundatur in uno principio fundamentalis: *Maria est mater Dei-Redemptoris*. Doctrina enim de nova Eva reducitur ad illam de matre Redemptoris formaliter spectata, quam praesupponit, ex qua derivatur et quam evolvit. Maria quidem in haec duo consensit: fieri matrem Dei et fieri consociam Redemptoris; sed in haec duo consensit per modum unius, quia hoc modo ab Angelo fuerunt ipsi proposita: esse scilicet Matrem Dei-Redemptoris qua talis. Mariologia igitur est scientia una ex unitate proprii obiecti de qua tractat ».

Ita etiam BENZ M., O. S. B., in crisi operis P. Dillenschneider (*La Mariologie de Saint Alphonse de Liguori*) in *Divus Thomas* (Freiburg), t. 15, 1937, p. 107. Iuxta ipsum « Missio Virginis fuit maternitas Iesu, seu Dei Salvatoris ».

4) Iuxta P. Garcia Garces C. M. F., primum Mariologiae principium hoc esset: « B. Virgo est Mater Christi totalis ».

Scribit enim:

« Quoad enuntiationem, vero, fundamentalis principii, magis ipsum *una formula expressum*, quae duas tamen virtualitates contineat, quaeque in duo principia resolvi liceat. Ex omnibus, ergo, antea praemissis, *maternitas divina et spiritualis* Mariae tum certitudine, tum intrinseca virtute, ad efformandum scientificum tractatum Mariologiae, commendatur. Maternitas spiritualis parum differt a principio consortii; aliunde haec habet commoda: universalior gaudet usu et favore in Ecclesia Catholica; eius conceptus facilius, saltem a minus in Mariologia peritis, attingitur; exceptiones non patitur, uti consortium, quod ad iustitiam exercendam non extenditur, dum vi nominis exceptionem non innuit. In spirituali maternitate omnia officia B. M. Virginis inclusa et fundata considerari possunt. Oportet ergo ut maternitas divina et spiritualis maternitas uno principio exprimentur. Quod facere haud difficulter possumus considerantes a) quae supra diximus de nostra incorporatione cum Christo, quocum unum efformamus... b) maxima congruentia quod una et Eadem sit Christi et membrorum eius Mater... Supposito, ergo, quod Deus voluerit filium suum naturalem matrem habere secundum carnem, et filios adoptionis spirituali matre non carere, rectissime

utrumque privilegium in Maria cumulatur. Fundamentale, ergo, principium de scientia tantae Virginis exprimat utramque maternitatem hoc modo: B. Virgo est Mater totius Christi; vel ne confusio oriatur, aliquando enim locutio "totus Christus" sensum diversum obtinuit, quin ullo modo sermo occurreret de Christo mystico, dicatur: *Beata Virgo est Mater Christi totalis*. Hoc principium — divinam indicat voluntatem quae in hoc ordine congruentem maternitatem Christi physicam et membrorum Christi maternitatem spiritualem sociare decrevit, — notam et proprium Mariae characterem detegit, videlicet: *Maria semper Mater, Maria tota Mater...* — Per conceptuum introspectionem, concludere permittit ad naturam, proprietates, exercitium maternitatis spiritualis, super quibus, in theologiae campo, auctores congregiuntur. Tum divina, tum spiritualis maternitas thesauros dogmaticarum conclusionum recondunt: ex divina, autem, voluntate, ad invicem ordinantur. Theologis ergo uniuscuique valorem examinare et mutuas relationes incumbit » (*Mater Corredemptrix*, Marietti, Torino 1940).

5) P. Elias a Virgine Perdolente C. P. recognoscit primum Mariologiae principium in maternitate divina plene sumpta, cum qua Eius associatio Redemptori coniungitur connexionione non iam metaphysice necessaria sed providentialiter a Deo disposita.¹

III. Sententia illorum qui tenent dari duo suprema Mariologiae principia.

1. **Non desunt Theologi** qui tenent dari duo suprema Mariologiae principia id est *maternitas divina* erga Verbum et *maternitas spiritualis* erga nos. Ita, e. g., Terrien in opere *La Mère de Dieu et la Mère des hommes*. Maternitas enim divina ad maternitatem spiritualem omnino ordinatur, et maternitas spiritualis in maternitate divina fundamentum suum ontologicum invenit. Ita etiam Cuervo O. P. (*Boletín de teología dogmática*, in *Ciencia Tomista*, t. 56, 1937, p. 141).

2. **Plures hodierni** Mariologi tenent suprema Mariologiae principia constitui *ex maternitate divina* et *ex consortio* cum Redemptore. Aliis verbis: « Maria est Mater Dei et Socia Mediatoris ». Ita BITTREMIEUX (l. c.), DILLENCHNEIDER, (*La Mariologie de Saint Alphonse de Liguori*, 1934, pp. 56-61), KEUPPENS (o. c., p. 12), ALASTRUEY (*Mariologia*, t. 1, 1934, pp. 3-4).

Ita cl. Bittremieux sententiam suam ostendit: « Adstrueremus itaque duplex principium, quorum primum est: *B. Virgo est Mater Dei*, et alterum: *B. Virgo est consors Filii sui Redemptoris*. Pro hac duplicitate militare videtur imprimis ratio aliqua theoretica: etiam in praesenti ordine historico et concreto ut duo distincta apparent nobis maternitas divina et consortium muneris Redemptoris. Etenim, quantumvis haec duo ad invicem connexa sint ex eo quod consortium praesupponat maternitatem divinam ut fundamentum et quod maternitas ad consortium a Deo sit ordinata, nihilominus aliud est formaliter esse matrem et aliud esse consortem. — Militat praeterea ratio quaedam practica: sic nimirum

¹ Cfr *Estudios Marianos*, III (1944) 210 ss.

aedificari poterit mariologia iuxta methodum quam Theologi in Christologia sequuntur. Mos est theologis hunc tractatum in duas dividere partes, quarum prior considerat Verbum Incarnatum, personam Christi, unionem hypostaticam, cum omnibus quae sive ut praecedentia sive ut consequentia ad hanc pertinent, quarum posterior ipsum Christi Redemptoris munus enucleat. An pro tali methodo invocari non potest auctoritas S. Thomae, qui in III Parte *Summae Theologicae* prius de persona Christi agit, ac postea de his quae Christus egit vel passus est?

« Distinctio autem duorum principiorum supra assignata parallelam constructionem permetteret. Scientia de Christo complectitur duas partes, in duobus principiis fundatas: *Christus est Deus*, ac *Christus est Redemptor*; a pari scientia de Maria duabus absolveretur partibus, pariter in principiis duobus fundatis: *Maria est Mater Dei*, *Maria est Consortis Redemptoris*. — Aliunde tamen duo haec principia arctissime, uti diximus, colligantur; inde necessitas pro theologia Mariana hanc connexionem clara in luce collocandi. Consortii munus B. Virgini fuit concreditum, quia Mater Dei Redemptoris; munus consortii praesupponit maternitatem divinam et maternitas divina ad consortium ordinatur. Non tamen sunt haec duo ex toto identificanda, sicuti neque identificamus haec alia duo: *Verbum humanam naturam assumpsit* et *Verbum incarnatum genus humanum redemit*. Si dicatur hoc ultimum principium primum includere, quatenus dicendo « Verbum Incarnatum » unionem hypostaticam exprimit et dicendo « genus humanum redemit » munus ipsum Verbi Incarnati significat, non dari ergo nisi unicum principium, et a pari admitti posse unicum principium pro Mariologia: *Maria Mater Dei associata est Redemptori*, responderi potest haec vera esse,¹ sed, re bene attenda, hoc ita expressum unicum principium in duo supra assignata principia ita resolvi, prouti theologia revera quoad tractatum de Christo facere solet » (*Eph. Theol. Lov.*, t. 8, 1931, pp. 250-251).

Et alibi (*Eph. Theol. Lov.*, t. 12, 1935, p. 609) idem cl. Auctor scribit: « Quocumque modo quaestio itaque vertatur, apparet quaedam dualitas in munere Mariae: maternitatis et associationis. In unum conceptum haec non coalescunt; est nihilominus dualitas cohaerens, a Deo ipso volita. Optime et congruentissime in persona Mariae haec unita Deus ipse ordinavit. Conveniens fuit propter

¹ Vana ergo videtur animadversio cl. MERKELBACH contra BITTREMIEUX: « Etiam diversi aspectus qui in Verbo incarnato considerantur ad unum rediguntur, quia incarnatio non fuit ab aeterno decreta, nec in ordine concreto realitatis existit, nisi ut redemptiva, sicut exponunt thomistae ubi de motivo Incarnationis; et ideo etiam doctrina de Christo reducenda est ad unitatem. Et simili modo de B. Virgine Maria » (l. c., p. 92). Vana videtur haec animadversio eo quod ipsemet Bittremieux haec omnia iam concessit. Frustra etiam (ibidem, p. 92) animadvertit quod conceptus maternitatis divinae et conceptus consortii licet sint distincti, non tamen sunt *disparati*, cum alter in altero fundetur: hoc enim ipsemet Bittremieux ultro concedit (cfr *Eph. Theol. Lov.*, 12 (1935) 609).

bene esse Redemptionis, ut Redemptor non tantum Matrem sed et cooperatricem haberet, ut nova Eva adesset secus novum Adamum, ut homines matrem et corredemptricem haberent secus Christum Redemptorem. Deus itaque ita statuit; sed, hic apparet nexus quidam, corredemptrix, cooperatrix, nova Eva non cogitatur nisi Mater Redemptoris et novi Adae. Quae breviter et practice enuntiantur hac formula: « B. Virgo est Mater et Socia Mediatoris ».

IV. Sententia nostra.

Quid dicendum de istis omnibus sententiis prima fronte saltem, discrepantibus?

Agitur, nostro videndi modo, de discrepantia tantummodo apparente, verbali potius quam reali. Attamen, haud inutile erit discrepantiam etiam verbalem auferre, aliorum sententias crisi subiciendo et nostram proponendo.

a) **Aliarum sententiarum crisis.** Putamus quod, ex discussionibus et sententiis hucusque a varis auctoribus propositis, nefas esse loqui de primo quodam principio Mariologiae *simplici*, unico et indivisibili, universam Mariae missionem exprimente, sed loqui necesse esse de primo quodam principio *composito*, seu melius, de duobus principiis quae ad unum reduci valeant aut de uno quod in duo resolvi possit. Sola idea *maternitatis divinae* (a Patribus Llamera et Gagnebet propugnata), sicut etiam sola idea *secundae Evae* (a P. Alameda etc. vindicata) non videtur per se sufficiens ad exprimendam, sicut in germine, universam missionem a Deo B. Mariae conceditam.

Relate ad ideam *maternitatis divinae* tamquam primum principium *simplex* universae Mariologiae, animadvertendum est quod, ad hoc ut maternitas spiritualis ex maternitate divina derivetur, necesse omnino est ut illa — prout de facto faciunt praefati Auctores — *in concreto* consideretur, id est, sicut de facto evenit, seu, quatenus est *maternitas corredemptrix*, eo quod solummodo hoc modo considerata maternitas divina maternitatem spirituales includit. Iamvero, maternitas quaedam *corredemptrix*, *regeneratrix*, non est amplius maternitas quaedam *simpliciter*, *qua talis*, sed est quid amplius. Non enim repugnat cogitare Deum conferre potuisse B. Virgini qualitatem matris suae absque ulla relatione ad homines. Ad hanc vero relationem inveniendam, maternitas divina cogitari debet *in concreto*, id est, quatenus — prout reapse fuit — *corredemptrix*. At, si ita est — et ita videtur esse omnino — necessario reincident Auctores praefati in sententiam illorum qui tenent supremum Mariologiae principium esse maternitatem divinam *in concreto*, et ideo primum Mariologiae principium non esse simplex sed potius *compositum*.

Relate autem ad ideam Mariae *novae Evae*, animadvertendum est (contra P. Alameda aliosque) verum esse Patres, inde ab aetate apostolica, id docuisse. Attamen, ultra Patrum mentem progredere nobis videtur assertio iuxta quam

maternitas divina, iuxta Patres, consecrarium esset officii secundae Evae, tamquam medium quo officium secundae Evae ad actum reductum esset. Hoc Patres non dicunt, neque supponunt. Neque id dicere aut supponere poterant. Ipsi enim qualitatem novae Evae *in concreto* considerant, non iam in abstracto. Abstracte enim, seu absolute loquendo, minime repugnat Deum conferre potuisse B. Virgini qualitatem novae Evae, prioris Evae reparatricis, quin illam ad ineffabilem Matris suae dignitatem elevaret. In huiusmodi hypothese B. Virgo fuisset procul dubio *secunda Eva*, minime vero Mater Dei. Tantummodo si consideretur *in concreto*, idea novae Evae — prout convenientia requirebat — cum idea Matris Dei arcte coniuncta apparet. Agitur ergo de idea novae Evae *in concreto* sumptae. At, si ita est, seu, si idea novae Evae, in concreto, cum idea maternitatis divinae coniungitur, habetur principium quoddam *complexum*, non vero simplex.

Insuper, si maternitas divina, iuxta Patres — prout vellet P. Alameda — ab officio novae Evae realiter *dependeret*, non vero vicissim, logice consequitur quod, si Adam non peccasset, maternitas divina *certo* (una cum Incarnatione) non fuisset: quod non omnes certo concederent, et ideo officium novae Evae firmitate et certitudine illa careret quae ad rationem primi principii requiritur.

Videtur ergo quod duo theses de primo quodam principio *simplici* Mariologiae a praefatis Auctoribus propositae sustineri non possint, eo quod practice, tandem aliquando, ageretur de primo quodam principio *composito* quod in duo principia resolvi potest, aut de duobus principiis quae ad unum principium compositum reduci possunt. Hoc videtur esse punctum, uti aiunt, mortuum ad quod quaestio de primo Mariologiae principio, post ultimas discussiones, pervenit.

Hoc posito, logice quaeri potest: estne possibile punctum hoc mortuum superare et formulam quamdam primi principii mariologici proponere qua variae discrepantiae auferantur et universalis Mariae missio simpliciori quo fieri potest modo exprimat? Putamus affirmative respondendum esse.

b) **Sententia nostra.** In prima huius nostri operis editione sententia nostra substantialiter non differebat a sententia cl.mi prof. Bittremieux. Necessario enim admittenda esse putabamus duo suprema Mariologiae principia, maternitatem nempe divinam et consortium seu associationem Mediatori, eo quod idea maternitatis divinae est omnino distincta ab idea consortii seu associationis ad opus mediationis, ita ut una ad aliam reduci non possit.¹

¹ Qualitas et missio Matris Dei et qualitas ac Missio Sociae Mediatoris, ita sunt inter se distinctae, ut in duabus distinctis personis, *absolute loquendo*, inveniri potuissent. Potuissent enim Dei Verbum, absolute loquendo, naturam humanam a muliere quadam, *ipsa inscisa*, assumere et ideo illam missioni suae non associare; et potuissent etiam, absolute loquendo, missionem suae Sociae in opere salutis alteri concedere. In tali hypothese prima mulier, de qua locuti sumus, fuisset vera *Mater Dei*, non vero Socia Mediatoris; secunda mulier, e contra, fuisset

Necesse igitur esse, putabamus, admittere duo distincta prima principia. Attamen, cum ageretur de duobus primis principiis coordinatis et connexis (eo quod unum ad aliud ordinatur) *unicam* realitatem concretam (id est munus completum seu missionem B. Virginis) exprimentibus, loqui posse putabamus *de unico supremo Mariologiae principio*, non tamen *simplici* sed *complexo* aut composito. Coordinatio enim et connexio unitatem inponunt, quamvis complexam aut compositam: medius quidam terminus inter dualitatem et unitatem seu simplicitatem.

Conatus reducendi haec duo prima principia ad unum *simplex* principium vanos et inutiles esse nobis videbantur, eo quod in unica enunciatione (quae illusionem praebere unius principii) duae distinctae ideae, duo diversa et irreductibilia principia exprimebantur, cum detrimento claritatis et evidentiae.¹

Primum igitur Mariologiae principium ita enunciabam:

Maria est Mater Dei et Maria est Socia Mediatoris.

In hac duplici parte unius eiusdemque principii — ita ratiocinabamur — integra tractatio de B. Virgine fundatur, et ad hanc utramque partem quidquid de B. Virgine dici potest logice omnino reducitur. Utraque igitur pars, quae fecundissima apparet, *unum totale principium* constituit.

Hoc autem principium *omnes conditiones* primi principii in se adimplere videbatur. Conditiones enim primi principii, in genere, ita ab Aristotele et a Divo Thoma assignantur: «*Prima* est quod circa hoc non possit aliquis mentiri sive errare. Et hoc patet, quia homines non decipiuntur nisi circa ea quae ignorant; ideoque circa quod non potest aliquid decipi, oportet esse *notissimum*. — *Secunda* est ut non sit conditionale, scilicet ut veritas eius non pendeat ex suppositione, quia iam aliud supponeret, nec esset primum; sed oportet *per se esse notum*. — *Tertia* conditio est ut non acquiratur per demonstrationem, sed adveniat quasi per naturam habenti ipsum. Nam, quod demonstratur, est conclusio, non principium » (In 4, *Methaphysicorum*). Aliis verbis: Illud est primum principium: 1) a quo cetera probantur, ipsum autem non potest ab alio probari; 2) quod non potest in dubium verti et 3) quodque in omni alio iudicio implicite continetur. Atqui tale est, in Mariologia, principium de quo agitur. Ergo...

AD MIN. Etenim, principium de quo agitur: 1) est illud a quo cetera in Mariologia probantur. Et reapse omnes conclusiones Mariologiae et omnia alia principia ab ipso derivantur; 2) non potest in dubium verti, seu est certissimum: prima enim pars eius (i. e. maternitas divina) *ad fidem* pertinet; secunda vero

vera *Socia Mediatoris*, non vero Mater Dei. Convenientissime tamen Deus in una eademque persona (B. Virgo Maria) qualitatem et officium Matris Dei et Sociae Mediatoris adunavit.

¹ Ita mihi satisfieri videbatur obiectioni contra nos a cl.mo prof. Bittremieux motae: « Se questo principio totale, in realtà, si compone di due principi, dobbiamo dire, mi sembra, che effettivamente abbiamo due principi e non uno solo ». (*Marianum*, 5, 1943, 43). Habermus *unicum principium*, non iam *simplex*, sed *complexum*.

pars (consortium in redemptione) *fidei proxima* dici potest et est communis theologorum sententia a magisterio ordinario validissime confirmata; 3) in omni alio iudicio *implicite* continetur, eo quod ratio implicita cuiuscumque prerogativae marianae, a tali supremo principio, quod fecundissimum est, desumitur. Hoc principium in omnibus conclusionibus scientiae mariologicae latet.

Ita in prima huius nostri operis editione. At, re maturius perpensa, ab hac nostra positione aliquatenus recedere coacti sumus. Putamus enim dari posse principium quoddam Mariologiae supremum et *simplex*. Huiusmodi autem principium hoc modo enunciari potest: *Maria est Mater universalis* (idest Mater Creatoris et Mater creaturarum, Mater Christi Homini-Dei, et Mystici corporis eius). Principium hoc nobis videtur *formaliter* unum et *virtualiter* complexum, quatenus nempe in maternitate universali omnes inclusi inveniuntur, sive Creator sive creaturae.

Quod B. Virgo sit *Mater Creatoris* est de fide. Quod sit etiam *mater creaturarum*, sive hominum sive Angelorum (saltem aliquo sensu et gradu) est communis theologorum sententia, fidei proxima, eo quod a magisterio Ecclesiae ordinario continuo docetur. Maria ergo est Mater universalis. En eius missio singularis, eius essentia, nec non ratio omnium privilegiorum eius, et ideo supremum Mariologiae principium. In hac idea «maternitatis universalis» (quae omnes complectitur, tum Creatorem tum creaturas) disparent, prout nobis videtur, apparentes discrepantiae quae in aliis sententiis inveniuntur eo quod partem tantummodo veritatis, non vero totam veritatem expriment. Universalis enim maternitas relate ad omnes (Creatorem et creaturas), est idea simplicissima. Quapropter iure loqui possumus de principio quodam simplici.

Universalis Mediatio nec non universalis Regalitas sunt duo veluti consecraria maternitatis universalis. Eo ipso enim quod B. Virgo est Mater sive Creatoris sive creaturarum, est veluti media inter Creatorem et creaturas, et qua talis dedit Creatori vitam humanam ad hoc ut creaturae reciperent vitam divinam seu vitam gratiae: angeli et protoparentes ante lapsum per viam simplicis *generationis* (per unionem partium, id est Creatoris et creaturae, *non coniunctarum*) et homines lapsi per viam *regenerationis* (per unionem partium a culpa originali disiunctarum). Mediatio igitur consecrarium videtur, potius quam principium, maternitatis universalis.

Idem dicendum videtur de universali Regalitate B. M. Virginis. Est enim et ipsa logicum consecrarium, prout suo loco dicemus, universalis maternitatis.

Supremum igitur mariologiae principium ita enunciari potest: «Maria est mater universalis». Missio ergo Mariae est *maternitas*.

II. DE QUIBUSDAM PRINCIPIIS SECUNDARIIS MARIOLOGIAE¹

Praeter principium supremum, a quo universa Mariologia derivatur, et in quo satis obscure veritates plures absconduntur, dantur in Mariologia, sicut et in qualibet alia scientia, imo sicut in aliis partibus scientiae Theologiae, quaedam alia principia in ipso supremo principio fundata, secundaria at magis explicita, ex quibus aliae veritates seu conclusiones rite deduci possunt. Sic, e. g., in Tractatu de SS. Trinitate celeberrimum evasit effatum illud Concilii Florentini: « Omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio » (DENZ.-BANW., n. 703); in Tractatu de Verbo Incarnato celebre est principium: « Quod semel Verbum assumpsit, numquam dimisit », vel « Verbum assumpsit omnes perfectiones quae cum fine Incarnationis non pugnant » etc. In Tractatu de Sacramentis: « Sacramenta efficiunt quod significant ». Etiam in Mariologia ergo, dari possunt et de facto dantur quaedam principia super quibus mariologicum aedificium bene extrui potest, si tamen intelligantur uti oportet. Sunt enim veluti semina scientiae marianae.

Haec autem principia secundaria in duplicem veluti classem dividi possunt, videlicet: in *universalia* et *particularia*.

1) - *De principiis secundariis universalibus*

Principia ista mariologica tria communiter ab auctoribus numerantur, videlicet: 1) *Principium convenientiae*, 2) *Principium eminentiae*, et 3) *Principium analogiae* seu similitudinis inter Iesum et Mariam.

At praeter haec tria principia a Theologis communiter considerata, puto quod aliud dari possit principium (post primum principium et ante omnia alia principia secundaria ponendum), quod *Principium singularitatis transcendentis* vocari potest quodque, implicite saltem, a Patribus et a Theologis traditur et saepe etiam fructuosissime adhibetur, et ideo in sua plena luce puto esse tandem aliquando ponendum.²

¹ Bibliographia: BLONDIAU, *Fondements théologiques de la Mariologie*, in *Mémoires et Rapports du Congrès Marial de Bruxelles*, Bruxelles, 1921, t. 1, pp. 120 sq.; DILLENCHNEIDER C., *La Mariologie de S. Alphonse de Liguori*, Sources et synthèse doctrinale, Freiburg, 1934, c. 13, pp. 196-209; DOUBLANCHY, art. *Marie*, in *Dict. VACANT*, coll. 2359 sq.; GIRERD F., *Principes directeurs de la théologie mariale*, in *Revue du clergé français*, t. 12 (1920), pp. 5 sq.; NEUBERT E., *Marie dans le dogme*, Paris, 1933, pp. 273-296; KEUPPENS J., *Mariologiae compendium*, 1938, pp. 14-19; TERRIEN J. B., S. I., *La Mère de Dieu*, vol. I, t. 3, cap. VI et VII.

² Nuper P. ELIAS A VIRGINE PERDOLENTE, C. P. (in *Estudios Marianos*, 3, 1944, p. 47) obiectiones quasdam contra principium singularitatis movebat, videlicet: 1) est parum directivum et ideo parum inservit; 2) in aliis principiis includitur, saltem relate ad id quod positivum habet.

Attamen nobis videtur P. Elias naturam et amplitudinem huius principii non bene per-

Si inter haec quatuor principia comparatio aliqua instituat, haec asserenda videtur: duo priora principia (i. e. principium singularitatis et principium convenientiae) sunt potius deductiva, a priori, magis absoluta et comprehensiva; dum alia duo principia (i. e. principium eminentiae et analogiae) sunt potius experimentalia et a posteriori, magis, forsan, directa, sed minoris comprehensionis.

De *Quatuor* ergo principiis particularibus est seorsim agendum, et de singulis tria, ex ordine, considerantur: 1) *natura*; 2) *fundamenta* et 3) *applicatio*.

1) De principio singularitatis transcendentis

1. **De natura principii singularitatis.** Ita enunciari potest: « Cum B. Virgo sit omnino *singularis*, omnia creata transcendens, et ordinem a se constituat, dotes et privilegia omnino singularia (quae aliis omnibus non conveniunt) sibi vindicat ».

Declaratio. Principium hoc ideam nobis exhibet quam de B. Virgine nos habere debemus, illam ab omnibus aliis, utpote omnes transcendens, separando. B. Virgo enim est quid omnino singulare, et ordinem a se, per seipsam, constituit omnia alia entia, praeter Deum et Christum, ineffabili ratione *transcendens*.

Ipsa enim ad ordinem hypostaticum, suo modo, pertinet,¹ « Cette formule — scribit P. Nicolas — me paraît apte à définir la place et le rôle de la Mère de Dieu dans le monde, en marquant le point précis par où elle participe à la grandeur du Verbe Incarné et à son œuvre » (l. c., p. 147).

2. **De fundamentis principii singularitatis.** Legimitas huius principii ex hoc patet quod fundatur 1) in ipsa S. Scriptura, 2) in Traditione, seu in continuis assertionibus, implicitis et etiam explicitis Patrum et Scriptorum Ecclesiae; 3) in magisterio ecclesiastico et 4) in ipso primo principio Mariologiae, a quo immediate deducitur et ad quod immediate reducitur.

1) *Fundatur in S. Scriptura:* In cantico enim *Magnificat*, B. Virgo de semetipsa iure optimo affirmare potuit: « Fecit mihi magna (*μεγαλεία* = eximia benefacta)² qui potens est (*ὁ δυνατός* = potentissimus) » (Luc. 1, 49). Verba

spexisse. Ad primam ergo obiectionem respondemus: ex principio singularitatis generice concludere possumus B. Virgini, ob suam singularem missionem, convenire privilegia omnino singularia: quod haud parum videtur. Quanam vero sint, in particulari, haec singularia privilegia, et quonam gradu B. Virgini competant, aliis particularibus principiis determinandum relinquatur.

Ad secundam obiectionem respondemus: principium singularitatis omnino distinguitur ab omnibus aliis Mariologiae principiis eo quod alia in concreto et in particulari determinant quanam sint privilegia illa singularia quae B. Virgini competunt.

¹ Cfr NICOLAS O. P., *L'appartenance de la Mère de Dieu à l'ordre hypostatique*, in *Bull. de la Soc. Franç. d'Etudes Mariales*, 1937, pp. 147-194.

² Cfr JOB, 11, 15; Act. 2, 11.

haec in ore Virginis posita, innuere videntur mensuram magnalium *gratiae* B. Virgini *collatarum* esse Dei potentiam ordinatam (non absolutam). Iure proinde scribebat Ioannes Barbiani (ex Salmanticensibus): « Unde non aliam privilegiorum ipsius mensuram nisi solam Dei potentiam assignamus ». ¹ Notatu digna est expositio S. Laurentii a Brundusio: « *Fecit mihi magna*. Graece est *megalìa* ² quo verbo Septuaginta Interpretes solent appellare *miracula*. ³ Ad quorum imitationem latinus interpres *miracula*, voce usus minime latina, appellare solet *magnalia*. Ait igitur Virgo: *fecit mihi magna*, idest miracula, mirabilia, divinae potentiae opera, nam ait: *Qui potens est...* Revera autem magna miracula operata est divina potentia in Virgine » (*Mariale*, Patavii, 1928, p. 269). Quapropter « Privilegia B. M. Virginis sunt immensurabilia » (BARTHOLOMAEUS DE LOS RIOS, in *Hierarchia Mariana*, Praef., Antuerpiae, 1641).

2) *Principium singularitatis fundatur insuper in Traditione Christiana* seu in affirmationibus sive *implicitis* sive etiam *explicitis* Patrum et Scriptorum Ecclesiae.

A) *Affirmatur IMPLICITATE*, et quidem sive formaliter (seu aliis verbis) sive virtualiter, hoc principium a Patribus et Scriptoribus Ecclesiae in illis omnibus dicendi modis quibus B. Virgo exhibetur: 1) tamquam aliquid res omnes incomparabiliter excedens; 2) ut quid quod aestimari non aliter debet ac prodigium, ineffabile miraculum, miraculorum miraculum, miraculorum abyssus; ⁴ 3) ut quid omnino singulare, novum, mirum, eximium, incredibile, supra naturae providentiaeque ordinem et morem singulariter evecta; 4) ut quid nativam intelligendi et loquendi facultatem excedens, menti et ori seu sermoni inaccessum et impervium. Iamvero haec omnia implicite significant B. Virginem esse quid ex se omnino *singulare*, omnia transcendens ac ordinem a se constituere, ideoque plura omnino singularia sibi iure vindicare.

Quaedam tantummodo effata, ad haec probanda, hic referimus.

S. EPHRAEM († 373): « Cherubim ac Seraphim sine ulla comparatione superior... » (Op. Omn., ed. Assemani, Romae, 1746, vol. 3, p. 528). « In te confido, quae sublimior es omnibus caelitibus potestatibus » (l. c., p. 526). « Supra omnem creaturam regali et prope divina dignitate collocata es » (Ed. cit. Assemani, vol. 3, p. 551). « Veluti secundas partes tenens post divinitatem » (l. c. p. 529) « Maior omni cogitatione et eloquio » (l. c. III, 537). « Il Cielo non è più sublime di te » (RICCIOTTI, *Inni alla Vergine*, Roma, 1925, p. 59). « Piccola è la mia bocca per narrare tutte le sue beatitudini nelle quali tutte è ammirabile (questa) beata » (l. c. p. 34).

S. PROCLUS († 446): « Nihil itaque in mundo huiusmodi est, qualis Dei Genitrix

¹ Apud CARDENAS, in op. « De infinita dignitate Matris Dei atque de eius gratia habituali infinita simpliciter » (p. 213).

² Cfr N. T. graece a P. M. HETZENAUER recognitum, Lc. 1, 49.

³ Cfr S. Bible Polyglotte par Vigouroux Dt. 10,21; 11, 2; Eccli. 17, 7; 18, 3; 42, 31; 2 Mach. 3, 34.

⁴ Cfr PASSAGLIA, *De Immaculato Deiparae Conceptu*, Neapoli, 1855, P. I., pp. 15-23.

Maria. Cunctas res creatas, o homo, cogitatione percurrere, et perspice num quidquam sanctae Virgini ac Dei genitrici Mariae aequale sit aut ipsa fortasse maius » (PG 65, 718). « Vide, num aliud *eiusmodi* miraculum in universis creatis invenire sit » (*Orat. V in sanctam et Deip. Mariam*, n. 2, apud Galland., t. 9, p. 830 C-D).

S. PETRUS CHRYSOLOGUS († c. 450): « Vere benedicta, quae fuit maior caelo, fortior terra, orbe latior; nam Deum quem mundus non capit, sola cepit. Portavit eum qui portat orbem, genuit genitorem suum, nutritivum omnium viventium nutritorem » (Sermo 144, *de Annuntiat.*, PL 52, 584)).

SEDULIUS CAELIUS (saec. v): « Cui (Virgini) nulla penitus aequalis femina reperitur, quae tuum decus similiter praecesserit, aut sequatur, sola placens singulariter Christo, nullo compararis exemplo » (*Paschale opus*, PL 19, 599).

BASILIUS SELEUCIENSIS († post 458): « Quae igitur lingua tam vocales, quae pro eius dignitate hymnos personet?... Quo laudum flore debitam illi plectemus coronam?... Quae digna satis in eam munere conferemus, cum infra eius dignitatem sint mundana omnia? » (PG 44, 185). « Ut enim non in facili est Deum nosse, aut eloqui,... sic magnum Deiparae sacramentum omni ratione celsius est et oratione » (l. c. 180).

S. ROMANUS MELODUS († c. 550), in Hymno Acahisto (quod ipsi iure tribuitur) ita singularem excellentiam Deiparae extollit: « Ave, humanis cogitationibus inaccessa altitudo, in ipsis Angelorum oculis invisibilis profunditas », « miraculorum Christi exordium », « Providentiae ipsius (Dei) promptuarium » (PG 92, 1305 ss.).

S. ANASTASIUS I, PATR. ANTIOCH. († 599): « Mater magni Dei ac Salvatoris N. I. C. quis loquatur potentias Domini?... Quae auris capere poterit? Quis sermo dignus invenietur eorum quae intelliguntur, interpret? » (Apud BOURASSÉ, *Summa Aurea*, t. 5, col. 1128).

S. MODESTUS PATR. HIEROSOLYMITANUS († 643): « Multiformis sapientiae sermo perplexus haesitat, ad miraculum pro dignitate laudandum, omnem intellectualis rationalisque creaturae superans cognitionem » (PG 86, 3277).

S. SOPHRONIUS EP. HIEROSOL. († 638): « Gaude, o spectaculum prae mirabilibus omnibus summe admirandum. Quisnam tuum eloqui splendorem poterit? Quisnam, portentum quod ipsa es, enarrare verbis audeat? Quisnam magnificentiam tuam effari se posse confidet?... » (*In SS. Deiparae Annuntiat.*, n. 18, PG 87, 3237).

« Tu hominum exornasti naturam; angelorum ordines superasti... tu denique omnem creaturam, longe transgressa es » (l. c., col. 3238). « ... Et merito quidem, nemo enim sicut tu (Maria), ad Deum tam prope accessit » (l. c. col. 3247).

S. GERMANUS CONSTANTINOPOLITANUS († 733): « (Mariam) omni visibili ac invisibili creatura superiorem arbitramur » (PG 98, 159). Et alibi: « Omnia tua Dei Genitrix, incredibilia miraque sunt, omnia naturam excedunt, omnia rationem potentiamque superant » (*Orat. in S. Mariae Zonam*, apud ALLATIUM, *De Tribus Simeonibus*, Pars II, p. 239). « Omnia tua *paradoxa*, omnia vera, omnia in idipsum iustificata, et omnia, o summe desiderabilis, dulciora super mel et favum » (*Serm. in Deip. Dormit.*, apud Nicodemum Monachum, p. 666). « Ipse quoque, o Deipara, te quae supra rationem et cogitatum mirabilia mirabilium possideas, audeo laudare » (Serm. I *in Dormit. Deip.*, apud COMBEFIS, *Auctar.*, p. 1446). « O quolibet miraculo maior, Maria! » (*In Praesent.*, I, PG 51, 153) « Sat tibi ad laudem, o admirabilis, quod non possimus dignis encomiis res tuas celebrare » (l. c. col. 174). « Deficit enim saeculum, si qui velint res tuas laudare » (*In Dormit. Deip.* III, l. c. col. 183).

S. ANDREAS EP. CRETENSIS († 740): « Uno excepto Deo, rebus omnibus excelsior » (Homil. 3. *In Dormit.*, PG 48, 1386). « Potest solus Deus pro meritis laudare, qui iis quibus novit ipse rationibus, mira illa opera in ea effecit » (*In Dormit.* II, l. c., col. 1381). « Quali voce, quibus sermonibus tua illa magnalia exornabimus?... Impleta est omnis terra gloria tua » (Homil. 3, *In Dormit.*, l. c., col. 1386). Asserit insuper omnia in Virgine mirabilia esse, ab initio usque ad finem.

S. IOANNES DAMASCENUS († 749): « (Maria), quae altitudine cherubicis turmis sublimior es et seraphicis agminibus excelsior » (PG 96, 647). Et alibi: « Hanc non hominum lingua, non angelorum mundo sublimior mens, sat dignis laudibus efferre potest... at infinitum Dei Servorum ac matris discrimen est » (l. c. col. 715). « Quamvis innumera quis de te dixerit, numquam tamen argumenti dignitatem assecutus erit » (Homil. 2, *In Nativ. B. M. V.*, PG 96, 690).

Explicans cur B. Virgo orta sit ex sterili, ait: « Plane quia oportebat, ut illi quod solum sub sole novum futurum erat ac miraculorum caput, via per prodigia sterneretur » (Homil. 1, *In Nativ. B. M. V.*, n. 10, col. 848-849).

S. TARASIVS PATR. CONSTANTIN. († 860): B. Virgo est « miraculorum abyssus » (PG 51, 615). Ipsa est « caeli terraeque magnificentissima celebritas » (l. c. col. 620), « veluti divinitus conscriptus liber magnalium Dei » (l. c. col. 615).

S. THEODORUS STUDITA († 826): « Ave Maria, quasi *Myria*, *infinita*, ob infinitam laudationum copiam » (PG 48, 80).

GEORGIUS EP. NICOMEDIENSIS (saec. IX): « Ego enim vero existimo,... *omnia*, sicut et futurum eius partum, *inusitata quadam* ratione fuisse *innovata* » (*Orat. VI de Deip. ingressu in Templum*, COMBEFIS, *Auctar.*, t. I, p. 1130 D). Et alibi: « Novum ac stupendum quod cernitur, nobisque ignotum. Videtur foemina mente nostra superior. Prae hac una insignia naturae nostrae dona deficiunt » (*Orat. 6, In ingressum Deip. in Templum*, apud COMBEFIS, *Auctar.*, t. I, p. 118 A). Et exclamat: « O spectaculum gratia plenum apparens! O terrenam naturam suas ipsius rationes supergressam! O quae citra comparisonem eiusdem modos superavit! » (l. c.).

IOANNES GEOMETRA (saec. X): « Salve, Virgo, magnum miraculum, magnum hominibus levamen. Salve, gaudii principium, salve maledictionis finis. Salve Virgo, magnum caelestibus quoque mentibus canticum, quae longe superas mentem omniumque hominum. Salve, Virgo, terribile visum, fulgidum, purissimum, suave et tremendum, quodque totum conspici nequit. Salve, Virgo, innumeris circumdata astris, tamquam luna splendens, luce praestantior. Salve, Virgo, quae lucem abscondis Seraphim, quemadmodum sol oriens sideream obtenebrat lucem. Salve naturae decus, factoris imago totam summi artificis artem exprimens » (*In Deip.*, hymn. 3, vv. 1-12, p. 440, D-E., in *App. ad Biblioth. graeco-lat.*, t. 3).

S. PETRUS DAMIANI († 107): « Attende, Seraphim, et in illius superioris naturae supervola dignitatem et videbis quidquid maius est, minus Virgine, solumque opificem opus istud supergredi » (PL 144, col. 738). Et alibi cecinit: « Te beatorum chorus angelorum — Te sacri vates et apostolorum — Ordo praelatam sibi cernit *unam post Deitatem* » (PL 145, 934). « Qualiter enim laudare poterit mortalis hominis transitorium verbum eam, quae illud de se protulit Verbum quod manet in aeternum? Quae lingua in eius laude invenietur idonea?... Cum vero B. Genitricis Dei laudes scribere volumus, quia nova et inaudita sunt, nulla invenimus verba, quibus ad haec exprimenda suffi-

cere valeamus. Tollit enim facultatem sermonis materia singularis » (Sermo 45, *In Nativ. V.* PL 144, 740-148). Et in serm. 46, *In Nativ. V.*: « Ad eius namque digne effe-
renda praeconia non rethoricorum diserta facundia, non dialecticorum subtilia argu-
menta, non acutissima philosophorum apta reperiuntur ingenia. Et quid mirum si
haec ineffabilis Virgo in suis laudibus mundum humanae vocis exsuperat, cum et ipsam
generis humani naturam excellentium meritorum dignitate transcendat? » (PL 144, 752).

S. ANSELMUS († 1109): « Femina mirabiliter singularis et singulariter mirabilis »
(*Or. 52*, PL 158, 955 C.). « Nihil est aequale Mariae; nihil nisi Deus maius Mariae »
(*Or. 52*, PL 158, 956 A.). « Post Deum singulariter sancta » (l. c. 953 A.).

EADMERUS CANT. († c. 1124): « Nihil tibi, Domina, aequale, nihil comparabile est;
omne enim quod est, aut supra te est aut subtus te est; quod supra te est, solus Deus est;
quod infra te est, omne est quod Deus non est » (De Conc. B. M. V., n. 14). Et alibi:
« Quamvis hoc solum de sancta Virgine praedicari quod Dei Mater est excedat omnem
altitudinem quae post Deum dici aut cogitari potest... » (PL 159, 559).

PSEUDO-BERNARDUS († 1153): « Gloriosa dicta sunt de te, Dei Genitrix. Adhuc locus est
tuae laudationi: adhuc in tuis laudibus omnis lingua balbutit. Non enim sunt loquelae
neque sermones in omni natione, quae sub caelo est, quibus amplitudo gloriae tuae ad
plenum valeat explicari » (*Sermo panegyri.*, n. 6, PL 184, 1013). Et in sermone dubiae
authent. legitur: « Tu es igitur ornamentum caelestis curiae, stupor angelorum, *tota*
unum inaeestimabile novum... » (PL 182, 1146). Tandem: « Ascendit plane supra huma-
num genus, ascendit usque ad Angelos, sed et ipsos quoque transcendit, et caelestem
supergrreditur creaturam ».

BERNARDUS: « Si linguae centum resonarent, oraque centum; — ferrea vox mihi,
nil, Maria, tibi dicere dignum — possum, stella maris quae Virgo beata vocaris ». Et
subdit: « O quam te memorem Virgo, quibus laudibus efferam? Elevata est magni-
ficentia tua super caelos, et super omnem terram gloria tua, ita ut nec in caelo invenia-
tur creatura, quae tuam digne laudare queat magnificentiam: nec in terra sit, quae gloriam
tuam exprimere valeat. Nemo enim nec in caelo nec in terra inventus est dignus aperire
librum praerogatarum tuarum, et digne solvere septem signacula eius. Viri divitia-
rum multi de civitate Domini virtutum miserunt manus suas ad haec fortia, et tamen
altitudinem divitiarum tuarum comprehendere non potuerunt, quia investigabiles viae
vitae et inscrutabilia universa. Conati sunt et non datum est ultra. Dum adhuc ordi-
rentur, succisi sunt. Quis enim loquetur potentias has Domini auditas faciet omnes
laudes eius? Et si digne nullus, quisque tamen pro viribus ». (In Antiph. *Salve Regina*,
Serm. 2, inter opp. S. Bernardi, PL 184, 1065).

PETRUS CELLENSIS († 1187): « Singularem et quodammodo inaeestimabili pene immedia-
te accedit ipsi Trinitati, ut, si ullo modo Trinitas illa quaternitatem externam admit-
teret, tu sola quaternitatem compleres, sed est Trinitas, nec aliquatenus ibi fieri potuit
ac potuerit quaternitas. Non ergo es una persona de Trinitate quae Deus est... nec
etiam quarta ad Trinitatem, quia quartum Trinitati ad aequalitatem nihil est. Quid
ergo es? Una et prima post Unitatem et Trinitatem, Mater eius cuius Pater est Deus
Pater, Mater eius de quo procedit sicut et a Patre, Spiritus Sanctus » (*De panibus*, PL
202, 1021).

S. BONAVENTURA († 1274): « fuit mater Dei, quo nihil nobilius cogitari potest...;
sic tantum habuit bonitatis dignitatem, quod nulla mulier amplius capere potuit. Si

enim omnes creaturae, quantumcumque ascenderent in gradibus nobilitatis, essent praesentes, omnes deberent reverentiam Matri Dei » (*In 1 Sent.*, d. 44, dub. 3) « Hoc enim in principio ponamus, quod quidquid laudis dicitur de Beata Maria, non hyperbolice dicitur, sed defective » (*Op.* 9-10, 693).

S. THOMAS Aquinas († 1274): « In B. Virgine debuit apparere omne illud quod perfectius fuit » (*IV S.*, d. 30-2-1 - coll. 1).

CONRADUS A SAXONIA († 1279): « Ipsa est qua maiorem Deus facere non posset. Maiorem mundum posset facere Deus, maius caelum posset facere Deus; maiorem matrem quam matrem Dei non posset facere Deus (*Speculum B. M. V.*, Quaracchi, 1904, lect. 10). « Ipsa singulariter Domini filia, Domini mater, Domini sponsa, Domini ancilla facta est » (*Ibid.*, t. 2, p. 131-134).

S. ALBERTUS MAGNUS († 1280): « Maria non cadit in numerum cum aliis, quia non est una de omnibus, sed una supra omnes » (*Mariale*, q. 90). « Immediate post esse Deum est esse Matrem Dei » (*Ibid.*, q. 140-141).

MATTHAEUS CANTACUZENUS († 1356): « *Terribilis ut castrorum acies ordinata*. Hoc est, supra omnem captum et rationem est in te omnium pulchritudinum ordinata compositio et concinna constitutio » (*In Cant. Cantic.*, 6, 3, p. 47. A-B, ed. Romae, 1624).

THEOPHANES EP. NICAENUS († 1381): « Illa omnes laudes simul, sicut et omnia quae sunt, absque comparatione superat » (*Sermo in SS. Deiparam*, editus a P. Jugie, 1935, p. 7).

S. BERNARDINUS SENENSIS († 1444): « ... quod femina conciperet et pareret Deum est et fuit miraculum. Oportuit enim, ut sic dicam, feminam elevari ad quamdam aequalitatem divinam per quamdam quasi infinitatem perfectionum et gratiarum, quam aequalitatem numquam creatura experta est » (*Serm. 5 De Nativ. Matris Dei*, c. 12, Ed. de la Haye, Lugduni, 1650, vol. 4, p. 97).

S. THOMAS A VILLANOVA († 1555): « Quantum potes, tantum auge; quantum vales, tantum adde; maior est ista Virgo, superior est Virgo ista » (*Concio II in festo Nativ. B. M. V.*, n. 8, Manilla, 1881). « Quis poterit respondere: Quae est ista? Etiamsi stellae vertantur in linguas et arenae maris in verba commutentur, non poterit dignitas Mariae pro merito explicari » (*Concio 5 in festo Assumpt. B. M. V.*).

S. LAURENTIUS A BRUNDUSIO († 1619): Variis mirisque modis in suo *Mariali*, singularem Virginis excellentiam extollit. B. Virgo « alter est mundus, non quidem parvus, sed mundus capiens Mundum ter maximum: Quem caeli capere non poterant tuo gremio contulisti » (*Mariale*, p. 135). Ipsa est mare magnum in quo flumina sapientiae, potentiae, sanctitatis (l. c. pp. 292, 293, 295, 296) et omnes fontes bonorum Dei influxerunt (*Ibid.*, p. 380). Ipsa est magna in omnibus (l. c. pp. 125, 267, 291, 292) compendium et thesaurus perfectionum Dei (l. c. pp. 8, 27, 28, 58, 91, 170, 351, 352, 368), quasi aequalis cum Deo (*Ibid.*, pp. 207, 208), divinum, ingens miraculum (l. c. pp. 10, 49, 276, 419, 442), imo cumulus miraculorum (l. c. pp. 10-15, 240, 289, 290, 295-297), opus mirabilissimum perfectissimumque inter omnia mirabilia opera Dei (l. c. pp. 594, 595). Deus omnipotentia, non legibus ordinariis cum ea agit (l. c. pp. 330, 477). Eius magnitudo intellectui creato incomprehensibilis est (l. c. pp. 167, 358, 376, 451, 579, 580). Ob haec omnia, B. Virgo a Deo, in suis operibus etiam perfectis laudandis valde parce, usque ad admirationem laudata fuit. « In hoc autem Psalmo bis legitur *selah*: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. Selah*. Et: *Dominus narrabit in scripturis populorum*:

Hic mater est ibi. Selah. Quasi dicat: O magnum mysterium, o ineffabile sacramentum, o rem infiniti stuporis, o miraculum divinum! Cum admiratione etiam Deus ipse Virginem laudare videtur et significare quod vix pro dignitate laudare eam possit; quoniam dignitas divinae maternitatis in Virgine prope infinita est, quam vere nec omnes simul Angeli capere possunt... Et eatenus dicitur quod vix potest Deus pro dignitate eam exprimere, quoniam infinitam hanc dignitatem creati omnes intellectus vix possunt capere » (l. c. pp. 375-76).

B) EXPLICITATE, *principium singularitatis enuntiarunt:*

S. BONAVENTURA: « Cum ergo (B. Virgo) sit supra omnes ordines, *per se constituit ordinem* (proprium) (*In II sent.*, dist. 9, quaest. 7; *Op. Omn.*, Quaracchi, vol. II, p. 253). Et alibi asserit quod per 12 praerogativas (a 12 stellis figuratas) intelligi possunt « *singularitates* collatae beatissimae Virgini, quibus super omnem aliam puram creaturam *singulariter* est coronata » (O. 9, 702 d); « maximum inest esse Matrem sanctissimi hominis et Dei: *in ordine enim supremo* sita est » (*Op.* 9, 706 c).

S. BERNARDINUS SENENSIS: « Certitudinaliter tenendum est quod ipsa sit super omnem puram creaturam in gloria exaltata tamquam per se implens et continens *unum integrum et totalem statum*, cui secundum rectam rationem altera persona congrue non potest addi quia ipse status ex sui ratione propter dignitatem incommunicabilem exigit unitatem » (*Serm. III, De glor. nomine Mariae*, a. 2, c. 1, ed. de la Haye, Lugduni, 1650, t. 4, p. 82).

Et alibi huius rei rationem indicat scribens: « Anima Christi et Christus in quantum homo, transcendit omnem ordinem purae creaturae, seu creatae naturae. Gradus autem matris conformis est ipsi homini Christo, cuius humanitatis in tantum transcendit omnem ordinem primae conditionis, quod est omnino extra et supra integritatem ordinis universi; propterea non potuit ab universo capi. Sed dignitas maternitatis Dei sic operi Incarnationis connexa est, quod omnino aliter non potuit dari ... Igitur huius maternitatis, atque maternae dignitatis ordo est supra totalem integritatem primi ordinis universi, et per consequens super totalem dignitatem et integritatem Angelicorum ordinum et hierarchiarum » (*Serm. III, a. 2, c. 1, ed. cit., vol. IV, pp. 82-83*).

SUAREZ: « Mysteria gratiae quae Deus in Virgine operatus est, non sunt ordinatis legibus metienda .. » (*In III Partem D. Thomae*, disp. III, sec. 5, n. 31; *Opera Omnia*, Parisiis, 1860, XIX, 44).

Card. DE BÉRULLE († 1629), in voto servitutis marianae, ita suam Mariologiam in synthesim redigit: « La Vierge est un univers qui a son centre et ses mouvements différents, un empire qui a ses lois et son état à part ». « Vous l'avez faite uniquement pour vous, o Trinité sainte! Vous l'avez faite comme un monde et un paradis à part, monde de grandeurs et paradis de délices pour le nouvel homme qui doit venir au monde ». « Vous l'avez fait comme un ciel nouveau et une terre nouvelle, terre qui ne porte que l'Homme-Dieu, et ciel qui ne con-

tient que lui, qui ne tourne qu'à l'entour de lui et n'agit que pour lui ». Ordo iste « suréminent à tous les ordres de la grâce et de la gloire », est « conjoint à l'ordre et à l'état de l'union hypostatique ». « Il a rapport aux personnes divines; car comme les anges sont disposés en hiérarchies qui regardent proprement la Divine Essence selon les perfections distinctes qui lui sont attribuées d'amour, de lumière, de puissance, etc... Ainsi, la Vierge, en son ordre et hiérarchie qu'elle remplit seule de sa grandeur, regarde et honore l'état et les propriétés des Personnes Divines, comme dépendantes de leurs propriétés personnelles » (*Œuvres complètes*, apud MIGNE, coll. 524-530).

Ven. IOANNES OLIER († 1657). Iuxta ipsum, B. Virgo est « miraculeuse même dans l'ordre miraculeux de la grâce » (*Vie intérieure de la très Sainte Vierge*).

BOSSUET († 1704): « Si tout est singulier en Marie, qui pourra croire qu'il n'y a rien eu de surnaturel en la conception de cette princesse et que ce soit le seul endroit de sa vie qui ne soit marqué par aucun miracle? » (BOSSUET, *Sermon pour la fête de la Conception*, in *Œuvres complètes*, Bar-le-Duc, 1870, 7, p. 398).

MALOU: « Marie est dans tous ses états une créature en qui tout est merveille, tout est prodige, tout est miracle, une créature pour qui la Providence a établi un ordre de choses à part » (*L'Immaculée Conception de la B. Vierge Marie*, Bruxelles, 1857, I, pp. 343-344).

P. LUD. A CASTROPLANIO: « ... la maternità divina è di un ordine suo proprio, indefinitivamente superiore a tutte le gerarchie degli esseri creati! » (*Maria nel consiglio dell'Eterno*, Napoli, 1902, vol. I, p. 342).

SEISDEDOS, S. I., « (Maria) forma Ella sola una jerarquía a parte, quiero decir, que no son unicamente los grados mas excelentes y delicados de hermosura divina los que en Ella reverberan de la sabiduria de Dios, es todo un nuevo caracter y rango esencial el que la distingue de todos los coros angélicos y jerarquias propias de cuantas creaturas existen » (*Ensayo de Teología popular mariana*, Madrid, 1921, p. 249).

POHLE-PREUSS, in op. « Mariology » (St. Louis, Mo., 1926, p. 16): « The Bl. Virgin Mary, as Mother of God, ranks high above all other creatures; in fact, she is in a category all her own, in as much as she embodies the most perfect type of created personality, just as the manhood of our Lord Jesus Christ represents the most perfect type of human nature ».

3) *Principium singularitatis fundatur in Magisterio Ecclesiastico.*

a) PIUS IX in Bulla *Ineffabilis Deus*, asserit quod « sola (B. Virgo) tota facta est domicilium universarum gratiarum, et quae, solo Deo excepto cunctis superior extitit... cui praedicandae caelestes et terrenae linguae minime sufficiunt ». Ipsa est « veluti ineffabile Dei miraculum, imo omnium miraculorum apex »; insuper, illam « tanto (Deus) prae ceteris universis est prosecutus amore, ut in illa una sibi propensissima voluntate complacuerit », et ideo illam « longe ante

omnes angelicos spiritus, cunctosque Sanctos caelestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta, mirifice cumulavit ».

b) LEO XIII asserit quod per divinam maternitatem Deus B. Virginem « in excelso dignitatis et gloriae fastigio collocavit » (*Augustissimae Virginis*, t. 5 p. 166). « Certe Matris Dei tam in excelso dignitas est, ut nihil fieri maius queat », cuius ratione « naturis creatis omnibus longissime Deipara antecellit » (*Quamquam pluries*, t. 2, pp. 252-254). Asserit insuper quod « gratiae copia » B. Virgo « longe cunctis hominum et angelorum ordinibus antecellit, Christo una omnino proxima » (*Encycl. Magnae Dei Matris*).

c) PIUS XI: « Ex divinae maternitatis dogmate, veluti ex arcanae scaturiginis fonte, *singularis* profluit Mariae gratia eiusque summa post Deum dignitas ... » (*Encycl. Lux veritatis*, 1931).

4) *Principium singularitatis fundatur, tandem, in ipso primo principio maternitatis divinae* a quo immediate deducitur. Ratione enim maternitatis divinae, B. Virgo ordinem a se constituit, utpote ad ordinem hypostaticum pertinet.

TRIPLEX enim est ORDO rerum, eo quod triplex est modus quo Deus creaturis sese communicat. « Tribus namque modis — scribit Caietanus — plus quam genere diversis Deus qui est ipsum summum bonum, intelligi potest communicare seipsum. *Primo* quasi naturaliter communicando seipsum. Et sic communicavit seipsum, universum creando, et conservando libere universum. *Secundo* supernaturaliter communicando seipsum. Et sic communicavit seipsum universo elevando omnes intellectuales et rationales substantias in consortium divinae naturae per gratiam... Tam excellentissimus autem est amor Summi Boni erga creaturam ut sat non fuerit illi communicare se secundum naturalem ordinem creaturae creando universum; nec etiam sat fuerit eidem communicare se creaturae elevando ipsam ad consortium divinae naturae; sed ad id unum quod reliquum erat et inexcogitabile elevavit creaturam, ad personalitatem scilicet divinam, quod ad *tertium* et supremum modum communicandi se spectat » (in III, q. I, a. 1, n. VII).

Triplex ergo est ordo rerum (ordo *naturalis*, ordo *supernaturalis* et ordo *hypostaticus*) eo quod quilibet ex hisce tribus modis communicationis divinae, fundamentum constituit unius ordinis realitatum, proprium unitatis principium inventientium in quodam modo recipiendi Deum et illum habendi tamquam finem. Cuilibet ex hoc triplici ordine, correspondet — iuxta nostrum intelligendi modum — speciale Dei Decretum nec non specialis Dei Providentia, videlicet: providentia naturalis, Providentia supernaturalis (seu praedestinatio Sanctorum ad gratiam et ad gloriam) et providentia — ut ita dicam — hypostatica (praedestinatio Verbi ad esse hominis, et Mariae ad esse Matris Dei).

Iamvero, B. Virgo simul cum Christo, quamvis modo diverso, ad ordinem hypostaticum — iuxta omnes — pertinet. Quomodo autem (utrum *intrinsece* et *per se* vel tantummodo *extrinsece et reductive*) disputatur inter Theologos. Nos

vero cum pluribus Theologis putamus B. Virginem *intrinsece* et *per se* ad ordinem hypostaticum pertinere, quamvis modo valde diverso a Christo.¹

Ordo enim hypostaticus comprehendit omnes realitates ad *unionem* hypostaticam seu ad communicationem personalem (quae est suprema communicatio Dei ad creaturas) *intrinsece* ordinatas.² Iamvero B. Virgo, ratione gratiae maternitatis Dei Mediatoris, est realitas quaedam ad *unionem* hypostaticam *intrinsece* ordinata. Maternitas enim divina ad humanitatem a Verbo in unitatem personae assumptam, et quidem ut assumptam, terminatur. Per suam enim Incarnationem in Virgine, persona divina facta est terminus et finis *intrinsecus* maternitatis humanae.³ Maternitas haec gratiam ordinis a se constituit. Quia vero tota ratio essendi Mariae a maternitate divina — iuxta aeternum praedestinationis decretum — derivatur, hinc sequitur quod ipsa persona B. M. V. in qua talis maternitas adimpletur, ad ordinem hypostaticum *intrinsece* pertinet. « Dieu — scribit acute P. Nicolas — finalise donc la Sainte Vierge non pas essentiellement en se donnant à elle comme objet de connaissance et d'amour, mais avant tout en tant que se donnant personnellement à l'humanité prise d'elle. C'est par là qu'elle prend part à cette communication personnelle; elle trouve là pourtant toute sa raison d'être et d'agir. Elle reste extrinsèque à la communication personnelle qui fonde l'Ordre Hypostatique, mais non pas certes à l'Ordre Hypostatique lui-même qui comprend toutes les réalités *intrinsece* ordonnées à la communication personnelle. Elle fait partie du Décret qui organise l'Incarnation et le Don du Verbe au monde » (l. c., p. 176).

Ratione huius rei (seu ratione pertinentiae B. M. Virginis ad ordinem hypostaticum), B. Virgo ab omnibus aliis creaturis omnino discernitur non quidem ratione gradus (in eodem ordine), sed *ratione ordinis*, et supra omnes in immensum extollitur. Infimum supremi ordinis — iuxta celebre effatum Dionysii — excedit supremum infimi ordinis. Ipsi proinde bene *ratio medii* inter duo extrema (i. e. inter Deum et homines), seu *mediatio ontologica* convenit, ideoque a Deo

¹ B. Virginem pertinuisse ad ordinem hypostaticum *indirecte* seu reductive et *extrinsece*, tenuerunt NAZARIUS (In 3, q. a. 5, 3^a Controversia), SALMANTICENSIS (*De Incarnatione*, t. 1, Disp. 4, dub. 3, n. 76), IOANNES A S. THOMA (*De Incarnatione*, disp. 2, a. 1, n. 24; Disp. 10, n. 20) etc.

² Bene notetur *conceptus ordinis*. Ordo, ex sese, *plures* realitates *intrinsece* differentes expostulat, qui dependent, titulo diverso, ab *eodem principio* a quo ad unitatem rediguntur. Notio ordinis plene verificatur in dominio causarum finalium (causa enim finalis est *causa causarum*, regina causarum), et praesertim in *finalitate divina*, respectu *communicationis* magis magisque intimae divinatis. Hoc posito quaelibet ex *tribus* diversis communicationibus divinis erit fundamentum peculiaris ordinis realitatum qui proprium principium unitatis inveniet in diverso modo recipiendi Deum illumque pro fine habendi. (Cfr NICOLAS, l. c., pp. 159-160).

³ Animadverti potest quod humanitas Christi et maternitas Virginis *relationem directam* dicunt, quamvis diversimode, ad eundem *terminum*, seu ad personam divinam Verbi: humanitas Christi dicit relationem unionis, dum maternitas Virginis dicit relationem originis, ob intimum nexum cum humanitate a Verbo (ab ipsa Virgine) assumpta et quidem ut assumpta.

ad officium *Mediatricis* (cum Christo) inter Deum et homines assumi potuit. Cum igitur B. Virgo sit omnino singularis, privilegia omnino singularia sibi vindicare debet. Aliquid ergo quod singulare et extraordinarium esset pro aliis, non est singulare et extraordinarium pro B. Virgine. Ex hoc igitur quod privilegium aliquod sit singulare et extraordinarium, difficultas sumi nequit ad illud B. Virgini denegandum, cum illi plura quae pro nobis singularia et extraordinaria essent, omnino ordinaria esse debent.

3. **De applicatione principii singularitatis.** Principium hoc, quod immediate ex primo principio derivatur, in suis applicationibus fecundissimum est. Etenim ex hoc quod B. Virgo ordinem a se constituit et ideo omnino singularis sit, ab omnibus aliis distingui omnino debet, 1) sive in *praedestinatione* sive, consequenter, 2) in *privilegiis* in ordine naturae, gratiae et gloriae.

1) Distingui debet ab omnibus aliis in PRAEDESTINATIONE, seu in praedestinatione illa, ab aeterno a Deo facta, de his quae per gratiam fieri debent in tempore. Jamvero praedestinatio Deiparae, a praedestinatione omnium aliorum, dupliciter, de facto, distinguitur, videlicet a) quoad terminum et b) quoad extensionem: a) quoad *terminum*: dum enim praedestinatio omnium aliorum ordinatur (tamquam ad terminum) ad supernaturalem cum Deo coniunctionem *secundum operationem* (i. e. ad visionem Dei intuitivam), praedestinatio B. M. V. directe ordinata fuit ad supernaturalem cum Deo coniunctionem *secundum esse* (i. e. ad *divinam maternitatem*, quae ad ordinem hypostaticum intrinsece pertinet), et consequenter ad tantam gratiam et gloriam; b) Praedestinatio B. M. V. differt etiam a praedestinatione omnium aliorum *quoad extensionem*: dum enim in nobis *quaedam* tantummodo sunt *effectus* praedestinationis (e. g. gratia, gloria) et ideo non ad omnia (e. g. existentia, facultates animae etc. quae a communi providentia dependent) praedestinatio se extendit; in B. Virgine, e contra, omnia (i. e. sive gratia et gloria, sive ipsa existentia et facultates animae) sunt effectus praedestinationis, quae proinde ad *omnia* se extendit (eo quod B. Virgo nec *extitisset* si Mater Dei esse non debuisset).

Ratione huius specialis praedestinationis, B. Virgo plus quam cuncti alii *simul* a Deo dilecta fuit, et ideo plusquam cuncti alii simul a Deo donis cumulata fuit.

2) B. Virgo insuper, ratione principii singularitatis, ab omnibus aliis distingui debet in PRIVILEGIIS naturae, gratiae et gloriae, nec non in *cultu* ipsi exhibendo.

Et revera, quot singularia, extraordinaria fuerunt B. Virgini, et ipsi tantum, iugiter concessa, a) in initio, b) in medio et c) in fine vitae; a) *in initio*: sic, ipsa tantum, e. g. fuit immaculate concepta, seu modo singulari (per redemptionem praeservativam) a Christo redempta; b) *in medio*: ipsa enim, peperit sine dolore, fuit virgo simul et mater, redempta simul et corredemptrix; c) *in fine*: ipsi enim collata est anticipata corporis resurrectio et glorificatio. Haec omnia extraordinaria sunt pro omnibus aliis, non vero pro B. Virgine. In ipsa enim extraor-

dinarium fit veluti ordinarium. « Nous remarquons... en elle une dispense pres- que générale de toutes les lois », iure animadvertit Bossuet (*I Serm. sur la Con- cept. de la S.te Vierge*, 1^{er} point). Posita igitur hac singularitate, nil mirum si Ecclesia singularem omnino cultum (i. e. *hyperduliae*) ipsi decernat. Ex hoc igitur quod B. Virgo in ordine omnino singulari et extraordinario collocata est, singularia et extraordinaria privilegia iure sibi vindicat. Consequenter, ex hoc quod privilegium aliquod sit singulare et extraordinarium, minime sequitur Ipsi statim a priori negandum esse. Si vero ad hanc rationem pro privilegio aliquo extraordinario aliae etiam rationes validae accedunt, et praesertim *pius fidelium sensus*,¹ ad certitudinem etiam qui pertingere potest.

Haberetur tamen excessus in applicatione huius principii si quis ita ratio- cinaretur: hoc est extraordinarium; ergo est B. Virgini tribuendum. Non omnia enim in B. Virgine singularia inveniuntur, cum plura habeat nobiscum com- munia.

¹ Quaedam hic notentur circa *sensum fidelium* quod haud parvam partem habet ad veri- tates *explicitiores* reddendas.

Sensus fidelium nihil aliud est nisi experimentalis, supernaturalis cognitio quae habetur in communitate christiana (seu in Ecclesia discente) relate ad veritates *implicite* contentas in *deposito fidei*, antequam veritates istae ab Ecclesia docente tamquam fidei dogmata definian- tur. Magisterium Ecclesiasticum praeesit sive origini (deponendo in campo Ecclesiae semen vitae), sive evolutioni huius sensus fidelium.

Non est igitur confundendus cum experientia religiosa Modernistarum aut cum subiec- tivismo protestantico aut cum methodo immanentiae Blondelliano et Laberthonnieriano.

Cum huiusmodi sensu fidelium *universam Ecclesiam* credentem pervaserit, valorem vere theologicum acquirit, eo quod tunc a traditione actuali et vivente Ecclesiae non amplius distin- guitur. Talis est, e. g., hodie sensus fidelium circa Assumptionem corpoream B. M. V. Iure animadvertit Valentia: « Est in definitionibus fidei habenda ratio consensus fidelium, quoniam et ii, sane, quatenus ex iis constat Ecclesia, sic Spiritu Sancto assistente, divinas revelationes ita pure conservant, ut omnes illi quidem oberrare non possint » (*De Fide*, lib. 8, cap. 9). Sensus Christianus in Ecclesia est veluti « la respiration du Christ » (ADAM K., *Das Wesen des Katho- lizismus*, Dusseldorf, 1928, p. 167). Iure S. Paulinus Nolanus scribebat: « De omnium fide- lium ore pendeamus quia in omnem fidelem Spiritus Dei spirat » (Epist. 23, n. 36, PL 61, 230).

Iamvero sensus fidelium in Mariologia magnas sane partes habuit. « Le *sensus fidelium* — scribit Dillenschneider — supplée bien de fois en mariologie aux déficiences de l'argument théologique spéculatif. Quant aux vérités mariales que le raisonnement du théologien par- vient à expliciter rigoureusement du donné révélé, le sens chrétien universel leur apporte un concours précieux, parce qu'il proclame ces conclusions assimilées par la raison commune des croyants et dignes d'être retenues par le magistère pour une définition dogmatique » (o. c., p. 38). Sufficit recolere partem a pio sensu fidelium habitam in dogmate de Immaculata Conceptione. « Il est des vérités, — dicebat Bossuet — qui jettent au premier aspect un certain éclat dans les âmes, qui fait que souvent on les aime avant même de les connaître... Je ne sais quel instinct me pousse à vous assurer que cette Conception est sans tache » (*Sermon sur la Con- ception de la Vierge*, in *Œuvres complètes*, Paris, 1868, t. 7, pp. 39-40. « Il était — adiungit Dillenschneider — l'écho fidèle de toute la conscience chrétienne » (o. c., p. 37).

In applicatione igitur huius principii, bene attendendum est « ad fixum et determinatum modum EX FINE ad quem res ordinatur, commensuratum: qui finis, a divina sapientia praefixus, est ratio omnium eorum quae ad rem illam quoquo modo pertinent. Quapropter, cum quis Deiparae privilegiis investigandis incubuerit, non a priori quid de illis tenendum sit decernat, sed prius attento fine propter quem a Deo constituta est: ut prius ratio investigetur propter quam istis perfectionibus a Deo illa fuerit donata, qua habita, utique exaggerentur, quantum fas sit huiusmodi perfectiones: quod et de Christo Domino proportionaliter dicendum est. At, si quis investigandis rebus theologicis de Christo et de Maria hoc proprie criterio sese duci voluerit quod de istis sanctissimis personis, quas toto nos amore prosequi oportet, numquam sufficientia dici possunt, ei similis dicendus erit qui navi sine gubernaculo, immenso semet oceano commiserit, cui miserandum naufragium certissime imminet » (Card. LÉPICIER, *De Maria numquam satis*, Romae, 1905, p. 15).¹

2) De principio convenientiae

I. De natura principii convenientiae. Variis modis, plus minusve substantialiter identicis, propositum fuit, saeculorum decursu, a variis scriptoribus. Forma vero magis completa haec esse nobis videtur:

« Beatae Virgini illae omnes perfectiones tribuendae sunt quae dignitati Matris Creatoris et Mediatrix creaturarum reapse conveniunt, dummodo non sint fidei, doctrinae Ecclesiae aut rationi contrariae ».

¹ Iuverit hic sensum determinare illius notissimi effati: « *De Maria numquam satis* », quo quidam in theologia mariana pertractanda haud semel abutuntur, quoque criterio seu principio ducti scriptores quidam saeculorum XVI et XVII praesertim, vaga multa et peregrina, aliquando vero ridicula protulerunt. — Effatum illud intelligendum est de *Maria ut Matre Dei, qua tali*, cuius excellentia dignitatis, utpote intellectum nostrum excedens (cum quamdam infinitatem habeat ex bono infinito quod est Deus), numquam satis a nobis laudatur. — Quapropter B. Virgini illa omnia privilegia tribuenda sunt quae ipsi, ut dignae Matri Dei, competunt, quaeque, consequenter, et numero et qualitate privilegia omnium aliorum in immensum, improportionaliter excedunt, et ideo numquam satis laudantur. Ex hoc tamen minime sequitur attribuendas esse B. Virgini omnes perfectiones *possibiles, absque ullis limitibus*, illas etiam quae statui et muneri (i. e. *fini* ad quem B. Virgo ordinata est) non conveniunt (e. g. perfectiones *naturae* angelicae, status termini, sexus masculini etc.). Unde iure S. BONAVENTURA, scribebat: « Sufficiunt Virgini illae dignitates quas sibi Filius communicavit et dedit, in quibus excellit omnes humanas laudes et devotiones, et ideo non oportet novos honores configere ad honorem Virginis, quae non indiget nostro mendacio, quae tantum plena [est] [veritate] » (III Sent., d. 3, p. 1, a. 1, q. 2, ad 3). « Si perfectioni Virginis nulli limites assignandi essent, B. Virgo nec existere posset cum data qualibet mensura in quantitate creata, alia maior semper possibilis evadat: unde si Deus Mariam debuisset gratis et privilegiis exornare maiori quo absolute fieri potuisset modo, numquam sistere in determinata mensura potuisset, et sic nec possibilis quidem talis creatura foret » (Card. LÉPICIER, *De Maria numquam satis*, p. 15).

Hoc principium convenientiae confundi non debet cum *principio*, *haud probando*, *possibilitatis* simpliciter, quod ita enunciari potest: «Deus *potuit* conferre Virgini quaedam privilegia: *ergo contulit*». Etenim, prout animadverit Gerson¹ «Christus potuit dare multas gratias humanitati suae et dilectissimae Matri, pure gratis, quas tamen actualiter et de facto non dedit. Et oppositum asserere est falsum et temerarium, imo haereticale» (*Epistula Cancellarii Parisiensis de susceptione humanitatis Christi allegorica et tropologica, Opera*, Parisiis, 1605, t. 1, col. 454).² Et ratio est quia plura quae fieri possunt de potentia Dei *absoluta*, fieri nequeunt de potentia Dei *ordinata*. Principium igitur solius *possibilitatis* in determinandis privilegiis marianis adhiberi non potest, ne Mariologia irrisionibus incredulorum exponatur. Agitur ergo de privilegio aliquo:

1. Quod *convenit* Virgini et quidem, aut ratione sui aut ratione Filii,³
2. Quod non sit contrarium fidei, aut doctrinae Ecclesiae aut rationi.

¹ Eadem animadvertunt PETAVIUS (*De Incarnatione*, l. 14, c. I, 9 sq. Anvers, 1700, t. 6, p. 236) contra hoc argumentum «quo plerique solent uti» et THEOPHILUS RAINAUDUS (*Diptycha Mariana*, cautio 1, 5 sq., opera t. 7, pp. 12 sq.).

² Ita, e. g. scripsit KOCHANOWSKI, O. F. M.: «Quod Deus potuit facere Christo, de facto fecit; prout Doctor Subtilis infert... Igitur (ego addo) si etiam idem potuit facere Virgini Matri Christi, de facto fecit, quia et hoc recta ratione melius occurrit, et magis manifestatur summa misericordia Dei» (*Novus asserendae Immaculatae Conc. Deip. Virg. modus*, Casimirae ad Cracoviam, 1669, 157, 217, 219). Nostris etiam diebus Canonicus Lahitton proposuit tamquam principium optimum, veram regulam auream admirabilem ac securam, subsequens principium, ex S. Thoma, prout ipse asserit, deductum: «Credendum Mariae collatum esse *quidquid conferri potuerit*» (I. LAHITTON, *Theologiae dogmaticae theses*, t. 3, Paris, 1932, pp. 8, 10, 12). At iure contra ipsum haec animadvertit cl. DILENSCHNEIDER: (o. c., pp. 196-199). «Ce texte est tiré du III^me Livre des Sentences, q. 1, a. 1, object. 1. Si l'on se réfère au contexte, on constate aisément que saint Thomas est loin de proposer ce canon absolu comme «une règle d'or» de la mariologie. Il ne le fait pas sien tel quel. Il le cite dans la première objection qu'il formule en faveur de l'Immaculée Conception. C'est donc dans la réponse à l'objection qu'il faut chercher la portée qu'il lui accorde. Or, précisément, dans cette réponse, il limite sagement la signification de l'adage en question. «Sanctificatio parentum in beatam Virginem transfundi non potuit, nisi curatum esset in eis non solum id quod personae est, sed etiam id quod est naturae in quantum huiusmodi», et il poursuit: «quod quidem Deus *facere potuit, sed non decuit*. Perfecta enim naturae curatio ad perfectionem gloriae pertinet». — Ibid. quaestiuncula 3, ad primam quaest. ... — Donc, dans sa pensée, l'axiome susdit devrait être complété comme suit: «Credendum Mariae collatum esse quidquid conferri potuerit et decuerit». Sans doute, saint Thomas dit ailleurs, qu'«il convenait à Dieu de communiquer son bien à d'autres, par manière de ressemblance, autant qu'il est possible» (l. q. 19, a. 2). Mais tous les commentateurs disent, avec Cajétan, que ce «secundum quod possibile est», a besoin de n'être pas compris de travers. Sans doute, Dieu ne peut répandre ses bienfaits sur les créatures que pour autant que ces créatures sont susceptibles de les recevoir. Mais il n'est pas dit qu'il départit à la créature tout ce qu'elle est susceptible de recevoir, ni non plus tout ce qu'il est en mesure de lui donner. Cfr SERTILLANGES, *Saint Thomas d'Aquin: Somme théologique: Dieu* (traduction française), t. 3, Paris, 1926, p. 307».

³ Dico etiam *ratione Filii*, eo quod quaedam quae Virgini ratione sui non convenirent, conveniunt Ei ratione Filii, iuxta illud Auctoris Sermonis *De Assumpt. B. M. V.* (Lib. un.,

2. De fundamento principii convenientiae. Principium hoc fundatur:

1) in **S. Scriptura** tum in Veteri Testamento, tum praesertim in Novo Testamento, videmus Deum instrumentis a se electis, ea omnia tribuere quae missioni ipsis concreditae conveniunt. Hoc fecit, speciali modo, cum Apostolis et Prophetis (2 Cor., 3, 6). S. Thomas Aquinas, commentans textum 2 Cor., 3, 6, « *idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti* », haec scribit: « Non solum fecit nos ministros sed *idoneos*. Deus enim cuilibet rei dat ea per quae possit consequi perfectionem suae naturae. Unde, quia Deus constituit ministros N. T., dedit etiam eis idoneitatem ad hoc officium exercendum, nisi sit impedimentum ex parte recipientium » (*In Ep. II ad Cor.*, c. 3, l. 2). Et in *Summa Th.* statuebat hoc principium: « Illos quos Deus ad aliquid eligit, ita praeparat et disponit, ut ad id ad quod eliguntur inveniantur idonei » (III, 27, 3). Si cum omnibus ita Deus agit, a fortiori ergo, hoc fecit cum B. Virgine Matre sua et Mediatrix nostra. En ergo ratio cur quaedam privilegia de B. Virgine affirmantur: haec enim omnia Matri Dei et Mediatrixi nostrae maxime convenientia erant.

Esset enim contra sapientiam et potentiam Dei, et praesertim contra filialem amorem eiusdem, supponere ipsum Matri suae non dedisse omnes gratias omniaque privilegia, tantae dignitatis convenientia.

2) *Principium convenientiae fundatur in doctrina Patrum et Scriptorum.*

S. AMBROSIVS: « Sed nec Maria minor, quam Matrem Christi decebat » (*Ep. 63 Ad Eccl. Vercell.*, n. 110; P L 16, 1218).

S. ANSELMVS: « Decens erat ut ea puritate qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret cui Deus Pater unicum suum Filium, quem de corde suo aequalem sibi genitum, tamquam seipsum diligebat, ita disponebat, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius; et quam ipse Filius substantialiter facere sibi matrem, eligebat; et de qua Spiritus Sanctus volebat et operaturus erat, ut conciperetur et nasceretur ille de quo ipse proce-

c. 2, inter Opp. S. August., PL 40, 114): « *Si non Mariae, congruit tamen Filio quem genuit* ». Circa quae verba opportune animadvertit P. Terrien: « Qu'il serait à souhaiter que ceux qui craignent tant l'exagération dans les louanges de la Sainte Vierge méditassent attentivement cette parole: *Congruit filio quem genuit*: ils y trouveraient la solution de tous leurs doutes et de toutes leurs difficultés. Etre conçu sans péché originel, ce privilège ne convient pas à Marie, considérée en elle-même, mais il convient au fils qu'elle a mis au monde, et par suite à la Mère du Créateur. Etre mère et vierge tout ensemble, monter droit au ciel en corps et en âme, sans passer par la corruption du sépulcre, c'est ce qui ne convient pas à Marie, fille d'Adam le pécheur *non congruit Mariae*; mais c'est de convenance pour le fils qu'elle a enfanté, *congruit filio, quem genuit*, et par lui pour sa mère. Et cette réponse on peut la faire, et nos docteurs l'ont faite toutes les fois qu'il s'agissait de défendre ou d'établir les plus étonnants privilèges de Marie. Si longtemps que vous la regarderez des mêmes yeux que vous regardez les autres saints de la terre ou du ciel, vous pourrez craindre l'excès dans sa louange; mais sitôt que, tournant les yeux vers son fils, vous verrez en elle la mère de votre Dieu, aucune prérogative de grâce et de gloire ne vous paraîtra trop haute pour elle, et vous ne lui refuserez rien de ce qui peut contribuer à la relever au-dessus de toutes vos conceptions ».

debat » (*De conc. Virg.*, c. 18, P L 158, 451). Idem repetitur a RICHARDO A S. VICTORE in *De Emmanuele*, lib. 2, c. 26, P L 196, 660.

S. BERNARDUS: « Factor hominum ut homo fieret nasciturus de homine, talem sibi ex omnibus debuit deligere matrem immo condere Matrem, qualem et *se decere* sciebat, et sibi noverat placituram » (Hom. 2 *Super Missus est*, P L 183, 61).

S. BONAVENTURA: « Beata Virgo Maria ... prae sua nimia humilitate et benignitate idonea erat ut efficeretur Mater Dei » (*In III Sent.*, d. 4-2-2).

S. THOMAS: « In B. V. debuit apparere id omne quod perfectius fuit » (*III Sent.*, d. 30-2-1, sol. 1).

SCOTUS: « Si auctoritati Ecclesiae vel auctoritati Scripturae non repugnet, videtur probabile quod excellentius est attribuere Mariae » (*Op. Oxon.*, I, III, d. 3, q. 1, BALIC C., *Ioannis Duns Scoti Theologiae Marianae elementa*, Sibenici, 1933, 31).

DIONYSIUS CARTHUSIANUS: « Certissime itaque lucet id divinitus Mariae collatum, quidquid veri Dei Genitricem decebat » (*De praeconio et dignitate Mariae*, lib. I, art. VIII, p. 483, Opera, t. 35, Tornaci, 1908).

S. BERNARDINUS SENENSIS: « Certum est quod Deus talem condidit matrem qualem eam decebat habere suam gloriosissimam maiestatem » (*Sermo de Assumpt. B. V.*, *Sermo de exaltatione B. Virginis*, art. 1, cap. 4. S. BERNARDINI SENENSIS *Sermones*, ed. Venetiis, 1745, IV, 119, 127).

IOANNES DE CARDENAS: « Quando non repugnat Sacrae Scripturae neque principiis fidei, totum illud in ordine gratiae concedendum est B. Virgini quod Deus potest ei tribuere et ipsa potest recipere quodque eius dignitatem decet ». Affirmat insuper quod haec est « regula qua Patres et theologi utuntur ad probanda singularia gratiae privilegia quae de B. Virgine asseruntur » (*Geminum sidus diadematis*, Lugduni, 1673, pp. 209-210). Affert testimonia Alphonsi Salmeron, Ludovici de Ponte etc. *Ibid.*, 213) et IOANNIS BARBIANI, ex Salmanticensibus, qui scripsit: « Conferri ei (B. Virgini) decuisse quidquid ei conferri potuit, nisi ex adverso manifesta probetur indecentia, quasi per se notum accipimus » (*ibid.*, 213).

NOVATUS, principium convenientiae ita proposuit: « In investigandis donis et excellentiis Deiparae saepissime nulla alia ratio reddi potest, nisi quod Deus *potuit* talem gratiam illi conferre, et *conveniens* erat ut illam conferret; ergo de facto illam contulisse asserendum: quod valde notandum est » (*De Eminentia Deiparae*, t. 1, p. 226, Bononiae 1639).

S. ALPHONSUS M. DE LIGORIO: « Quando una sentenza è in qualche modo onorevole alla santa Vergine ed ha qualche fondamento e non ripugna nè alla fede, nè ai decreti della Chiesa, nè alla verità, il non tenerla e contraddirla, a cagione che la sentenza contraria anche può esser vera, dinota poca divozione alla Madre di Dio » (*Le Glorie di Maria*, Torino 1934, 1f, cap. 5, 205).

Idem plus minusve asserunt ZAMORO († 1649) in op. *De eminentissima Deiparae Virginis perfectione*, l. 1, c. 4, Venetiis, 1679, p. 15; CHRISTOPHORUS DE VEGA, in op. *Theologia Mariana*, t. 1, pp. 378 sq.); KRISPER, in op. *Theologia scholae scotisticae*, Aug. Vindel. 1635, 54, 57; BOURDALOUE, in sermone de devotione erga B. Virginem; SEDLMAYR, in *Scholastica Mariana* (in *Summa Aurea*, t. 7, coll. 1017 sq., 1022 sq.); CAROLUS DEL MORAL, in op. *Fons illimis Theologiae Scoticae Mariana* (Matriti, 1730, 1, 2); DE RHODES G., (*Disputationes theol. schol.*, tr. 8, disp. unica, q. 1); SALAZAR F., (*Pro Immaculata Deiparae Virginis Conceptione Defensio*, Compluti, 1628, 29), etc...¹

3) *Principium convenientiae in Magisterio ecclesiastico fundatur*. Ita enim effertur a Pio IX in Bulla dogmatica *Ineffabilis Deus*: *Ineffabilis Deus... ab initio et ante saecula Unigenito Filio suo Matrem... ita elegit atque ordinavit, ut in illa una sibi propensissima voluntate complacuerit. Quapropter illam longe ante omnes angelicos Spiritus, cunctosque Sanctos caelestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta, ita mirifice cumulavit, ut ipsa ab omni prorsus peccati labe semper libera, ac tota pulchra et perfecta eam inno-*

¹ Principium convenientiae frequentissime adhibitum fuit a Patribus et Scriptoribus ad varias conclusiones probandas. En quaedam exempla:

1) Immaculatam Conceptionem ex principio convenientiae (quamvis non ex ipso solo) propugnarunt, inter alios, PS.-ANSELMUS (*De Conc. B. M. V.*, PL 159, 301 sq.); THOMAS DE ARGENTINA (In 3, Dist. 3, q. 1, n. 1); DIONYSIUS CARTHUSIANUS (*De Laud. Virg.*, l. 1); NICOLAUS A S. ALBANO (Ep. 172 inter epp. Petri Cellensis); GERSONIUS (*Serm. de Nativ. B. M. V.*, in Conc. Constant., Opp. 3, 1349); SALMERON (Comment. in *Hist. Evang.*, tr. 12, m. p. 113, Col. Agripp.); SUAREZ (*De Myst. Christi*, D. 3, l. 5, § 12 etc.) etc. Cfr TERRIEN, l. c., pp. 318-321.

2) Christum, statim post resurrectionem apparuisse Matri suae, ex principio convenientiae deducunt TOLETUS (Comment. in *Ioan.*, c. 20); MALDONATUS (Comment. in 4 *Evang.* ad c. 28 *Matth.*); BARONIUS (*Ann. eccl.*, ad a. 34, § 183); SUAREZ (*De Myst. vitae Christi*, D. 49, sol. 1); RUPERTUS ABBAS (l. 7, *de div. offic.*, c. 25, PL 170, 306); BARTHOLOMAEUS TRIDENTINUS (*Vitae et actus SS.*, c. 56, in *fest. Resurr.*); S. AMIDEUS LAUSANNENSIS, (*Hom. de B. V.*, hom. 6); S. BERNARDINUS SENENSIS (*Quadrag.* 1, Dom. in *Resurr.*, serm. 52, a. 3, c. 3, 2 Opp. ed. Lugd., p. 310 sq.); GEORGIUS NICOMEDIENSIS (Or. 9, PG 100, 1500); EADMERUS (*De Excell. Virg. Mar.*, c. 6, PL 159, 568).

3) Summam puritatem B. Virginis ex principio convenientiae arguit Auctor serm. *de Assumpt.* (in *Mantissa S. Hieronymi*, n. 8, PL 30, 129); S. CYRILLUS Hieros. (*Catech.*, 12, n. 25, PG 33, 757); S. GREGORIUS NYSSENUS (Or. in *Christi nativ.* (spur.) PG 34, 1636); et S. ANSELMUS (*de Concept. Virg.*, c. 18, PL 158, 451).

4) *Assumptionem B. M. V.* ex eodem principio deducit Auctor *Sermonis de Assumpt. B. M. V.* (Lib. un., c. 2, inter opp. S. August., PL 40, 1144) etc.

Continuus est igitur, usus principii convenientiae apud scriptores marianos. Iure igitur meritoque TERRIEN scribebat: « Rien de plus commun que l'usage de cette règle (de convenue) chez les auteurs des plus graves, et j'ajoute aussi, rien de mieux fondé » (l. c., p. 318). Et alibi: « Parcourez avec attention les écrits des Saints et des Pères, et vous serez étonnés de voir avec quel ensemble ils s'appuient sur cet argument de convenue » (l. c., p. 325). Quae omnia aperte ostendunt levitatem horum verborum P. Leloir: « De quelle Tradition peut-il se réclamer? ... On trouvera quelques textes, peu clairs d'ailleurs et fort tardifs, dans LAURENT JANSSENS » (*La Médiation Mariale*, pp. 89-90).

centiae et sanctitatis plenitudinem prae se ferret, qua maior sub Deo nullatenus intelligitur, et quam praeter Deum nemo assequi cogitando potest. Et quidem *decebat* omnino ut perfectissimae sanctitatis splendoribus semper ornata fulgeret... tam venerabilis Mater ».

4) *Principium convenientiae fundatur in principio primario Mariologiae.* B. Virgo enim illa omnia gratiae privilegia a Deo habere debuit quibus *DIGNA* fieret *Mater Dei* ac *consors* Filii sui Redemptoris. Non enim B. Virgo quomodo-cumque sed *digne* Mater Dei et *Consors* Filii sui esse debebat. Principium igitur convenientiae, ex infinita Dei sapientia et potentia immediate et logice profluit.

3. **De applicatione principii convenientiae.** Si principium convenientiae infallibile dici potest, infallibiles certe dici nequeunt qui illum applicent. Et de facto non defuerunt nec desunt abusus in applicatione huius principii. Quapropter caute omnino in applicatione huius principii Theologus procedere debet.

Iesus, absque dubio, ea omnia pro Virgine fecit quae Matri suae conveniebant. At *quaenam reapse* ipsi conveniebant?... Hoc opus, hic labor. Saepe — ut animadvertit Gerson — nos admittimus ut Deo conveniens quod tantummodo *menti nostrae*, limitibus circumscriptae, convenit. Ut exemplum praedictae erratae ratiocinationis, hoc habet: « ... Christus potuit communicare Matri suae in utero, quod gloriosa et consummata felicitate nasceretur; et hoc decuit ipsum facere, quia decuit Eum Matrem honorare. Ergo sic fecit. Constat quia conclusio haereticalis est. Et tamen praemissae communiter assumuntur a nonnullis in assertionibus suis confirmandis ». Argumentatio, ergo, ex *simplici convenientia*, caute omnino adhibenda est.

Attamen consideratio haec valorem argumenti ex convenientia deducti minime destruit. Non debemus ergo illud reiicere sed ipso *sapienter* uti. « Abusus non tollit usum ».¹

Nunc vero: haud magna difficultate nos percipere possumus quid *convenientia excludat*. Non convenit: 1) id omne quod veritati revelatae contradicit, si contradictio est realis et non tantum apparens (e. g. Immaculata et Redemptio); 2)

¹ Immerito, prout nobis videtur, LELOIR in op. *La Médiation Mariale*, pp. 79-81, principium convenientiae simpliciter durissimisque verbis reicit. Scribit enim: « Devrons-nous avouer que l'axiome ' *Potuit, decuit, ergo fecit* ', souvent invoqué pour attribuer à Marie quelque privilège bizarre ou inouï, nous semble devoir être *énergiquement rejeté*? Jusqu'ici, il n'a guère servi qu'à favoriser l'introduction d'abus et à couvrir de ridicule la " *théologie* " mariale ».

Et de principio convenientiae prout a s. Alphonso enunciatum est, sequentia leviter profert: « Mais ce principe de s. Alphonse, sagement tempéré par son auteur lui-même, *s'il est doux à notre cœur de fils aimant de Marie, ne satisfait pas notre raison*. Et c'est sur un roc plus solide que nous voulons bâtir notre édifice » (l' c., p. 81). Contra hanc asserionem P. Leloir, iure insurgit etiam P. BALIÉ scribens: « Admittimus ergo quod cum argumentatione ' *Potuit, decuit, fecit* ' possunt fabricari conclusiones arbitrariae, sed energice reiicimus incriminationem D. Leloir, id tantum hucusque illud principium pro effectu habuisse » (*De regula fundamentalis Theologiae Marianae Scotisticae*, Sibenik, 1938, p. 31).

id omne quod cum *terrestri conditione* B. Virginis, ut v. g. agilitas angelorum componi non potest; aut cum suo *sexu*, v. g. potestas administrandi sacramenta; aut cum sua facultate *merendi*, v. g. talia lumina quae fidem impossibilem redderent; aut cum sua *perfectione*, v. g. contritio de peccati commissis.

At, crescit difficultas cum determinare volumus quid *positivi* convenientia exigat. Hoc, igitur, generatim loquendo, tenendum est: argumentatio ex convenientia legitima dicenda est si *fundamentum* aliquod habeat in illis omnibus quae de B. Virgine iam cognoscimus, et in modo agendi *ordinario* ipsius Dei. Harmonia, enim inter affirmationem aliquam et alias cognitiones certas quas de B. Virgine habemus, praesumptionem aliquam procul dubio constituit in favorem eiusdem. Ad hoc autem ut scire possimus utrum talis *praesumptio* fieri possit *certitudo*, ad pium fidelium sensum et ad fontes revelationis attendere debemus.

Insuper, id omne in B. Virgine admitti debet cuius oppositum esset reapse (non vero apparenter tantum) Deo inconueniens, iuxta illud S. Anselmi: « in Deo ad quodlibet parvum inconueniens, sequitur impossibilitas » (*Cur Deus homo*, I, 10, PL 158, 375). Tunc enim non de simplici convenientia agitur, prout manifeste patet, et ideo conclusio non tantum probabilis sed etiam *certa* haberi potest. Sic, e. g., ex eo quod Christus B. Virginem sibi sociam assumpsit in *acquisitione* omnium gratiarum, sequitur illam sibi sociam assumpsisse etiam in *distributione* earumdem gratiarum, quia secus inconueniens aliquod haberetur. Et de facto Pontifices et Theologi recentiores cooperationem Deiparae in distributione omnium gratiarum ex cooperatione ad acquisitionem earumdem gratiarum communiter deducunt. — Si vero oppositum sit *aeque conueniens* aut saltem non sit inconueniens, argumentum ex convenientia ad *quamdam probabilitatem* tantummodo, non vero ad certitudinem ducit.

Principium convenientiae, tali modo intellectum, magnam partem habuit et adhuc habet in historia evolutionis Theologiae Marianae et veram saltem *probabilitatem*, ex seipso, alicui conclusioni tribuere valet, aliquando vero etiam *certitudinem*.

OBICITUR: 1) Celeberrimus Gerson principium *convenientiae* negavit.¹ Scripsit enim: « Christus potuit et potest facere hoc vel illud; et *conuenit* ei ut faciat; ergo aut fecit aut faciet ». Et exemplum adducit: « Christus potuit communicare Matri suae in utero, quod gloriosa et consummata felicitate nasceretur; et hoc decuit ipsum facere, quia decuit eum matre honorare. Ergo sic fecit. Constat quia conclusio haereticalis est. Et tamen praemissae communiter assumuntur a nonnullis in assertionibus suis confirmandis » (l. c., veritas 16).

¹ Ita, e. g., LÉLOIR: « Je puis d'ailleurs lui (Scoto) opposer, si besoin en était, le pieux chancelier Jean Gerson que le docte Petau cite et approuve « ut uno in saltu apros capiam duos » (o. c., p. 80).

Respondetur: 1) Gerson non reicit principium convenientiae, sed potius abusum qui de ipso fieri potest si absque ulla restrictione et in sua omnimoda generalitate adhibeatur, eo quod tunc ex ipso plura privilegia falsa deduci possunt. Privilegia enim Virginis, a Dei voluntate, tandem aliquando, dependent; requiruntur igitur solida argumenta ad hanc divinam voluntatem (relate ad illa privilegia) admittendam. Ex ipso exemplo allato patet Gersonem reicere convenientiam tantummodo *apparentem*, non vero *realem* convenientiam, prout iam nos ipsi superius monuimus. 2) Ipsemet Gerson, de facto, principium convenientiae et admisit explicite, et ipso usus est. In veritate enim 12 scribit: « Christus contulit Matri suae ab initio et consequenter, illas et tantas gratias quas et quantas agnovit esse *convenientes* secundum ordinem suae sapientiae, et in hac veritatis soliditate debet esse contentus quilibet christianus ». Usus est ipsemet tali principio in Concilio Constantiensi cum dixit: « Maria lege privata et privilegiata sic praevenita est ut nequaquam illud generale (peccatum) contraheret, quoniam hoc *potuit et decuit* fieri » (Serm. *De Nativ. B. M. V.* in Conc. Constant. Opp. III, 1349).

3) De principio eminentiae seu comparationis cum aliis sanctis

1. De natura principii eminentiae.

Ita enuntiari potest: « Omnia privilegia quae Deus alicui Sancto contulit, etiam Matri suae conferre debuit, sive formaliter (i. e., sub eadem forma), sive eminenter, sive aequivalenter.

EXPONITUR: Plura enim privilegia Deus, Sanctis suis, prout ex historia Ecclesiastica apparet, contulit. Quibusdam enim Deus *charismata* seu novem gratias gratis datas (iuxta enumerationem Divi Pauli) contulit; aliis (e. g. S. Alphonso de Liguori) bilocationis donum concessit; aliis possibilem reddidit vitam absque ciborum sumptione (e. g. S. Iulianae Falconieri) vel nutrire illos fecit per Angelum (e. g. S. Paulus Eremita); aliis quaedam concessit ex quibus futura eorum sanctitas et excellentia deduci poterat (e. g. examen apum in ore S. Ambrosii infantis); quibusdam donum lacrimarum ad peccata propria plangenda collatum est (e. g. B. Iacopo Filippo Bertoni, O. S. M.), continua mentis in Deum elevatio (e. g. S. Aloisio Gonzaga etc.).

Innumeris (id est omnibus Sacerdotibus) mira potestas collata est circa corpus Christi reale et circa corpus Christi mysticum. S. Ioanni Baptistae rationis usus collatus est in ipso utero matris suae etc...

Iamvero, haec omnia privilegia, Sanctis a Deo collata, fuerunt ne *omnia* Virgini etiam collata? ...

Respondetur: affirmative sed diverso modo, iuxta varia privilegia.

1. Quaedam enim ex illis omnibus privilegiis (prout ex ipsa enunciatione apparet), collata ipsi fuerunt *formaliter* seu in propria forma, illa videlicet quae componi possunt cum sexu et conditione B. M. V. ¹ Sic, e. g., ex eo quod Eva

¹ Auctores quidam (e. g. TERRIEN, l. c., p. 304; KEUPPENS, o. c., p. 17) exigunt quod talia privilegia componi etiam possint *cum statu sive termini* (e. g. B. Virgo nunc non amplius mere-

creata fuit in statu gratiae, iure concludere possum (prout de facto quidam Patres et Scriptores Ecclesiae fecerunt) etiam B. Virginem in statu gratiae creatam fuisse seu gratiam habuisse inde a primo instanti suae personalis existentiae. Pariter, donum *bilocationis* bene tribui poterat Virgini, et quidem sub eadem forma ac aliis, si hoc ei necessarium fuisset. Si insuper B. Virgo, Angelorum Regina, angelorum ministerio indiguisset, ipsi procul dubio concessum fuisset. Etiam gratiae *gratis datae* B. Virgini in propria forma concessae fuerunt,¹ saltem in *habitu* (cfr *S. Th.*, III, q. 27, a. 5, ad 3).

Attamen ea omnia quae componi non poterant sive a) cum *sexu* femineo (e. g. character sacerdotalis) aut b) cum *conditione* eiusdem (e. g. donum lacrimarum pro peccatis propriis, utpote innocentissima), in propria forma ei conferri non debent.

2. Quaedam privilegia, aliis Sanctis concessa, *eminentiori modo* B. Virgini collata fuerunt, praesertim illa quae in propria forma B. Virgini, ob rationes superius expositas, conferri non potuerunt. Sic, e. g., quamvis B. Virgo (utpote mulier) donum characteris sacerdotalis non habuerit, ipsi tamen, eminentiori modo collatum fuit id omne quod per talem characterem confertur, maxima nempe et omnino singularis potestas circa corpus Christi reale et circa corpus Christi mysticum. Insuper, quamvis lacrimarum donum pro propriis peccatis non habuit (utpote impeccabilis), habuit, tamen, multo magis quam quilibet alius Sanctus, odium cuiuscumque peccati, cuius odii lacrimae signum sunt evidentissimum.

3. Quaedam tandem privilegia B. Virgini *aequivalenter* collata fuerunt. Sic, e. g., quamvis eius futura excellentia et sanctitas non fuerit significata per quaedam *particularia signa* (prout evenit e. g. S. Ambrosio, S. Dominico, S. Ioanni de Deo etc.), praesignificata tamen fuit *aequivalenter*, per prophetias, per figuras, per symbola, quin necessarium sit eadem particularia facta, in propria forma, pro B. Virgine admittere.

2. **De fundamentis principii eminentiae.** Etiam hoc principium fundatur 1) in S. Scriptura, 2) in Traditione, 3) in Magisterio Ecclesiastico et 4) in primo principio.

1) *Fundatur in S. Scriptura* et praecise in verbis Angeli: «Ave, gratia plena» (Luca. I, 28). «Ave, gratia plena — commentatur S. PETRUS CHRYSOLOGUS.

tur) sive *viae* (e. g. B. Virgo non fruebatur, saltem continuo, visione beatifica). At haec conditio, relate ad hoc principium, incassum omnino poni videtur. Agitur enim de privilegiis Sanctorum B. Virgini tribuendis. Sed cuinam Sanctorum collatum, est e. g. privilegium *merendi* in statu termini aut videndi permanenter divinam essentiam in statu viae? ... Limes iste, igitur, valet utique pro principio *convenientiae* (quia B. Virgo consideratur *absolute*) non vero pro principio eminentiae in quo B. Virgo *comparative* ad alios sanctos et ad illorum privilegia consideratur.

¹ Auctores quidam hoc denegarunt. Sic, e. g. RAYNAUD S. J., (*Diptycha Mariana*, in *Marialia*, Lyon, 1665, pp. 13-14), BENEDICTUS PLAZZA, S. I. (*Causa Immac. Concept.*, pp. 131 sq).

— Quia singulis gratia se est largita per partes, Mariae vero simul se totam dedit gratiae plenitudo » (Serm. 143, *De Annunt.*, PL 52, 583). Et S. ALBERTUS MAGNUS: « Alii Sancti acceperunt ... gratiam creatam particulariter: ipsa autem creatam universaliter, et increatam singulariter » (*Mariale*, q. 154).

Quibus consonat S. THOMAS scribens: « Ave gratia plena, quod exponens Hieronymus (in Serm. *De Assumptione*) dicit: « bene gratia plena, quia *caeteris* per partes praestatur, *Mariae* vero se tota simul infudit gratiae plenitudo » (III, q. 27, a. 5, sed contra).¹ Et huius rei rationem dat scribens: « Quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii. Unde Dionysius dicit quod angeli qui sunt Deo propinquiores magis participant de bonitatibus divinis, quam homines. Christus autem est principium gratiae, secundum divinitatem quidem auctoritative, secundum humanitatem vero instrumentaliter. Beata autem V. Maria propinquissima Christo fuit secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam. Et ideo prae ceteris maiorem debuit a Christo gratiae plenitudinem obtinere » (III, q. 27, a. 5, c.). Cfr etiam pulchra expositio S. Laurentii a Brundusio in *Mariale*, pp. 189-195.

2) *Principium eminentiae in traditione fundatur.* Iuxta Amann, iam saec. II principium hoc adhiberi coepit: « Dans le milieu chrétien où fut composé le Protévangile de Jacques (ergo saec. II), instinctivement la piété populaire faisait le raisonnement qui revient à chaque page des traités modernes de Mariologie: Il faut admettre que la Vierge Marie non seulement a reçu les mêmes faveurs que les saints les plus éminents, mais qu'elle les a eues d'une manière plus éminente » (*Le Protévangile de Jacques et ses remaniements latins*, Paris, 1910, p. 15). Etenim, ex eo quod conceptio S. Ioannis Baptistae fuit miraculosa, et ab angelo suis parentibus nuntiata, deduxerunt quod etiam conceptio B. Virginis miraculosa esse et ab Angelo suis parentibus nuntiari debuit. Iuxta Girerd (art. cit., p. 9 ss.) principium hoc ex universa litteratura patristica graeca emergit.

Audiat, e. g. BASILIUS SELEUCIENSIS: « Si Deus, servis tantum impertitus est gratiae, ut non tactu solo aegros persanarent, sed et umbrae proiectu idem praestarent... qualem Matri virtutem inesse cogitabimus? An non maiorem multo, quam ei subiectis? Cuius notum... Si Petrus *beatus* appellatus est, clavesque

¹ Relate ad hunc textum et similia, iure animadvertit P. TERRIEN: « On pourrait, je le sais, me répondre que, dans ce texte et dans les autres du même genre, la plénitude de la grâce est l'Auteur même de la grâce, Jésus Christ, le Fils de Marie. D'accord; mais cela même prouve deux choses qui vont manifestement à confirmer notre principe. La première, ... c'est que tous les dons de Dieu nous viennent par Marie; la seconde que l'Auteur de toute grâce n'a pu prendre sa chaire en elle, sans lui donner en retour et dans leur plénitude les grâces qu'il allait distribuer entre les rachetés. Il faudrait être bien étranger à la lecture des Saints et des Pères, pour ne pas avoir appris d'eux cette double conséquence » (*La Mère de Dieu*, t. 1, pp. 311-312, ed. 4).

regni caelorum concreditas habuit; cur non prae omnibus una beata praedicetur, cui eum datum est eniti, quem ille confessus est? S. Paulus vas electionis cognominatus est, quod augustum Christi nomen extulerit, quod ubique terrarum id evulgaverit, quale vas erit Dei Mater? ... O Virgo sanctissima, de qua qui cum laude graviterque dixerit, non ille quidem a veritate aberrabit, sed pro merito haud fecerit satis » (Or. 39 in *Deip. Annunt.*, PG 85, 447). Ita etiam S. SOPHRONIUS: « Omnia superas munera quae effusa e Dei largitate in quoslibet dimaverint » (*Homil. de Annuntiat.*, 25, PG 87, 3248).

Inter Latinos recensendi sunt: EADMERUS: « Quidquid dignius umquam de aliquo extra suam personam voluit, patet eum de Te, o Beatissima feminarum, voluisse » (*De Conceptione B. M.*, PL 149, 334).

S. BERNARDUS: « Quod itaque vel paucis mortalium constat fuisse collatum, fas certe non est suspicari tantae Virgini esse negatum, per quam omnis mortalis emersit ad vitam » (PL 182, 334).

ABSALON Abbas SPRINCKIRSBACENSIS assumptionem corpoream Virginis arguit ex eo quod Filius nequit negare Matri quod aliis (e. g. Eliae) concessit, eo vel magis quod dum reliquiae aliorum Sanctorum (e. g. caput Ioannis) ab omnibus venerantur, reliquiae B. M. Virginis neque in terra neque in caelo venerationis obiectum essent (Serm. 44, *de Assumpt.*, PL 211, 255; *ibid.*, Serm. 45, 257).

S. BONAVENTURA: « Quidquid dignitatis et gloriae istis [i. e. hominibus activis, contemplativis, praelatis, seu omnibus Sanctis] partialiter est collatum, sacrae Virgini integraliter est concessum » (*Sermo 2 de Assumpt. B. M. V.*, Op. 9, 692 b).

S. THOMAS AQUINAS: « Rationabiliter creditur quod illa quae genuit Unigenitum a Patre, plenum gratiae et veritatis, prae omnibus aliis maiora privilegia gratiae acceperit » (P. III, q. 27, a. 1). Idem plus minusve asseritur a S. ALBERTO MAGNO (*Mariale*, q. 15).

RICHARDUS A S. LAURENTIO: « Quidquid pulchritudinis habent alii Sancti in parte, habet Maria in toto » (*De Laudibus B. M. V.*, inter op. S. Alberti M., ed. Vivès, t. 36, p. 182).

PETRUS AUREOLUS, O. F. M. († 1322), asserit Deum B. Virgini contulisse omnia dona aliis Sanctis collata (*In III Sent.*, Dist. XIX, a. 3; *trac. de concept.* p. 67).

S. LAURENTIUS A BRUNDUSIO († 1619) pluries, pluribusque modis hoc principium enuntiat: « Quidquid Deus sparsim largitus fuerat Angelis in caelo et Sanctis suis in terra, omnia simul collecta contulit in Mariam » (*Mariale*, p. 418). « Vere liceat mihi, hoc dicere, aurumque ex Aegypto in terram promissionis transferre. Videtur mihi Virgo Sanctissima sicut *Pandora* illa, quam finxit Hesiodus primam mulierem iussu Iovis a Vulcano formatam, cui omnes dii dona dederunt. Pallas sapientiam, Venus pulchritudinem, Mercurius eloquentiam, Apollo

musicen, sicque dii omnes suis muneribus eam cumularunt. Sic, inquam, caelestis haec mulier omnibus caelestium spirituum Sanctorumque omnium dotibus, virtutibus donisque et gratiis exornata cumulataque a Deo fuit; ita ut nihil sit candoris, nihil sit splendoris, nihil sit virtutis, quod non resplendeat in Virgine gloriosa » (ibid., p. 445). Cfr etiam *Mariale*, pp. 290, 350, 365, ubi S. Laurentius explicite asserit Mariae collatum esse quidquid boni, splendoris, nobilitatis in rerum natura, in Ecclesia, in mundo, in paradiso invenitur.

IOANNES DE CARDENAS, saec. XVII testatur permultos fuisse auctores qui tale principium tenebant: « Huc vocari possunt omnes illi, qui asserunt, omnes gratias et perfectiones in aliis repertas, concedendas esse in B. Virgine... Qui autem et quot sint hi Auctores, non potest facile referri, possent enim suis nominibus multas implere paginas » (*De infinita dignitate Matris Dei*, p. 213).¹

PAULUS SEGNERI: « Ben era dunque ragione che a proporzione Iddio l'arricchisse di grazia; e che però, come nel formare il mare egli volle che quivi si radunassero tutti i fiumi: *Congregentur in locum unum* (Gen. I), così nel formar Maria radunasse in un cuore tutte le doti che son divise fra gli altri; cuore che come il mare non ridonda per tal pienezza, *non redundat* (Eccl. I), perchè queste doti medesime tutte insieme non eccedono punto il loro ampio letto, ch'è l'uffizio ch'ella sostiene » (*Il divoto di Maria*, c. III, pp. 56-57, ed. Messina, 1935).

MONTALBANUS: « Nullum gratiae beneficium alicui purae creaturae collatum, Virgini negatum est ... » (*Opus theologicum de Immaculata Conceptione*, Panormi, 1723, II).

S. ALPHONSUS M. De LIGUORI: « È assioma commune fra teologi, non essere stato mai concesso alcun dono ad alcuna creatura, di cui non sia stata anche arricchita la B. Vergine » (*Glorie di Maria*, disc. dell'Immac. Conc.).

3) *Principium eminentiae in Magisterio ecclesiastico fundatur*: Pius IX in Bulla *Ineffabilis Deus*, asserit quod Deus B. Virginem « prae ceteris universis est prosecutus amore ». Quia vero amor Dei est causativus (non supponit bonitatem in rebus, sed ponit) eam « longe ante omnes angelicos spiritus cunctosque sanctos caelestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta... mirifice cumulavit ».

¹ Inter assertores huius principii numerari possunt: DURANDUS A S. PORTIANO (*In III Sent.*, dist. 3, q. 2); RAYMUNDUS IORDANUS (*Contemplationes de B. Virgine*, pars 2, cont. 3, in *Summa Aurea*, t. 4, col. 877); DIONYSIUS CARTHUSIANUS (*De dignitate et laudibus B. M. V.*, 2, 18, Opera, Tournai 1908, t. 36, coll. 624 sq.); S. ANTONIUS EP. FLOR. (*Summ.*, p. 4, tit. 15, c. 10, de triplici gen. grat., § 2); S. LAURENTIUS IUSTINIANI (*De casto connubio animae Verbi*, c. 9); S. THOMAS A VILLANOVA, conc. 3, n. 8, op. 40); GREGORIUS DE VALENTIA (*Comment. in III P. S. Thomae*, disp. 1, q. 1, p. 5, Lugduni, 1603, t. 4, col. 438); VASQUEZ (*In III P.*, disp. 114, c. 3, 15; disp. 119, c. 3, 17); SUAREZ (*In III P.*, t. 2, disp. 3, sect. 5, 30; disp. 19, sect. 4, n. 2); NOVATUS (*De eminentia Deip.*, t. 2, p. 296); VEGA (*Theol. Mariana*, t. 2, p. 296); DE RHODES, (o. c., t. 2, p. 211), THEOPHILUS RAYNAUD (*Diptycha*, cautio 3, 7, p. 14, 15) etc.

PIUS XI, in Encycl. *Lux veritatis*, idem principium refert, suum facit et approbat: « Mater Dei est; ergo quidquid ulli Sanctorum concessum est privilegio (in genere gratiae gratum facientis) hoc illa prae omnibus obtinet » (*Acta Ap. Sedis*, 1931, p. 513).

4) *Principium eminentiae in ipso primo principio fundatur.* Etenim, B. Virgo, ratione suae divinae maternitatis et associationis Mediatori omnium gratiarum, *superior* omnibus Sanctis constituitur, et eorum Regina. At quomodo esset omnium Sanctorum superior eorumque Regina, si unus etiam ex Sanctis privilegium aut donum aliquod se possidere gloriari posset quod in B. Virgine (sive formaliter, sive eminenter, sive aequivalenter) non esset?... Dignitas ergo Matris Dei et sociae Mediatoris illos omnes titulos simul includit pro favoribus divinis qui in omnibus aliis Sanctis passim inveniuntur. Et ideo omnia beneficia aliis omnibus a Deo collata, etiam B. Virgini conferri debuerunt.

3. **De applicatione principii eminentiae.** Principium eminentiae, ut patet, potius quam principium a se, est forma quaedam seu particularis respectus principii convenientiae: *conveniens* enim est ut etiam *Matri Dei* omnia illa privilegia conferantur quae *Servis Dei* collata fuerunt. Quapropter, quae de applicatione principii convenientiae iam diximus, etiam pro applicatione huius principii valere censemus. Attendi autem debet praesertim ad hoc, quod quaedam privilegia Sanctis collata (id est, illa quae *imperfectiorem* aliquam supponunt, ut donum lacrimarum pro peccatis commissis) B. Virgini tribui non possunt. Attendendum insuper est ad *varium modum* quo B. Virgini varia privilegia Sanctorum tribui debent, nempe, vel *formaliter*, vel *eminenter*, vel *aequivalenter*.

4) **De principio analogiae seu similitudinis cum Christo**¹

I. **De natura principii analogiae seu similitudinis cum Christo.** Ita proponi potest: « Variis privilegiis humanitatis Christi, analogia privilegia in B. Virgine correspondent, secundum modum et mensuram *conditionis* utriusque ».

Certe, humanitatis Christi privilegia, quae unionem hypostaticam consequuntur, semper elementum quoddam *incommunicabile* constituent. Hinc, nulla identitas, nulla univocatio inter privilegia Virginis et privilegia Christi, sed simplex *analogia* tantum, et quidem quantum sinit *Matris conditio*. Et ideo cum illis privilegiis humanitatis Christi qui magis directe ex hypostatica unione resultant, analogia magis *elongata* erit: sic, e. g. adorationi humanitatis Christi, in B. V. correspondet tantum veneratio privilegiata, quae cultus hyperduliae vocatur.

Analogia magis propria et stricta in illis praerogativis habetur quae *indirecte* tantum, in Christo, ex hypostatica unione resultant, e. g., analogia inter glorificationem corporis Christi et glorificationem corporis B. M. V.

¹ Utiliter legi potest LAURENT, *Le rôle de l'analogie en Théologie Mariale*, in *Bull. de la Soc. Française d'Et. Mar.*, t. 4 (1938), pp. 103-134.

Insuper, bene distinguendum est inter *similitudinem* et *aequalitatem*. B. Virgini *similitudinem*, nullimode vero *aequalitatem* cum Christo vindicamus, et quidem similitudinem ab ipso Christo Ipsi per *participationem*, communicatam. Iure scribebat P. Bover: «Ni mucho menos igualamos a Maria con Cristo. La asociación no es igualdad. Cristo es lo que es (una vez supuesta la unión hipostatica) por naturaleza y derecho propio. Maria es lo que es, por grande que sea, por pura gracia y privilegio. Cristo lo es *a se*; Maria *ab alio*; En esto se parece a Eva: asociada a Adán, pero que recibe de él lo que tiene. De ahí la posición subalterna y la dependencia de Maria respecto de Cristo. Si los protestantes consideraran bien esta diferencia esencial, analoga a la que media entre el Ser por esencia de Dios y el ser participado de la criatura, no se escandalizarían de los elogios que tributamos a la Madre de Dios. Nosotros, sin esos scrupulos farisaicos o meticulosos, no dudamos en creer y proclamar esta gloriosa asociación de Maria a Jesucristo; de la Madre de Dios al Hijo de Dios; de la Corredentora al Redentor; de la Medianera al que, con ello, no deja de ser el único Mediator; de la que por la Asunción corporal es encumbrada al celeste trono que corresponde a la Reina Madre, al Hijo Rey que en su gloriosa Ascensión se levanta hasta el trono de Dios, donde reina y reinará eternamente, sentado a la diestra de Dios Padre en la unidad del Espiritu Santo. Quod Deus coniunxit, homo non separet». (*Síntesis orgánica de la Mariología*, Madrid, 1929, p. 27).

Agitur ergo, paucis verbis, de analogia inter Christum et Mariam, seu de *similitudine dissimili*, et, magis particulariter, de *analogia attributionis*, quatenus una eademque res eodem termino significata, dicitur de Christo (analogato primario) principaliter, et de B. Virgine (analogato secundario) secundario et in ordine ad Christum seu, cum relatione dependentiae et subordinationis ad Christum. Vi huius analogiae, nemo intendit ea repetere de B. Virgine quae dicuntur de Christo: quod univocitatem potius quam analogiam saperet, et error esset. Necessae enim est ut diversa natura utriusque analogati iugiter prae oculis habeatur, ita ut una eademque res de ipsis dicatur modo diverso, iuxta diversam ipsorum naturam. Ita, e. g., regalitas Mariae minime constituit eam regem quemdam secundarium, cum omnibus potestatibus regiis, sed tantummodo *Matrem* aut *Sponsam Regis Regum*.

2. **De fundamentis principii analogiae.** Etiam hoc principium fundatur 1) in S. Scriptura, 2) in Traditione, 3) in Magisterio ecclesiastico et 4) in ipso primo principio Mariologiae.

1) **Principium analogiae fundatur in S. Scriptura.** In ipsa enim B. Virgo iugiter cum Christo coniuncta exhibetur, e. g. a) in *Protoevangelio* (*Gen.*, 3, 15), b) in benedictionibus S. Elisabeth quae, Spiritu Sancto inspirante, dixit: «*Benedicta tu ... et benedictus fructus ventris tui*» (*Luc.* 1, 48). Eodem tempore, eodem modo, eodem verbo («*benedictus*») S. Elisabeth, a Deo inspirata, favores caelestes, quorum Mater et Filius sunt obiectum, extollit. Audiatur S. Laurentius

a Brundusio: « Elisabeth Spiritu Sancto repleta: *Benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui*. Quidnam singularis ista coniunctio, qua, sicut et Christus, benedicta dicitur? » (*Mariale*, p. 419).

2) *Principium analogiae in Traditione fundatur*. « Infinitum pene foret — animadvertit Keuppens¹ — similitudines omnes in unum colligere quas Patres aliique Ecclesiastici scriptores inter Deiparam divinumque eius Filium instituerunt » (cfr pro hac re HAINE, *Hyperdulia*, Lovanii, 1864, pp. 178-215). Quidam tantummodo hic recensentur.

S. EPHREM similitudinem Mariae cum Christo in omnimoda *pulchritudine* et in immunitate a quavis culpa, primus omnium, exprimit: « Tu revera (o Christe) et Mater tua *solī* estis, qui ex omni parte pulchri estis; in te enim, Domine, nulla est labes, nec ulla in Matre tua macula » (*Carmina Nisibena*, ed. Leipzig a. 1866 a Bickell, p. 40).

ERNALDUS Abbas BONAEVALLENSIS: « Manifestum est, individuum esse Matris et Filii gloriam, et commune esse utriusque praeconium, cuius definitio omnem superat intellectum... Filii gloriam cum Matre non tam communem iudico quam eandem » (PL 189, 1739).

S. BONAVENTURA consortium et ideo similitudinem Mariae cum Christo in universo opere salutis et in variis eiusdem stadii clare enuntiat. « Sed ille [scilicet Christus, in actu redemptionis generis humani per passionem] ab ipsa (debebat) adiuvari, ut adimpleretur quod de Eo propheticè dictum fuit, Genesis secundo (v. 18): *Faciamus ei adiutorium simile sibi...* » (Serm. 6 *De Assumpt. B. V. M.*; op. 9, 704-705 a). Et non solum B. Virgo, iuxta S. Bonaventuram, facta est Christo similis et consors in passione, sed etiam in meritis, in gloria et honore, seu in Assumptione ad caelum, in imperio et dominio universali, in officio advocati et in distributione omnium gratiarum (cfr DI FONZO, *Doctrina S. Bonaventurae de universali mediatione B. V.*, Romae, 1938, pp. 35-40).

S. ALBERTUS MAGNUS docet B. Virginem fuisse pro Christo « adiutorium *simile sibi* », « consors sui operis » (*Mar.*, q. 43).

AMBROSIUS SPIERA, O. S. M.: « Tanta est unitas Virginis gloriosae ad dulcissimum Christum, ut dignitates quae Christo conveniunt per naturam, Virgini conveniant per gratiam... et per consequens, sicut hodie Christus per naturam ait: *Ego sum lux mundi*, sic Virgo gloriosa per gratiam dicere potest: *Ego sum lux mundi* » (Quadragesimale *de floribus sapientiae*, Sabb. post IV Domin. Quadrag., de Virgine glor., Sermo in ord. 32).

DIONYSIUS CARTHUSIANUS († 1471) asserit et ostendit B. Virginem Christo *simillimam* fuisse in *omnibus*. « In omnibus naturae gratiaeque muneribus, Filio adorando, Deo vero, erat mundissima Mater simillima » (*De praeconio et digni-*

¹ *Mariologiae compendium*, p. 19.

tate Mariae, lib. 2, a. 19, *Opera*, Tornaci, 1908, p. 225 A). Et alibi huius singularis similitudinis rationem ita exhibet: « Quo quis alii vicinius est, eo utique ipsi similis est. Quid autem Christo tam vicinum ut Genitrix eius? Nihil igitur ea ipsi similis extat » (ibid., p. 483 A).

S. LAURENTIUS A BRUNDUSIO peculiari modo principium analogiae enuntiavit et illustravit: « Maria enim similis per omnem modum Christo est, sicut luna soli, sicut Eva Adamo: similis in praedestinatione, in vocatione, in iustificatione, in glorificatione. Sedet Christus ad dexteram Dei super omnes angelos rex et summus imperator; sedet Maria ad dexteram Christi summa Caeli et Angelorum Regina et imperatrix. De Christo ait Paulus quod est compendium omnium bonorum Dei: *ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν τῷ Χριστῷ, τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς πάντα ἐν αὐτῷ*. Nam quidquid pulchri et boni reperit Deus in hominibus et Angelis, omnia collegit in Christo, sicut fecit in creatione hominis, qui propterea microcosmos dictus est, parvus mundus. Ita etiam cum Virgine egisse ostendit in *Apocalypsi* Ioannes, ubi ostenditur Virgo omnibus caeli luminibus ornata, toto corpore amicta sole, sub pedibus luna pulchra plenaque, in capite corona stellarum. Hoc autem quid designat nisi quod quidquid virtutis, sanctitatis, bonitatis reperit Deus in Ecclesia et in paradiso, in hominibus et in Angelis accepit ad Virginem dignitate Unigeniti Filii exornandam, ut ipsa paradisi esset deliciarum Dei » (*Mariale*, p. 350). — Et alibi: « Et quidem Maria in omnibus Christo similis est, quoad naturam, quoad gratiam et quoad gloriam: quoad naturam eiusdem cum Christo naturae, quoad gratiam ipsa quoque sancta, gratia et Spiritu Sancto plena, et quoad gloriam Christo similis uti luna soli, regina regi: *Adstitit regina a dextris tuis*. Imo, similis Christo Maria in praedestinatione, similis in nativitate, similis in vita, similis in glorificatione. Similis, inquam, in praedestinatione, quia Christus praedestinatus est non ut Deus, sed ut homo Filius Mariae, ergo una cum Christo praedestinata est Maria; similis in nativitate, quoniam sanctissime vixit; similis in morte, quoniam sine aliqua culpa mortua fuit, similis in resurrectione, quoniam gloriosa resurrexit et ascendit in caelum, ibique in summa gloria a dextris Christi sedet super omnes Angelorum choros. Sic etiam in conceptione similis Christo plena, sicut sol, luna et stellae, quibus comparatur, luce pleni creati fuerunt. Ob id ergo Ecclesia, in conceptione et nativitate Beatae Virginis, legit Evangelium conceptionis et nativitatis Christi, ob nimiam, inquam, similitudinem » (l. c., pp. 454-455). Tandem: « Cum igitur Christus sit augustissimum Dei miraculum, de quo etiam Isaia, 25 hebr.: *Laudabo nomen tuum quia fecisti miraculum*; non potest Maria non magnum esse miraculum, cum sit Christo simillima, sicut luna plena soli. Quare, sicut in caelo Deus ab initio *duo posuit luminaria magna*, ita in paradiso duo magna miracula, Christum et Mariam... Ter mirantur (Angeli) quoniam Maria, sicut Christus, triplex miraculum est, naturae, gratiae et gloriae. Sicut igitur magnum angelis miraculum Christus, ita et Maria; ma-

gnum miraculum Christus, magnum miraculum Maria, Mater Christi: *signum magnum apparuit in caelo* » (l. c., p. 12).

S. ROBERTUS BELLARMINUS, perpulchre principium similitudinis illustrat scribens: « Quaemadmodum imago, quae resultat in speculo simillima est ei qui illam producit, et sine labore pictoris et sine temporis mora producitur: sic etiam Christus infans sine labore matris vel obstetricis et sine spatio temporis repente matri simillimus nascendus resultat. Non fuit ullus unquam filius ita matri similis effigie corporali, ut fuit Christus Matri suae similitudine gratiae et virtutis. Mater Virgo perpetua, et filius virgo perpetuus; mater sine omni peccato, et filius peccatum non fecit, nec inventus dolus in ore eius; mater gratia plena, et filius plenus gratia et veritate; mater humilis et mitis, et filius mitis et humilis corde; mater pauper pecuniis et dives meritis, et filius propter nos egenus factus, cum esset dives, et in eo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei. Denique, ut multa alia praeteream aliquando Filius de Patre dixit: *Qui videt me, videt et Patrem*; sic et de Matre dicere potuit: *Qui videt me, videt et Matrem* » (*Explan. cap. I Epist. ad Hebr.*, in Dom. Nativ.; cfr *Gregorianum*, t. 21 [1940], p. 182).

MONTALBANUS S., O. F. M. Cap., scripsit: « Decuit, immo... oportuit inter Matrem et Filium similitudinem intercedere, praesertim in moribus et gratia et animae et corporis puritate... » (*Opus theologicum de Immaculata Conceptione*, Panormi, 1723, 11).

IOANNES SARNANUS: « Decuit Virginem... ut esset Filio non aequalis, sed simillima quoad eius fieri potuit... » (*De Immaculata Mariae Conceptione*, Neapoli, 1635, 54, 57).

Tandem, AUGUSTUS NICOLAS perpulchre omnino principium hoc evolvit et illustrat ubi de Assumptione B. M. V. loquitur: « Il n'y a pas un seul mystère de Jésus-Christ qui n'ait son accompagnement et comme son écho dans un mystère correspondant de la très sainte Vierge; et ce parallélisme des mystères du Fils et de ceux de la Mère est si constant, qu'il n'est pas possible de ne pas y voir une loi. Ainsi le premier de ces mystères, celui de la Prédestination de Jésus-Christ, implique nécessairement celui de la prédestination de Marie, puisque ce n'est qu'en tant qu'homme, Fils de Marie par conséquent, qu'il est Prédestiné. — Le second mystère de Jésus-Christ, celui de sa Préconisation prophétique, ne se présente pas à nous sans associer Marie à la même grandeur; la Femme, la Vierge, est toujours montrée par les Prophètes en même temps que sa Semence, que le Fils, dont le propre nom de *Fleur*, de *Germe*, de *Fils*, qui lui est toujours donné dans les saintes Ecritures, appelle nécessairement celui de *Tige*, de *Femme*, de *Mère* qui lui est correspondant: Marie peut dire comme Jésus-Christ: C'est de moi que Moïse a écrit: En tête du livre il est question de moi.¹ — Le mystère, le grand mystère de l'avènement de Jésus-Christ, de l'Incarnation du Verbe, ne fait qu'un avec celui de l'Annonciation, de la Maternité divine: le même mystère

¹ Ps. 39, 8; Hebr., 10, 7.

qui produit un Homme-Dieu fait une Mère de Dieu. — Le Mystère de la Visite de Jésus-Christ à son Précurseur, et de la sanctification qu'il lui apporte, marche avec celui de la Visitation de Marie à Elisabeth; et le Saint-Esprit, par la bouche de celle-ci, ne bénit pas le Fruit sans bénir le Sein de Marie. Le mystère de la Nativité présente l'Enfant avec Marie sa Mère, reflétant sur elle l'éclat de sa divinité, et de la gloire que les Anges, les Bergers et les Rois lui décernent. — Le mystère de la Présentation s'enchaîne à celui de la Purification, et l'association de la Mère au Fils dans la grande destinée d'être en butte à la contradiction pour que les pensées des cœurs soient révélées va, dans la prophétie du vieillard Siméon, jusqu'à transpercer l'âme de la Mère du même glaive de douleur qui pénétrera dans celle du Fils. La fuite en Egypte et le retour à Nazareth nous font voir l'Enfant et la Mère étroitement unis dans le péril et dans le salut, et confiés, comme un seul dépôt, à la garde et à la fidélité de Joseph. — La manifestation de la sagesse de l'Enfant-Dieu au Temple, parmi les docteurs, ne peut se séparer de la manifestation de sa soumission prolongée à Marie pendant vingt années, et de la fidélité avec laquelle cette Mère gardait toutes ces choses en son cœur. Le début de Jésus-Christ dans la carrière de ses prodiges et la manifestation de sa gloire par le miracle de Cana, font éclater le glorieux mystère de la puissante intercession de Marie qui l'obtient de ce divin Fils, jusqu'à lui faire avancer l'heure de cette gloire. — Enfin quand cette heure est venue, cette grande heure de sa Passion et de sa mort qui doit être celle de notre rédemption et de son triomphe, le Sauveur du monde veut que sa Mère soit à ses côtés, qu'elle partage ses souffrances libératrices, ce calice d'amertume et de mort qui doit épuiser la colère céleste; il veut que sa Compassion réponde à sa Passion, et qu'elles se redoublent réciproquement pour concourir à la même fin: nous enfanter à la vie de Dieu; jusqu'à constituer Marie notre Mère, par le même mystère qui rend Dieu notre Père.

« On le voit: tous les mystères de Jésus marchent ainsi accompagnés d'un mystère correspondant de Marie. Ce sont comme deux voix, deux instruments, inégaux de ton, mais formant toujours un parfait accord d'harmonie. Marie est comme cette nuée sur laquelle le soleil, par la réflexion de ses rayons, vient se représenter lui-même en une clarté brillante formant un autre soleil autour de lui, par ce phénomène lumineux qu'on appelle Parhélie. Ainsi, autour de chaque mystère, de chaque grandeur et de chaque gloire de Jésus-Christ, il y a un mystère lumineux, une grandeur et une gloire correspondante en Marie. C'est un fait, et un fait si constant, qu'il suppose une économie, une loi.

« Comment se pourrait-il maintenant que le mystère de l'Ascension fût le seul mystère de Jésus-Christ qui n'eût pas son Parhélie dans un mystère conforme en Marie? Comment deux destinées si merveilleusement entrelacées dès leur origine et dans tout leur cours feraient-elles divorce à leur terme: anomalie d'autant plus choquante, que c'est en vue du terme qu'elles ont été si étroitement associées dans leur prédestination et dans leur cours?

« L'Assomption de la très sainte Vierge vient donc, avec l'Ascension de Jésus-Christ, compléter admirablement le merveilleux *duo* de leurs destinées, autant qu'elle sort, qu'elle s'élève, selon que nous l'avons vu, de tous les mystères de la vie de la Sainte Vierge considérés séparément » (NICOLAS, *La Vierge Marie d'après l'Évangile*, c. 22, pp. 527-529, ed. Paris, 1880).

3) *Principium analogiae, in Magisterio ecclesiastico fundatur.* Saepe enim Pontifices intimam indissolubilemque coniunctionem Deiparae cum Christo, tamquam « adiutorium *simile sibi* » efferunt. Agunt enim de « perpetua cum Iesu filio, ad gaudia et lacrimas, communionem vitae instituta » (Leo XIII, in *Encycl. Magnae Dei Matris*, t. 3, p. 150); asserunt B. Virginem « vitam ipsam Filii vixisse » (Pius X, *Ad diem illum*, t. 1, pp. 74-76); asserunt quod « Utriusque (Filii et Matris) magnitudo dignitatis, utriusque ministerii fructus vivo in lumine apparent, si quis Mariam religiose considerat mysteria gaudii, doloris, gloriae cum Filio sociantem » (Leo XIII, *Adiutricem populi*, t. 4, p. 246). Pius X similitudinem Mariae cum Christo in ipso merito omnium gratiarum extollit: « A Christo ascita in humanae salutis opus, de congruo, ut aiunt, promeret nobis quae Christus de condigno promeruit » (*Ad diem illum*, t. 1, p. 30).

4) *Principium analogiae, tandem, fundatur in primo principio Mariologiae.* Ratione enim *maternitatis divinae* B. Virgo in *eodem ordine* ponitur cum Christo; similitudo vero analogica ordinis, similitudinem analogicam privilegiorum exposcit. Natura ipsa inter matrem et filium similitudinem ponit. Insuper, quilibet optimus filius felicem se existimat cum Matrem, quantum {possibile est, participem reddere potest illorum bonorum et honorum quibus ipse gaudet; perfectissimus inter filios, Iesus, hoc perfectissime praestare debuit.

Ratione vero *consortii* in universo opere salutis, inter socios similitudo quaedam exigitur, in qualitatibus, in laboribus, in gloria.

3. De applicatione principii analogiae.

Iuxta P. BOVER (*Estudios Marianos*, III, 1944, p. 28) munus proprium principii analogiae non est iam praerogativas marianas probare (illas ex praerogativis Christi deducendo) sed potius « determinare modum iuxta quem praerogativa quaedam, iam cognita, inveniatur in Maria. At hoc nobis videtur sat parum. Putamus enim principium analogiae, ex seipso, nos ducere posse, saltem, ad *probabilitatem* aut praesumptionem quamdam, videlicet: posita similitudine quae habetur inter Christum et Mariam, (seu, vi principii analogiae) ex determinata quadam praerogativa Christi concludere possumus, saltem cum probabili fundamento, ad existentiam eiusdem praerogativae in B. Virgine. Ita, e. g. ex eo quod Christus mortuus est, deduci potest, cum probabilitate (non vero cum certitudine) B. Virginem etiam mortuam esse. Ad certitudinem autem habendam, alia argumenta, ex S. Scriptura et ex Traditione desumpta, requiruntur.

2) - De principiis secundariis particularibus

Praeter principia quaedam saecundaria *universalia*, dantur etiam principia quaedam saecundaria *particularia*, qualia sunt illa quae Corredemptionem, seu melius, Mediationem respiciunt, quaeque *soteriologica* appellari possunt. Haec autem principia soteriologica tria sunt: principium *recirculationis* seu reversionis, principium *consociationis* seu consortii et principium *solidarietatis*.

Primum locum tenet principium *recirculationis*, vi cuius Deus, in reparatione generis humani, eandem viam tenuit ac diabolus in ruina eiusdem. Quapropter Christo, novo Adae, associavit Mariam, novam Evam, et ideo, post principium *recirculationis*, sequitur, secundo loco, principium *consociationis* seu consortii. Quia vero Deus decrevit ut reparatio fieret a novo Adamo et a nova Eva per viam rigorosae iustitiae, voluit ut, per Mariam, Deus Redemptor *solidalis* fieret cum hominibus. Hinc sequitur, tertio veluti loco, principium, uti aiunt, *solidarietatis*. Problema Corredemptionis Marianae totum tribus istis principiis innititur. Ex ordine igitur agendum est:

- 1) *De principio recirculationis.*
- 2) *De principio consociationis.*
- 3) *De principio solidarietatis.*

1) De principio recirculationis¹

Duo sunt expendenda: natura eius et fundamenta.

1) **Natura.** Primus qui usus est voce *recirculatio* videtur esse S. Irenaeus. A quibusdam Mariologis recentioribus vocatum est etiam principium *retroversionis* vel *inversionis*, vel etiam principium *novae aut secundae Evae*.

Enunciari potest hoc modo: «Ordo reparationis, iuxta Dei consilium, oppositus est, per parallelismum antitheticum, ordini ruinae».

Dicitur: a) *ordo*, quia seriem ordinatam rerum comprehendit, videlicet, ad ea omnia se extendit quibus genus humanum reparatum est;

b) *reparationis*, ad characterem soteriologicum praedicti ordinis exprimentum;

c) *oppositus, per parallelismum¹ antitheticum, ordini ruinae* ... Series enim personarum et factorum quae invenitur in reparatione, opponitur seriei personarum et factorum quae invenitur in ruina duplici modo, videlicet: modo paral-

¹ Cfr BOVER J., *Soteriologia Mariana*, p. 64-72, — *Deiparae Virginis consensus*, p. 306-326. — CAROL J. B., *De fundamento proximo Corredemptionis Marianae*, in *Marianum*, 1 (1939) 173-187.

lelo, seu per similitudinem, et modo antithetico, seu per oppositionem. Quapropter in reparatione eadem *substantialiter* (non vero omnia elementa, etiam accidentalia) inveniuntur quae habentur in praevicatione. Haec autem substantialia elementa sunt, *principaliter*: 1) *Adam*, seu homo, qui peccavit; 2) *Eva*, seu mulier, quae virum ad peccandum induxit; *secundario* vero: 1) *serpens* diabolicus, qui mulierem seduxit; 2) *arbor* cuius fructus materiam prohibitionis constituebat. Elementis istis respondent, *principaliter*: 1) *Christus*, novus Adam, qui, tamquam caput humanitatis, inobedientiae Aadae obedientiam opponit; 2) *Maria* nova Eva, quae intervenit efficaciter reparationi, sicut Eva intervenerat ruinae; *secundario* vero: 1) *Angelus Gabriel* et 2) *Arbor crucis*. Breviter: Christus-Adam; Maria-Eva; angelus-serpens; crux-arbor. Haec autem praecipua elementa reparationis, elementis praevicationis opposita, ex textibus Magisterii Ecclesiastici, S. Scripturae et traditionis aperte resultant, ita ut principium *recirculationis* solidissimum dici valeat. Nos autem, pro re nostra mariologica, principium *recirculationis* circumscribimus elementis: *Eva-Maria*.

2) **Fundamenta.** Principium *recirculationis* fundatur:

a) **In magisterio ecclesiastico.**

INNOCENTIUS III haec habet: « Oportebat enim, ut, sicut per feminam mors intravit in orbem, ita et per feminam vita rediret in orbem. Et ideo, quod damnavit Eva, salvavit Maria: ut, unde mors oriebatur, inde vita resurgeret. Illa consensit diabolo, et vetitum ponum comedit: ... ista credidit angelo, et Filium promissum concepit... » (PL 217, 581 s.).

PIUS IX B. Virginem vocat « alteram Evam » (Bulla *Ineffabilis*).

PIUS XI ita aiebat: « Maria SS..., donna, volle riparare al fallo della prima donna » (*Osserv. Rom.*, 22-23 dic. 1923).

PIUS XII: « Ipsa fuit, quae eundem Filium, nova veluti Eva, pro omnibus Aadae Filiis Aeterno Patri obtulit » (*Encycl. Mystici Corporis Christi*).

Haud raro principium *recirculationis* in variis Liturgiis exprimitur. Ita, e. g., in liturgia Romana: « De parentis protoplasti ... » etc.).

b) **In S. Scriptura.** In Veteri Testamento explicite principium *recirculationis* enunciatur in Protoevangelio (Gen. 3, 15). Ait enim Deus serpenti: « *Quia* fecisti hoc ... (seu, quia tu per mulierem decepisti virum et ideo genus humanum in suo capite perdidisti, ego per aliam mulierem genus humanum reparabo) inimicitias ponam inter te et mulierem etc... ».

Implicite vero, quoad Mariam, principium *recirculationis* enunciatur a S. Paulo in Ep. ad Romanos, 5, 18 s.: « Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic et per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae. Sicut per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita et per unius obeditionem, iusti constituentur multi ». Scimus ex narratione genesiaca Adam solum non fuisse in delicto contra obedientiam (quae

causavit damnationem generis humani) sed sociam habuisse Evam. Igitur, parallelismum Apostoli complentes et implicitum explicitum reddentes, iure dicimus: sicut inobedientiae Adae opponitur obedientia Christi, ita inobedientiae Evae opponitur obedientia Mariae. Insuper: sicut inobedientia Evae determinavit inobedientiam Adae (quae inobedientia causa fuit ruinae), ita obedientia Mariae determinavit obedientiam Christi (quae obedientia causa fuit redemptionis).

c) **In Traditione.** Plures Patres et Scriptores, pluribus modis, recirculationis principium enunciarunt. Primus fuit S. IUSTINUS qui scripsit: « Filium Dei ... intelligimus ... ex Virgine hominem esse factum, ut qua via initium orta a serpente inoboedientia accepit, eadem et dissolutionem acciperet » (PG 6, 709).

S. IRENAEUS, praeter rem ac S. Iustino significatam, terminum etiam « recirculationis » ad illam significandam adhibet: « Propter hoc lex eam quae desponsata erat viro, licet virgo sit adhuc, uxorem eius qui desponsaverat vocat: eam quae est a Maria in Evam *recirculationem* significans: quia non aliter quod colligatum est solveretur, nisi ipsae compages alligationis reflectantur retrorsus; ut primae coniunctiones solvantur per secundas, secundae rursus liberent primas » (PG 7, 958-960).

S. IOANNES CHRYSOSTOMUS nervose asserit: « Per quae diabolus nos expugnavit, per ea ipsa Christus eum superavit. En ipsa arma accepit, ac per eadem ipsum prostravit ... Virgo, lignum et mors nostrae gladis symbola erant ... Iam vide quomodo eadem ipsa nobis victoriae causa sint. Pro Eva Maria; pro ligno scientiae boni et mali, lignum crucis; pro morte Adami, mors Domini. Vides eum iisdem armis vicisse, et iisdem profligatum esse? » (PG 52, 767-768).

S. EPHRAEM SYRUS: « Pro serpente surrexit Gabriel, et pro Eva Maria Virgo... Eva debitrice facta est Deo ... idcirco per puellam salus mundo missa est ... Eva scripsit chirographum debiti, et Virgo solvit debitum ... Eva ceciderat: eam restituit Maria, et spes facta est exilibus eos reconciliatos in Eden redituros » (ed. Lamy, vol. 5, pp. 974-978).

THEODOTUS ANCYRANUS: « ... Pro ea quae ad mortem ministra exstiterat virgo Eva ... Virgo in vitae obsequium eligitur » (PG 77, 1426-1428).

S. ANDREAS CRETENSIS: « Muliebris sexus maledictionem primam corrigit, salutis inde ducto initio, unde initium fuerat peccati » (PG 97, 814).

IOANNES GEOMETRA: « Angelus mittitur propter angelum ... Et mulier propter mulierem eligitur » (PG 106, 818). « Sicut enim per unam et per unum ... maledictio et luctus, sic etiam nunc per unum et per unam benedictio et gaudium » (PG 106, 819).

Inter Occidentales digni sunt qui recenseantur:|

TERTULLIANUS qui, primus principium recirculationis enunciavit hisce verbis: « Deus imaginem ... suam, a diabolo captam, aemula operatione recuperavit » (PL 2, 827 s.).

S. AUGUSTINUS: «Iisdem gradibus, quibus perierat humana natura, a Domino Iesu Christo reparata est ... Per feminam mors, per feminam vita!» (PL 40, 655). Et alibi: «Huc accedit magnum sacramentum, ut quoniam per feminam nobis mors acciderat, vita nobis per feminam nasceretur» (PL 40, 302).

S. PETRUS CHRYSOLOGUS: «Audistis agi, ut homo cursibus eisdem, quibus dilapsus fuerat ad mortem, rediret ad vitam» (PL 52, 579).

S. BEDA VEN.: «Quia ergo mors intravit per feminam apte redit et vita per feminam» (PL 94, 9).

S. PETRUS DAMIANI: «Per mulierem infusa est maledictio terrae, per mulierem redditur benedictio terrae» (PL 144, 758).

HONORIUS AUGUSTODUNENSIS: «mortem quam femina mundo intulit, femina depulit» (PL 172, 903).

S. BERNARDUS: «Et quamquam illud aliter, quomodo vellet, perficere potuisset, placuit tamen ei (Deo) eo potius *modo* et *ordine* hominem sibi reconciliare, quo noverat cecidisse: ut, sicut diabolus prius seduxit feminam, et postmodum virum per feminam vicit, ita prius a femina virgine seduceretur, et post a viro Christo aperte debellaretur» (PL 183, 67). «Ut eadem via intraret antidotum, qua venenum intraverat» (PL 183, 327). «... Novum formaret Adam ex veteri, et Evam transfunderet in Mariam» (PL 183, 429 s.).

S. AMEDEUS EP. LAUSANNENSIS: «Decebat enim ut sicut per feminam mors, sic per feminam vita intraret in orbem terrarum. Et sicut in Eva omnes moriebantur, ita in Maria omnes resurgerent» (PL 188, 1311).

PHILIPPUS AB HARVENG: «Decebat namque, ut virgo esset quae mundum redimebat, quia virgo exstitit illa prima parens, quae totum mundum perdiderat» (PL 203, 520).

S. BONAVENTURA: «... ordo reparationis correspondeat ordini praevaricationis» (In 3 Sent., dist. 2, dub. 4).

2) De principio consociationis¹

1) **Natura.** Consociationis seu consortii principium ita definiri potest: «Moralis unio Christi et Mariae, a Deo effecta, ad dissolvenda opera diaboli». Consociatio seu consortium ergo non est ipsa redemptio, sed est unio ad redemptionem ordinata.

Hoc modo intellectum, principium consociationis est immediatum consecrarium principii recirculationis. Si enim ordo reparationis est oppositus ordini praevaricationis, sequitur quod sicut in ordine praevaricationis Eva socia fuit Adae, ita in ordine reparationis B. Virgo, nova Eva, socia sit Christi, novi Adae, modo tamen subordinato et dependente. Videtur ergo principium consociationis ulterior determinatio principii recirculationis.

¹ Cfr BOVER I., *Soteriologia Mariana*, p. 72-76; 176.

Animadvertendum est principium consociationis, ita intellectum, in principio maternitatis divinae, absolute loquendo, minime includi. Consociatio enim et maternitas sunt duae ideae formaliter distinctae quarum una reduci non potest ad aliam. Exurgit ergo consociatio ista non iam ex ipsa maternitate divina (a qua seiungi, absolute loquendo, potuisset) sed ex positiva voluntate Dei ita disponente ut maternitas divina B. M. Virginis, in praesenti ordine rerum, fieret maternitas soteriologica seu maternitas Hominis-Dei Redemptoris qua talis. Quod autem Deus ita reapse voluerit ut mater Christi fieret etiam eius socia in opere Redemptionis, aperte constat ex solitis argumentis nunc adducendis.

2) **Fundamenta.** Principium consociationis fundatur:

a) **In magisterio ecclesiastico.**

PIUS IX, in Bulla *Ineffabilis Deus* ait: « Sanctissima Virgo, artissimo vinculo cum Eo (Christo) coniuncta, una cum illo et per illum, sempiternas contra venenosum serpentem inimicitias exercens, ac de ipso plenissime triumphans... ».

LEO XIII pluries principium consociationis, in suis Encyclicis, enunciat. In Encycl. « Supremi apostolatus » ait: « Adlecta Dei Mater, et hoc ipso servandi hominum generis *consors* facta... ». In Encycl. « Iucunda semper »: « *Consors cum Eo* exstitit laboriosae pro humano genere expiationis ». In Encycl. « Ubi primum »: « Reparandi humani generis consortem ».

PIUS X, in Encyclica « Ad diem illum », Mariam dicit « participem passionum Christi *sociamque* ».

PIUS XI in Encycl. « Explorata res », ait: « Virgo perdolens redemptionis opus cum Iesu Christo participavit ». Et in Encycl. « Auspicatus profecto »: « Augusta Virgo ... ideo Christi Mater delecta est, ut redimendi generis humani *consors* efficeretur ». Et in sermone quodam haud dubitabat asserere: « Il Redentore non poteva, per necessità di cose, non associare la Madre sua alla sua opera » (cfr *Osserv. Rom.*, 1 dic. 1933).

PIUS XII, in Encyclica « Mystici corporis Christi », ita principium consociationis expressit: « Ipsa fuit, quae, *artissime semper cum Filio suo coniuncta*, eundem in Golgotha Aeterno Patri obtulit ».

b) **In S. Scriptura.** Principium consociationis, sicut et principium recirculationis, ex Protoevangelio (Gen. 3, 15) eruitur. « Ex insigni oraculo Geneseos — argumentatur Billot — edocemur, totius redemptionis nostrae ratio in quadam recirculatione contra diabolum consistere dicenda est... Quo fit ut novo Adae, id est Christo, *indissolubili nexu*, ad dissolvenda opera diaboli *coniungi debuerit* nova Eva, id est, Maria ». ¹

Eo vel magis quod ipsemet Adam ad culpam suam excusandam dixit: « Mulier quam dedisti mihi *sociam*, dedit mihi de ligno, et comedi » (Gen. 3, 12). Sicut

¹ *De Verbo Incarnato*, ed. 7, Romae, 1927, p. 386.

ergo prima mulier fuit « socia » in malo seu in praevaricatione, ita alia mulier, vi recirculationis, debuit esse « socia » in bono seu redemptione.

c) **In traditione.** Quamplurima sunt testimonia quae implicite principium consociationis enunciant, factum ipsum consociationis Mariae cum Christo in redemptione agnoscendo. Nos vero referimus hic tantummodo testimonia quaedam explicita.

GODEFRIDUS ADMONTENSIS: « Ista sollemnitas ... specialiter est eiusdem Genitricis suae, *cum qua* ipse Dominus et Redemptor salutem humani generis operari *voluit* » (PL 174, 37 s.).

PETRUS CELLENSIS: « Sine te quidem Dominus, per se solum, hominem creavit; sed *tecum* ... reparavit » (PL 202, 716 s.).

RICHARDUS A S. LAURENTIO: « Fuit Dominus cum ea, et ipsa cum Domino, in eodem opere nostrae redemptionis ... » (*De laudibus B. M. V.*, l. I, c. 5, n. 40).

S. ALBERTUS MAGNUS: « B. Virgo non est assumpta in ministerium a Domino, sed *in consortium et adiutorium*, iuxta illud: “ Faciamus ei adiutorium simile sibi ” ... B. Virgo ... est ... coadiutrix et socia, particeps in regno quae fuit particeps passionum pro genere humano » (*Mariale*, q. 42).

S. BONAVENTURA: « Sed ille (Christus) debebat ab ipsa adiuvari, ut adimpletur quod de Eo propheticè dictum fuit, Genesis secundo: Faciamus ei adiutorium simile sibi ... » (*Serm. 6 de Assumpt. B. M. V.*, op. 9, 704 s.).

S. THOMAS A VILLANOVA: « *Non est bonum hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi* ... De Christo, secundo Adam, et de Virgine intelligitur iste locus; nam revera Virgo fuit *socia et adiutorium* ... O fidelis socia, quomodo adiuvit Filium » (in *Concept. B. M. V.*, conc. 2).

3) De principio solidaritatis¹

1) **Natura.** B. Virgo, vi solidaritatis cum Adamo et cum universo genere eius quam communicavit Christo, reddidit Christum Redemptorem ex rigore iustitiae, et homines capaces redemptionis Christi.

Vi enim decreti divini, Deus voluit ut peccatum Adae repararetur ex toto rigore iustitiae. Iamvero, iustitia vindicativa postulat ut poena peccati reo qui peccatum contraxit infligatur, secus enim nova iniustitia haberetur. Ad peccatum ergo ex rigore iustitiae reparandum, necesse omnino erat ut Christus supra se peccatum Adae reciperet et in seipsum veluti transferret. Ad hoc autem necesse erat ut unum idemque, moraliter et iuridice, fieret cum Adam peccatore, in seipso, tamquam in capite, universum genus humanum transferendo et veluti in unum colligendo. Iamvero hoc fecit per incarnationem et vi incarnationis « ex muliere » (Gal. 4, 4). B. Virgo igitur, humanam naturam peccatricem Re-

¹ Cfr BOVER I., *Soteriologia Mariana*, p. 50-61; 124-168.

demptori praebendo, solidarietatem in ipsum transtulit sive cum natura sive cum peccato. In tantum autem potuit haec in Redemptorem transferre, in quantum et ipsa, titulo repraesentationis, duplicem illam solidarietatem (cum natura humana et cum peccato) possidebat. Tota humanitas et totum peccatum generis Adae adunata veluti erant in Maria. In Incarnatione vero et vi Incarnationis, illa transtulit in Christum, illum Redemptorem et homines redimibiles (seu redemptionis capaces) reddendo.

Principium igitur soteriologicum solidarietatis est principium christologomariologicum, et modum peculiarem determinat (rigor iustitiae) quo consociatio Mariae cum Christo in opere redemptionis practice effecta est.

2) **Fundamenta.** Principium solidarietatis fundatur:

a) **In magisterio ecclesiastico.**

S. LEO MAGNUS, characterem repraesentativum B. Virginis exprimit dicens: « Caro de Virgine sumpta, nos sumus » (PL 54, 231), eo quod nos omnes peccatores tunc repraesentabat et nos omnes, vi Incarnationis Verbi in suis visceribus, Redemptori qua tali incorporabat. Haec autem repraesentatio naturae humanae peccatricis ex parte B. Virginis in instanti Incarnationis, statim ac nuntium Angeli accepit, hoc modo exprimitur a Leone XIII in duobus Encyclicis: « Divina consilia addecet magna cum religione intueri. Filius Dei aeternus, cum ad hominis redemptionem et decus, hominis naturam vellet suscipere, eaque re mysticum quoddam cum universo genere humano initurus esset connubium, non id ante perfecit, quam liberrima consensio accessisset designatae matris, quae ipsius generis humani personam quodammodo agebat, ad eam illustrem verissimamque Aquinatis sententiam: *Per annuntiationem expectabatur consensus Virginis loco totius humanae naturae* » (*Acta S. Sedis*, 24, 195). Et alibi: « Nempe ipsa ... pacifici sacramenti nuntium, ab angelo in terras allatum, admirabili assensu, *loco totius humanae naturae*, exceptit » (l. c., 29, 206).

Etiam Pius XII, in Encyclica « Mystici corporis Christi » ait quod B. Virgo « *consensit loco totius humanae naturae, ut quoddam spirituale matrimonium inter Filium Dei et humanam naturam haberetur* ». Iamvero, si B. Virgo matrimoniale consensum dedit « *loco totius humanae naturae* », humanam naturam peccatricem, redemptionis indigam, *repraesentabat*, eamque, per suum liberum consensum, Redemptori qui eam a peccato liberaturus erat, incorporabat. Haec autem naturae humanae incorporatio aperte exprimitur a Pio X in Encyclica « Ad diem illum »: « Aeternum Dei Filium non ideo tantum concepit Virgo ut fieret homo, humanam ex ea assumens naturam; verum etiam ut, per naturam ex ea assumptam, mortalium fieret Sospitator ... In uno igitur eodemque alvo castissimae Matris, et carnem Christus sibi assumpsit, et *spiritale* simul corpus adiunxit, ex iis nempe coagmentatum, *qui credituri erant in eum*; ita ut Salvatorem habens Maria in utero, illos etiam dici queat gestasse omnes, quorum vitam continebat

vita Salvatoris. Universi ergo, quotquot cum Christo iungimur, ... de Mariae utero egressi sumus, tamquam corporis instar cohaerentis cum capite ».

b) **In S. Scriptura.** Iuxta S. Paulum, Christus, ad reparandum peccatum Aadae, capitis generis humani, identificavit semetipsum, moraliter et iuridice, cum universo genere humano peccatore, ita ut unicam personam moralem cum ipso, tamquam caput eius, constitueret, et ita peccatum in seipsum transferret, ad hoc ut illud destrueret. Ita « omnes in uno » fuerunt. Hoc autem Christus fecit cum in utero Virginis homo factus est, prout insinuat S. Paulus cum dicit: « Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati » (Rom. 8, 3), « factum ex muliere » (Gal. 4, 4), filia Aadae. In Incarnatione enim Verbum fuit « factum ex muliere » et sese exhibuit « in similitudinem carnis peccati », et ita, per mortem suam « damnavit peccatum in carne » (Rom. 8, 3), in qua peccatum regnabat.

In Incarnatione ergo, et vi Incarnationis « ex muliere », Christus solidarietatem contraxit cum natura et cum peccato naturae, induens coram Patre repraesentationem officialem naturae humanae et repraesentationem peccati. Haec autem duplex solidarietas et repraesentatio Ei a Matre sua collata est. Ad hoc autem ut in Christum hanc duplicem solidarietatem et repraesentationem officialem transferret, necesse omnino erat ut haec duplex solidarietas et repraesentatio officialis in ipsa quoque antea invenirentur. Nemo enim dat alteri quod non habet. Tota ergo natura humana et totum peccatum eiusdem naturae, *repraesentative* et officialiter, « recapitulata » erant in Maria, et ideo illa in Christum Filium suum, una cum natura humana quam ei communicavit, transferre potuit. Quapropter etiam de B. Virgine repeti potest id quod Apostolus de Christo dicit: « Eum qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso » (2 Cor., 5, 21).

Personaliter sine peccato, Maria et Christus *repraesentative* (quatenus repraesentabant universum genus humanum) peccatum erat, ut nos omnes per redemptionem iustos efficerent. Principium igitur solidarietatis in ipsa doctrina S. Pauli fundatur.

P. Bover, cui substantia eorum quae diximus, debetur, ulterius procedit, animadvertens harmoniam inter verba S. Pauli « factum ex muliere » (Gal. 4, 4) et verba Protoevangelii « semen mulieris » (Gen. 3, 15), quibus Redemptor designatur. Quaerunt interpretes: « Mulier » illa Protoevangelii est ne Eva, vel mulier in genere, vel Maria?... Varias rationes quae adduci solent pro una vel pro alia ex istis sentiis quae dividere solent interpretes, inter se convenire possunt in una quadam interpretatione complexa, iuxta quam « Mulier » ibi a Deo praenunciata proprie et principaliter est Maria, non tamen solummodo personaliter inspecta, sed investita, sicut Eva, suo modo, officio repraesentandi universum genus humanum. Exinde denominatio (mulier) tam characteristicam simulque tam comprehensivam et universalem. Et ideo iure quidem Redemptor « semen Mulieris » aut « factum ex muliere » dici potuit. Sicut Christus, iuxta S. Paulum, est

« Homo » per antonomasiam, ita et Maria, proportionaliter, est « Mulier » per antonomasiam (l. c., p. 61).

c) **In traditione.** Ex multis textibus SS. Patrum et Scriptorum constat Christum in Incarnatione ex Virgine et vi ipsius Incarnationis, duplicem strictissimam solidaritatem contraxisse, sive naturae sive peccati, cum universo genere humano (cfr Bover, l. c., pp. 145-149). Etiam pars Mariae, in hac duplici solidaritate Christi, ex universa traditione aperte patet. B. Virgo enim apparet tamquam universalis quaedam mulieris repraesentatio, seu tamquam illa in quam transfusa veluti est Eva, iuxta illud S. Bernardi: « Clementissimus artifex quod quassatum fuerat, non confregit, sed utilius omnino refecit, ut videlicet nobis novum formaret Adam ex veteri, et *Evam transfunderet in Mariam* » (PL 183, 429). Praeter hanc repraesentationem idealem, habetur repraesentatio quaedam iuridica, quatenus B. Virgo, prout docuit S. Thomas, consensum praebuit Incarnationi Verbi « loco totius humanae naturae » (*Sum. Th.*, III, q. 30, a. 1 c.). Idem repetunt S. Antoninus Florentinus, Suarez, Card. Toledo, Billuart, Sedlmayr etc.

At non desunt textus ex quibus apparet quomodo Maria, ratione divinae maternitatis, transmisit Christo, Filio suo, solidaritatem sive naturae sive peccati cum universa stirpe humana. Et primo quidem *solidaritatem naturae*. Saepe enim SS. Patres affirmant solidaritatem Redemptoris cum natura humana dependere a carne quam a B. Virgine accepit. Ita docuit e. g., S. Irenaeus: « Recapitulatus in se Adam, ipse Verbum existens ex Maria ... recte accipiebat generationem Adae recapitulationis ..., recapitulationem Adae in semetipsum faciens » (PG 7, 955). Verbis « generationem recapitulationis » — animadvertit P. Bover, l. c., p. 161 — *recapitulatio* (seu repraesentatio universae humanitatis) exhibetur tamquam terminus *generationis*.

S. CYRILLUS ALEXANDRINUS: « Cum sumptum ex muliere corpus suum fecisset, et *ex ea secundum carnem* esset genitus, hominis generationem per se *recapitulavit, nobiscum factus secundum carnem*, qui ante omnia saecula exstiterat ex Patre. Hanc nobis fidei confessionem sacrae Litterae tradiderunt » (PG 76, 23 s.).

S. HILARIUS: « Humani enim generis causa Dei Filius natus ex Virgine est..., ut, homo factus, ex Virgine naturam in se carnis acciperet, perque huius admixtionis societatem sanctificatum in eo universi generis humani corpus existeret » (PL 10, 66).

S. AMBROSIUS: « Suscipe me in carne, quae in Adam lapsa est. Suscipe me, non ex Sara, sed ex Maria » (PL 15, 1521). In carne Mariae, igitur, quam Christus accepit, nos omnes eramus. Hoc idem aperte asseritur a S. LEONE MAGNO dicente: « Caro de utero Virginis sumpta, nos sumus » (PL 54, 231).

Praeter *solidaritatem naturae*, B. Virgo communicavit Christo Filio suo *solidaritatem peccati*. Haec enim secunda solidaritas consecrarium est primae. Ratio enim ob quam Christus solidalis factus est cum peccato (imo, peccatum ipsum, repraesentative, factum est) in hoc praecise invenitur quod solidalis factus

est cum ipsa natura humana peccatrice. B. Virgo proinde, solidaritatem naturae Christo, sua materna actione, communicando, solidaritatem etiam peccati Ei communicavit. Attamen, haud inutile erit textus quosdam adducere communicationem huius secundae solidaritatis (solidarietas nempe cum peccato) exprimentes. Ita, e. g., S. PROCLUS ait: « Nisi enim me induisset, me non salvasset. Verum in ventre Virginis, qui sententiam tulerat, ille me, condemnationi obnoxium, assumpsit. Ibi enim admiranda commutatio intervenit: dato namque Spiritu, accepit carnem: idemque cum Virgine et ex Virgine » (PG 65, 687-690). Et alibi, hisce congruenter, in ore Christi ponit haec verba: « Nisi mortalis (i. e. peccatricis) naturae efficiar particeps, neque vos immortalis naturae participes efficiemini. Nisi imaginem terreni gustavero, numquam vos formam caelestis obtinebitis » (PG 65, 747).

BASILIIUS SELEUCIENSIS: « Alvum sanctam Deique receptricem in qua disruptum est peccati chirografum » (PG 85, 438).

THEODORUS MINIMUS MONEREMITA: « *Ave, gratia plena*, ... quae generis nostri peccatum in utero tuo demersisti » (cfr BALLERINI, *Sylloge*, 2, 233-235).

Hisce positis, quisque facile videre potest fecunditatem huius principii in quaestionibus respicientibus Mediationem universalem, seu, maternitatem spiritualem, corredemptionem et distributionem omnium gratiarum. P. Bover qui, primus omnium, principium hoc in plena luce ponere conatus est, haud dubitavit asserere: « Non dubitamus quod si actio ista Mariae in solidaritate humana Redemptoris plene cognoscatur, decursu temporis universam Soteriologiam Marianam nec non universam Mariologiam profunde transformare valeat » (l. c., p. 168).

* * *

Haec sunt principia quae in omnibus tractationibus mariologicis latent, quaeque cuilibet evolutioni doctrinae mariologicae, saltem latenter, praesunt.

Lumine horum principiorum, certe, non omnia Deiparae magnalia reserantur, at plurima. Numquam enim in terris neque in ipsa consummatione saeculorum, cum evolutio doctrinae marianae culmen adepta erit, eam plene cognoscere poterimus. Semper dicendum remanebit: nec oculus vidit, nec auris audivit nec cor hominis intellexit quae fecit Deus pro beatissima Matre sua. « Marie — scribit B. Grignon de Montfort — est l'excellent chef-d'œuvre du Très-Haut, dont il s'est réservé la connaissance et la possession » (*Traité de la vraie dévotion à la Sainte Vierge*, n. 5).¹

Nihil aliud igitur remanet quam cum S. Amedeo Ep. Lausannensi exclamare: « Vincimur, et nos vinci gratulamur » (Homil. IV, PL 188, 1325).

¹ Idem antea scripserat S. BERNARDINUS SENENSIS: « Tanta est perfectio Virginis, ut soli Deo cognoscenda reservetur » (Serm. 32, de *Conceptione*).

PARS QUARTA
BREVIS HISTORIA MARIOLOGIAE

PRAENOTANDA

Cum ad intelligendam expositionem systematicam Mariologiae valde conferat accurata notio evolutionis homogeneae huius doctrinae saeculorum decursu peractae, opportunum ducimus hic Mariologiae historiam per summa capita exponere.

Quaedam tamen in antecessum praenotanda veniunt circa huius historiae momentum et divisionem.

I. HISTORIAE MARIOLOGICAE MOMENTUM

Cum Mariologia partem haud exiguam theologiae constituat, historiam evolutionis eius, ab Apostolorum temporibus usque ad dies nostros, magni esse momenti neminem latet. Mariologia, enim, sicut et theologia, una cum stabilitate obiectiva veritatis revelatae, subiectivam evolutionem eiusdem, seu clariorem, in dies, cognitionem iugiter coniunxit.

Omnibus compertum est, revelationem christianam, morte Apostolorum clausam fuisse. Attamen, non omnes veritates, inde ab initio, explicite credendae fidelibus propositae fuerunt, neque ad omnes veritates (si fundamentales excipias) pastorum et fidelium mens statim directa est. Evenit igitur, veritatibus quibusdam, id quod stellis accidere solet. Quamvis enim omnes stellae hucusque detectae, et aliae quae nondum detectae sunt, semper in firmamento coeli fuerint, ita et veritates quaedam, praesertim mariologiae, (prout est, e. g., veritas Immaculatae Conceptionis) semper in firmamento Ecclesiae fuerunt, quamvis non semper saltem clare, perceptae fuerint. « Revelatio — scribit De Gruyter — est *thesaurus* veritatis. Est veluti pictura mirifica, eminens elegantia formarum, pulchra compositione colorum, apta dispositione totius: quamvis oculus primis aspectibus totum quidem videt artefactum in generali, accuratam delineationem singularum formarum praecise nondum perspicit; — quamvis colores aspiciat artificiose mixtos, elementa componentia nondum plene noscit; — quamvis omnes intueantur figurae, positionem uniuscuiusque partis relate ad totum nondum perfecte complectitur: u. v. perfectio, quae conspicienda traditur primo aspectu non hauritur. Ad hoc assidua requiritur consideratio, studium protractum, comparatio singulorum multipliciter instituta. Similiter est de revelatione, — in specie de revelatione mariologica, — quae Ecclesiae Christi tradita est. Tam perfecta est, ut spatium plurium saeculorum non sufficiat ut plene

perfecteque capiatur et penetretur a mente fidei. Ad hoc perpetua requiritur consideratio ac tempus quietum»,¹

Iamvero, perpetuam hanc considerationem obiecti revelati B. Virginem respicientis exponere, ad historiam mariologiae pertinet, cuius proinde momentum omnibus huius scientiae cultoribus statim apparet.

II. HISTORIAE MARIOLOGICAE DIVISIO

Historia Mariologiae, logice in quatuor veluti periodos dividi potest, sumpta hac divisione ex factis quibusdam momenta quaedam firma in evolutione Mariologiae determinantibus, videlicet:

1. **Prima periodus**, a temporibus Apostolorum usque ad Concilium Ephesinum (saec. I-V). Subdividi potest ista prima periodus in duplicem partem, videlicet:

1. *Ab Apostolis ad Concilium Nicaenum* (325).

2. *A Concilio Nicaeno ad Concilium Ephesinum* (431).

2. **Secunda periodus** sese extendit a Concilio Ephesino usque ad Protestantas. Haec secunda periodus subdividi potest in duas partes, videlicet:

1. *A Concilio Ephesino usque ad saec. XII.*

2. *A saec. XII usque ad tempus Protestantium* (saec. XVI).

3. **Tertia periodus**, a tempore Protestantium usque ad definitionem dogmaticam Immaculatae Conceptionis. Subdividi potest in duas partes, videlicet:

1. *A tempore Protestantium usque ad Iansenistas* (saec. XVIII).

2. *A tempore Iansenistarum usque ad definitionem dogmaticam Immaculatae Conceptionis* (1854).

4. **Quarta periodus** se extendit a definitione dogmatica Immaculatae Conceptionis usque ad dies nostros.

I

A TEMPORIBUS APOSTOLORUM USQUE AD CONCILIUM EPHESINUM

1. **Ab Apostolis ad Concilium Nicenum** (325).

In hac prima parte primae periodus, sive in scriptis sacris Novi Testamenti, sive in operibus Patrum, principia fundamentalia seu semina scientiae Mariologiae ponuntur.

In scriptis Novi Testamenti B. Virgo exhibetur sive *in sua missione* erga Deum (Maternitas divina) et erga homines (Mediatio), sive in sua eminenti personalitate morali. B. Virgo enim vocatur (*Luc.* I, 43) *Mater Domini* (*Kyrios*,

¹ *De Beata Maria Regina*, Boscoduci, 1934, p. 101.

id est, *Dei*, prout ex contextu evidenter apparet), Mater Christi vel Iesu (*Matth.*, 2, 11; *Io.*, 2, 1). Ab ipsa enim « Filius Altissimi » id est Deus vere concipitur in utero (*Luc.*, 1 31), vere nascitur (*Luc.*, 2, 7, 12) etc.

Nec minus aperte, in scriptis sacris, missio B. Virginis erga homines, seu eius *Mediatio* inter Deum et homines exprimitur. Apud Lucam enim (2) expetit ab Angelo, ex parte Dei, *liber* eius assensus ad hoc ut Mediator inter Deum et homines hunc mundum ingrediatur, et ideo tamquam socia, vinculis seu iuribus maternis erga victimam gaudens, Mediatori nostro libere coniungitur, praesertim in Templo (*Luc.*, 2, 22-38) et iuxta crucem (*Io.*, 19, 25-27), in universo mediationis opere. Innuitur, insuper, eius munus distribuendi gratias sive spirituales (in sanctificatione Baptistae, adhuc in utero matris existentis (*Luc.*, 1, 49-80), sive temporales (in primo miraculo, eius intercessione, in nuptiis Canae patrato *Io.*, 2, 1-11).

Praeter missionem erga Deum et erga homines, quae cardinem constituit totius Mariologiae, exprimitur in sacris scriptis personalitas vere singularis Matris Dei et Mediatrix hominum. Ipsi enim, prae omnibus aliis, fecit *magna* Omnipotens (*Luc.*, 1, 49). Effertur *plenitudo gratiae* et ideo caritatis (*Luc.*, 1, 28). Effertur eius *fides* (1, 45), eius *humilitas* (*Luc.* 1, 48), eius *Virginitas* sive ante partum (*Luc.*, 1, 26-38; *Matth.*, 1, 18-25) sive in partu (*Luc.*, 1, 34; 2, 7) et post partum (saltem implicite, *Io.*, 19, 26).

Universalitas cultus eius praedicatur (*Luc.*, 1, 48). Prophetia haec adimpleri incipit per acclamationem cuiusdam mulieris (*Luc.*, 11, 27). In Actibus Ap. dum in medio fratrum in caenaculo describitur, locus quem B. Virgo in Ecclesia occupat ostenditur (*Act.*, 1, 14). Haec eadem fundamentalia elementa mariologica, in quibus implicite universa scientia de B. Virgine continetur, inveniuntur passim, aliquando magis evoluta, in scriptis Patrum Antenicenorum.

Relate ad *divinam Maternitatem*, animadvertere possumus quod durante hac prima periodo, incipit usus vocis *Theotokos*. Primus qui ea probabiliter usus est, videtur fuisse *S. Hippolytus*. Terminus iste, apertissime et modo synthetico divinam maternitatem exprimens, cito absque ulla controversia recipitur et communis evadit. Invenitur enim in papyro quodam aegyptiano saec. II vel III, ubi oratio refertur « Sub tuum praesidium confugimus Sancta Dei Genitrix... ». Terminis *Theotokos* usi sunt Origenes, Pierius (valde probabiliter), S. Petrus Alexandrinus († 311), Alexander Alexandrinus († 328), incertum Concilium Antiochenum anni 324, Eusebius Caesariensis bis († 340) etc. *Mediatio* B. Virginis in nostra reconciliatione cum Deo, tamquam socia Redemptoris, seu *Corredemptrix*, in sua plena luce collocari incipit per notissimum parallelismum inter Evam et Mariam, qui parallelismum complet inter Adam et Christum existentem et ab Apostolo positum.

Primus qui talem antithesim exposuit videtur fuisse S. Iustinus; evolvitur a S. Irenaeo Lugdunensi (*Adv. Haer.*, III, 32; Harvey II, 123-124; V, 19, *ibid.*,

375-376), a S. Hippolyto (*Ep. ad Diognetum*, PG II, 1167-1186), a Tertulliano (*De carne Christi*, PL 2, 827-828), ab Origene (PG 13, 1819), a S. Methodio Olympiae (Com. X Virginum; III Tobia, 4, PG II, 1844 B). Huius frequentis parallelismi ratio in hoc invenitur quod lucta contra negatores divinae maternitatis insistere cogebantur in relationibus eiusdem maternitatis cum redemptione.

Mediatio in nostra regeneratione spirituali, seu *spiritualis maternitas* B. Virginis, sat aperte exprimitur a S. Irenaeo cum agit de vulva (Virginis) « quae *regenerat* homines in Deum » (*Adv. Haer.* IV, 33, 11). Etiam Origenes sat aperte legem huius spiritualis maternitatis exprimit quae in Calvario exerceri coepit (*Comm. in Ioan.* I, VI, ed. Preuschen, p. 8, PG 14, 32 A B).

Relate vero ad *personalitatem* Deiparae, clare affirmatur eius *perpetua virginitas*. Virginitas *ante partum* aperte docetur a S. Ignatio (*Ad Eph.*, 18, 2 Funck, I, 226-228). Allusio etiam fit ad virginitatem *in partu* (*Eph.*, 19, PG 5, 753). S. Iustinus tenet virginitatem *ante partum* et *in partu* privilegium Matris Christi fuisse contra Ebionitas asserentes Iesum esse Filium Mariae et Ioseph. Asserit enim conceptum fuisse « ex Virgine » διὰ τῆς παρθένου (*Dial. c. Tryph.*, 100, PG 6, 712), qui titulus, exinde, per antonomasiam Mariae tribui incipit. Pro S. Hippolyto, Maria est Virgo simpliciter, per antonomasiam: iugiter enim de *Virgine*, raro vero de Maria loquitur (e. g., *De pascha*, fragm. Nicetae, Achelis, 267). Virginitas sive ante partum, sive in partu, sive post partum invicte asseritur, pro prima vice, ab Origene (*In Mat.*, X, 17, Klostermann 21).

S. Petrus Alexandrinus primus est qui usus est titulo: *ἀει παρθένος*.

Clemens Alexandrinus (c. 150-215), primus omnium, asseruit fratres Domini fuisse filios Ioseph (ZAHN, *Forschungen*, III, 83). Attamen, iuxta Hegesippum († p. a. 180), qui traditionibus Palaestinensibus innitebatur, fratres Domini fuissent consobrini Christi (cfr NEUBERT, o. c., pp. 198-208).

Circa *sanctitatem* Deiparae animadverti potest quod S. Hippolytus immunitatem B. Virginis a peccato absque ulla vel minima limitatione admittit, et ideo implicite immunitatem a culpa originali profiteri videtur. Iuxta Origenem, B. Virgo est mulier perfectissima, feminarum exemplar. Admittit etiam in Deipara singularem scientiam. Attamen, B. Virgini tribuit aliquem defectum in fide tempore Passionis, quatenus una cum Apostolis scandalum passa esset.

In hac prima aetate, igitur, omnia principia fundamentalia Mariologiae, postea evolvenda, iam posita inveniuntur. Praecipue vero causae ob quas in hac aetate antenicaena, Mariologia maiorem evolutionem suscipere non valuit, duae esse videntur: 1) attentio fere exclusiva Patrum ad praecipuum et centrale doctrinae christianae caput, seu ad Christum, variis erroribus tunc impetum (Docetismus, Apollinarismus, Arianismus etc.); 2) continua fere persecutio trium priorum saeculorum sive in Oriente, sive praesertim in Occidente. Animadverti etiam debet quod plura scripta huius aetatis perierunt.

2. A Concilio Nicaeno ad Concilium Ephesinum (431).

Principia fundamentalia Mariologiae, ante Concilium Nicaenum iam posita, post Concilium Nicaenum, quinimmo occasione huius Concilii evolvi incipiunt. Quamvis enim Arianismus, in Concilio Nicaeno condemnatus, directe dogma SS. Trinitatis impeteret, indirecte tamen et consequenter doctrinam christologicam et mariologicam impugnabat. Exinde Patres magis magisque coeperunt oculos in Beatam Virginem eiusque divinam Maternitatem intendere, ita ut triumphus Ephesinus gradatim pararetur.

In hac secunda aetate, eminent, inter Orientales, S. Ephraem Diaconus, S. Epiphanius Ep. Salaminus, S. Ioannes Chrysostomus et Chrysippus Presb. Hierosol. Inter Occidentales vero eminent S. Ambrosius, S. Zeno Ep. Veronensis, S. Gaudentius Ep. Brixianus, Aurelius Prudentius Clemens, S. Hieronymus, S. Augustinus.

Momentum nec non amplitudinem doctrinae mariologicae horum Patrum et Scriptorum in decursu huius voluminis iam sufficienter exposuimus.

II

A CONCILIO EPHESINO AD TEMPUS PROTESTANTIUM

I. A Concilio Ephesino usque ad saec. XII.

Solemnis definitio maternitatis divinae a Concilio Ephesino lata et magno populi plausu excepta, maxima causa fuit evolutionis scientiae marianae, praesertim in Oriente. Non enim pari gressu Mariologiae profectus in Oriente et in Occidente procedit. In Oriente enim, Mariologia, saeculo VIII cum S. Ioanne Damasceno, ad perfectionis culmen pervenit; dum in Occidente, durante eadem aetate, relative exigua evolutio mariologica apparet. Separatim ergo de Mariologiae progressu in Ecclesia Orientali et in Ecclesia Occidentali agendum est.

In ORIENTE: dum ante Concilium Ephesinum Patres et Scriptores in conceptu Mariae *novae Evae* seu Mediatrix in opere reconciliationis, insistebant, post Concilium Ephesinum quam maxime *in maternitate divina* et in quaestionibus cum ipsa connexis insistere coeperunt, praesertim in homiliis Annunciationis, quae saepe homiliae « de Theotòkos » appellatae fuerunt. Terminus « Theotòkos » fit deinceps veluti *tessera fidei*, et Deipara, stylo effuso Orientalibus proprio, quam maxime extollitur. Sit in exemplum homilia S. Proclo attributa: ¹ « Nil igitur in mundo (tale) est, qualis Dei Genitrix Maria. Perlustra, o homo, cogitatione tua totam creaturam et vide, num aliquid sit sanctae Virgini Mariae aequale aut (ea) maius. Percurre terram, circumspice mare, §scruta aërem; coelum mente excute; invisibiles virtutes animo expende, ac vide num alterum

¹ Iuxta recentiores videtur potius Attico, Patr. Constantin. tribuenda.

detur huiusmodi miraculum in tota creatura...». (cfr LEBON, *Discours d'Atticus de Constantinople « sur la sainte Mère de Dieu », Le Muséon*, 46 (1933), pp. 188-190).

Inter strenuos defensores termini «Theotòkos» et laudatores Deiparae, praecipuis recenseri meretur S. Cyrillus Alexandrinus, praeses Concilii Ephesini, nomine Romani Pontificis.

Simul cum Maternitate divina Virginitas Deiparae, non solum ante partum et in partu (sicut in praecedentibus saeculis), sed etiam post partum (ante a S. Ephraem et a S. Epiphanio propugnata) ab omnibus Patribus Orientalibus huius aetatis, nemine excepto, invicte asseritur, veluti veritas ad fidem pertinens, obiectionesque contra ipsam valide diluuntur. Ita S. Cyrillus Alex., qui Mariam appellat « coronam virginitatis », ¹ Theodotus Ancyranus, ² Esychius Patr. Hyerosol. ³ (qui Mariae etiam immunitatem a concupiscentia tribuit), Anastasius I Antioch., ⁴ etc.

Relate *ad sanctitatem* Deiparae, haec miris modis extollitur: appellatur enim *παρὰ γὰ* (ita S. Cyrillus Alex.), ⁵ « Mater sanctitatis » (ita Theodotus Ancyranus), ⁶ « templum sanctitatis » (idem), ⁷ et dicitur eminere inter omnes sanctos a nobis veneratos (ita Basilius Seleuciensis), ⁸ « sanctior sanctis » (S. Germanus), ⁹ « unica virgo corpore et anima sancta (Ita Pseudo-Gregorius Thaumaturgus). ¹⁰

Veritas immunitatis B. Virginis a qualibet culpa actuali evolvi incipit. Etenim, vetus exegesis origeniana « de gladio dubitationis » animam Virginis iuxta crucem transfigentis, quam quidam antea secuti fuerant, paulatim emendari videtur, ita ut ex dubio *culpabili* gradatim transitus fiat ad dubium, probabiliter tantum, inculpabile seu ad tentationes quasdam contra fidem, animam Deiparae perturbantes. Ita S. Cyrillus Alex., ¹¹ Theodotus Ancyranus, ¹² Abraham Ephesinus. ¹³

S. Ioannes Damascenus aperte immunitatem admittit ab omni culpa actuali. Idem admittere videtur S. Andreas Cretensis, asserens B. Virginem fuisse plene in omnibus puram, sive quoad corpus, sive quoad animam.

¹ Hom. ex div. 4, PG 77, 992.

² Or. 2, *In Incarn. Dom.*, PG 65, 700.

³ Or. 4 *In Deip.*, PG 93, 1460-61.

⁴ Or. 2 *In Deip.*, PG 89, 1377.

⁵ Homil. ex div. 4, PG 77, 992 b.

⁶ Hom. 4 *In Deip.*, PG 77, 1396.

⁷ Ibid.

⁸ Or. 39 *In Deip.*, PG 85, 449.

⁹ *In Praesent. I*, PG 98, 308.

¹⁰ Hom. I *In Ann. Virg. Mar.*, PG 10, 1148-48.

¹¹ *In Luc.*, [PG 72, 505. Alibi tamen fere aperte fatetur B. Virginem scandalum passam fuisse in Passione et morte Filii (In Ioan., PG 74, 661; in Ioan. 19, 226-27).

¹² Hom. 2, PG 10, 1160.

¹³ Or. 4 *De Deipara*, PG 93, 1476.

Quaestio particularis de sanctitate initiali Deiparae, seu de immunitate a culpa originali, a nemine, explicite, proposita fuit. Allusiones tamen plus minusve aperte non desunt. Ita e. g. S. Sophronius asserit B. Virginem immunem fuisse ab omni macula, sive quoad corpus sive quoad animam; et docet neminem, sicut virgo, *praepurificatum* fuisse.¹

S. Andreas Cretensis asserit quod ex universa massa corrupta sola Virgo fuit non corrupta.² Et S. Germanus Mariam vocat fermentum reformationis Adae.³ Allusiones has fulcire videntur modi quidam dicendi sanctitatem Deiparae absque limite extollentes, nec non frequentissima oppositio inter Evam et Mariam. Attamen, fatendum est Severianum Gabalitanum⁴ et S. Cyrillum Alex. talibus dicendi modis usos esse ex quibus sat aperte resultat B. Virginem originale peccatum incurrisse. *Mediatio* B. Virginis, pariter, durante hac periodo, valde evolvitur. Virginis cooperatio immediata ad opus nostrae Redemptionis, haud raro sat aperte exprimitur. Ipsi enim aequae immediate ac Christo, omnes redemptionis effectus tribuuntur, e. g. a S. Cyrillo Alex.,⁵ ab Eyschio,⁶ a Pseudo-Gregorio Thaumaturgo,⁷ a Pseudo-Epiphanio⁸ etc. A S. Proclo appellatur «unicus pons inter Deum et homines». Antithesis inter Evam, quae fuit porta peccati, et Mariam, quae fuit porta vitae, frequenter evolvitur.

Pariter regeneratio nostra supernaturalis, haud semel memoratur. Ita, e. g. Theodotus Ancyranus¹⁰ Mariam vocat «Novam Matrem et novae generationis matricem», eo quod «apud ipsam est fons vitae». S. Nilus vocat illam veram Matrem omnium viventium.¹¹

Nec deest, aliquando, explicita professio circa cooperationem B. Virginis in *distributione omnium gratiarum*, apud S. Germanum,¹² S. Ioannem Damascenum,¹³ etc.

Munus regium Deiparae apparet apud S. Andream Cretensem,¹⁴ S. Germanum Constantinop.¹⁵ et praesertim apud S. Ioannem Damascenum, iuxta quem

¹ Sermo 2 *In Annun.*, ed. Jugie, *Byz. Zeitschrift*, 22 (1913) 57-58.

² *In Nativ. Deip.* 1, PG 97, 812.

³ *In Dormit.* 2, PG 98, 349.

⁴ PG 56, 497. Severianus primus est qui asserit B. Virginem solummodo in momento Annuntiationis liberatam fuisse a maledictione peccati. *Adv. Antropom.*, PG 70, 1129.

⁵ Homil. ex Div. 4, PG 77, 992, 993.

⁶ Serm. 6 *In Deip.*, PG 93, 1468.

⁷ Homil. 1 *In Deip.*, PG 10, 1148-49.

⁸ Homil. 5, PG 43, 488, *Ibid.* 492, 501.

⁹ Homil. *In Deip.*, PG 65, 680, 692.

¹⁰ Homil. 4 *In Deip.*, PG 77, 1392-96.

¹¹ *I Ep.*, PG 79, 180-81.

¹² *In Dormit.*, 2, PG 98, 349; *In S. Mariae Zonam*, *ibid.* 380 etc.

¹³ *In Dormit. Deip.* 2, PG 96, 752 B; 144 D etc.

¹⁴ Homil. 2, *In Dormit. Deip.*, PG 97, 1079 etc.

¹⁵ Homil. 1 *In Praesent.*, PG 98, 303, 310, etc.

Deipara est « Regina, hera, domina », « domina omnis creaturae »¹ etc. Relate ad Assumptionem Deiparae, primas allusiones invenimus apud S. Epiphanium,² saec. IV. Ab hoc saeculo usque ad saec. VII habentur tantummodo testimonia quaedam dubiae significationis.³ At saec. VII circa privilegium hoc explicita professio Hierosolymis habebatur: etenim, S. Modestus in homilia in *Dormitionem Deiparae*, explicitè asserit corpus incorruptum Deiparae in caelum assumptum fuisse.⁴ Idem explicitè docet S. Ioannes Damascenus.

Post S. Ioannem Damascenum, in cuius aetate Mariologia orientalis plenitudinem aetatis attingere visa est, vigor Mariologiae in Oriente paulatim extingui coepit. Plura tamen elementa mariologica inveniuntur adhuc apud S. Ioseph Hymnographum, Photium, Georgium Nicomediensem, Theognistem Monacum, Theodorum Abou-kurra, Nicetam David, Leonem Sapientem, S. Euthymium Constantinop., Petrum Ep. Argorum, Ioannem Geometram, Michaëlem Psellum, Ioannem Mauropum, Iacobum Monachum, Theophylactum Archiep. etc.

In OCCIDENTE: a Concilio Ephesino ad S. Bernardum, Mariologia in statu veluti adolescentiae invenitur. Errores enim christologici qui Orientem valde turbaverant et evolutioni Mariologiae aptam occasionem praeberant, parum vel nihil occidentalem plagam perturbaverant.

Quaedam tamen elementa mariologica inveniuntur apud S. Petrum Chrysologum, S. Maximum Taurinensem, S. Fulgentium, S. Eleutherium, S. Gregorium Turonensem, S. Venantium Fortunatum, S. Gregorium M. et praesertim apud S. Hildephonsum Ep. Toletanum, S. Bedam, Alcuinum, S. Ambrosium Autpertum, Fulbertum* Carnotensem, S. Petrum Damiani etc.

Elementa haec mariologica ad maternitatem divinam, ad Virginitatem perpetuam, ad sanctitatem (etiam *initialem* apud S. Maximum) et ad cooperationem ad opus redemptionis extenduntur. Nemo tamen ex scriptoribus istis, si S. Hildephonsum excipias, altitudinem Patrum et Scriptorum Orientalium eiusdem aetatis attigisse videtur.

2. A saec. XII usque ad aetatem Protestantium (Saec. XVI).

Incipit in Occidente, saec. XII, vera et scientifica evolutio Mariologiae, opera praesertim S. Anselmi et S. Bernardi. S. Anselmus (1109) « Theologiae Scholasticae Pater » in synthesim redigit quae ante ipsum de B. Virgine dicta fuerant, praesertim quae Mediationem universalem B. Virginis respiciunt. Ipse, insuper, controversiam magnam circa Immaculatam Virginis Conceptionem praeparavit, et de B. Virginis singulari puritate praeclarissima scripsit.

S. Bernardus vero (1135) qui « Doctor Marianus » per antonomasiam appellari potest, veluti anima fuit universi motus mariani saec. XII et XIII, praesertim

¹ Homil. 1 *In Dormit. Deip.*, PG 96, 670, 690, 719 etc.

² *Adv. haer.*, haer. 78, 11.

³ Cfr SIBUM L., *La mort et l'Assomption...* 529-549.

⁴ PG 86, 3693.

relate ad ea quae respiciunt Immaculatam Conceptionem et Mediationem universalem B. Virginis. Influxus eius in subsequentes aetates maximus fuit.

Sanctis Anselmo et Bernardo, adiungendi sunt Eadmerus, Hugo a S. Victore, S. Amideus Ep. Lausan., Arnoldus Carnotensis etc.

Saeculis subsequentibus (XIII, XIV et XV) haud parum evolutioni Mariologiae contulerunt S. Albertus M., S. Bonaventura, S. Thomas Aquinas, Scotus, Raymundus Lullus, Petrus Aureolus, Raymundus Iordanus, S. Bernardinus Senensis, Dionysius Carthusianus, Bernardinus de Bustis etc. Doctrina de Mediatione B. Virginis sive in acquisitione sive in distributione omnium gratiarum, et praesertim pia sententia de Immaculata Virginis Conceptione plenum veluti triumphum referre coeperunt. Sententia de Assumptione corporea B. Virginis communis evasit.

III

A TEMPORE PROTESTANTIUM USQUE AD DEFINITIONEM DOGMATICAM IMMACULATAE CONCEPTIONIS

1. A tempore Protestantium usque ad Iansenistas (Saec. XVII).

Cultus Marianus nec non doctrina circa *perfectionem* et *mediationem* universalem B. M. Virginis notabilem evolutionem iam acceperant, cum saec. XVI oppositio protestantica contra ipsam surrexit.

Viam Lutheri et Protestantibus praeparavit Erasmus Rotherodamensis, catholicus absque tamen sensu catholico, qui sub praetextu pugnandi contra quosdam abusos, plura contra Mariologiam traditionalem conscripsit. Haec oppositio erasmiana sponte oriebatur ex falso aut saltem incompleto conceptu quem ipse de natura theologiae habebat.

Theologia enim, iuxta ipsum, identificatur cum cognitione perfecta litterae SS. Librorum, ita ut vera theologia nequeat haberi nisi sit scripturistica et philologica. Seponi igitur debet, iuxta Erasmum, interpretatio vivens S. Scripturae a traditione ecclesiastica exhibita. Consequenter quilibet processus evolutionis homogeneae ope explicitationis veritatum in fidei deposito implicite et virtualiter contentarum, excludi omnino debet. Hoc falso principio posito, nil mirum si Erasmus asserere non erubuit se certum non fuisse B. Virginem cognovisse divinitatem Filii sui, eo quod in Scriptura non legatur. « Nusquam profecto legimus Christum vel a Matre vel a Ioseph fuisse adoratum pro Deo, cum esset infans » (cfr CANISIUS, *Polemicae Marianae*, lib. 3, sect. 2; BOURASSÉ, *Summa Aurea*, t. 8, coll. 1210-11). Pariter, quia plures tituli mariani (e. g. Regina, Domina mundi, Porta coeli, Stella maris etc.) non legebantur in S. Scriptura, parum ipsi placebant. Erasmus insuper nefandam methodum irrisionis inauguravit.

Attamen, hisce non obstantibus, Erasmus protestabatur: «Non derideo Virginem, sed hominum prodigiosam superstitionem» (*Apologia*, ed. Basil., Froben, p. 172).

Influxus nefastus Erasmi in Lutherum et in Protestantas, praesertim relate ad Mariologiam, haud parvus fuit. Celebre enim evasit effatum: «Aut Erasmus lutherizat, aut Lutherus erasmizat».

Idea quam Lutherus habebat de natura theologiae, ad negandam legitimam evolutionem doctrinae marianae recto tramite ducebat, non minus ac idea quam de natura theologiae fovebat Erasmus. Theologia enim, iuxta Lutherum, reducitur ad revelationem internam a Deo cuilibet animae communicatam per lectionem S. Scripturae. «Affectus fidei, scribebat, exercendus est in articulis fidei, non intellectus philosophiae» (*Opera*, Wittenberg, fol. 314, Prop. 41). Iste affectus fidei in Scriptura exerceri debebat. Posita hac theologiae conceptione conceptioni catholicae totaliter opposita, et praesertim posita oppositione idearum eius de peccato originali, de iustificatione et de Mediatione Christi cum doctrinis marianis tunc communiter in Ecclesia receptis, nil mirum si Lutherus doctrinam catholicam reiecerit circa perfectionem, sanctitatem et mediationem Deiparae, admissa tamen eius divina maternitate et perpetua virginitate. Negavit Immaculatam Conceptionem, quam tamen antea admiserat. Videre voluit in B. Virgine defectum aliquem seu melius debilitatem in fide (cfr GRISAR, *Luther*, Freiburg, 1911-12, t. 2, p. 199).

Negavit tandem mediationem B. Virginis in distributione gratiarum, dixitque intercessionem eius ab intercessione aliorum sanctorum minime differre, et blasphemiam esse B. Virginem vitam, dulcedinem et spem nostram vocare. Ratio vero quam contra mediationem marianam afferebat, erat haec: quomodo B. Virgo dici potest gratiarum divinarum dispensatrix, cum ipsamet gratiis divinis gavisa sit? (LUTHER, *Werke*, Erlangen, t. 6, p. 80).

Tandem, Lutherus contra cultum hyperduliae a catholicis Virgini tributum, acriter invexit, eo quod merita personalia B. Virginis non excedunt merita nostra (LUTHER, l. c. t. 15, pp. 495 sq.).

Lutherum secuti sunt, plus minusve in adversione contra Virginem, alii reformatores saec. XVI, videlicet Calvinus, Zuinglius, Brentius, Bullinger etc.

Contra pseudo-Reformatores insurrexerunt praesertim S. Petrus Canisius, in suo opere *De B. Virgine incomparabili*, S. Robertus Bellarminus in suis *Disputationibus* et in suis *Concionibus*, Suarez in *Disputationibus de Mysteriis vitae Christi*, Novatus in opere *De Eminentia Deiparae*, S. Laurentius a Brundisio in suo *Mariale* etc. Litteratura mariana saec. XVI litteraturam marianam omnium aliorum saeculorum excedit. Perfectio Deiparae, eius sanctitas seu immunitas a qualibet culpa sive originali sive actuali, eius universalis mediatio seu associatio Mediatori in universo mediationis opere, sive in acquisitione sive in distributione omnium gratiarum, eius cultus hyperduliae, in pleniori luce ac antea

a theologis huius aetatis ponuntur. Hinc magni Mariologiae progressus et bonum ex malo derivantur.

2. **A tempore Iansenistarum (Saec. XVII) usque ad definitionem dogmaticam Immaculatae Conceptionis (1854).**

Post oppositionem protestanticam contra Mariologiam traditionalem et contra evolutionem homogeneam eiusdem, fere statim orta est alia, nec minoris momenti, oppositio ex parte Iansenistarum. Iansenistae directe potius contra *cultum marianum* quam contra dogmata iam stabilita tela sua venenosa vertunt. Oppositio haec magis nefasta evasit ac oppositio protestantica ob duplicem causam, videlicet: 1) quia fuit magis directa dum oppositio protestantica fuit potius indirecta, consequenter scilicet ad impossibilitatem componendi proprios errores circa iustificationem per fidem cum doctrinis mariologicis tunc communiter receptis; 2) quia dum pseudo-Reformatores statim ab initio tamquam Ecclesiae fideique catholicae extranei ab omnibus habiti fuerunt, Jansenistae e contra et seipsos habebant et ab aliis habebantur tamquam domestici fidei veterem Ecclesiae doctrinam et disciplinam instaurare cupientes et ideo eorum nefastus influxus in catholicos facilius evasit.¹

Oppositio Iansenistica in triplicem periodum, iuxta maiorem vel minorem vehementiam, apte distingui potest,² videlicet: 1) periodus initialis seu Iansenistarum loci Port-Royal; 2) periodus codificationis errorum contra Virginem in op. «*Monita salutaria*»; 3) periodus actionis *Monitorum salutarium* in reformatione liturgica, gallicana et Iansenistica.

1) In prima periodo oppositio minima fuit, ita ut priores Jansenistae (i. e. Iansenistae Porti Regalis, St. Cyran, Nicole, Singlin, Arnauld etc.) parum vel nihil a traditione catholica circa B. Virginem eiusque cultum recedere videantur. In Constitutionibus enim Porti Regalis, B. Virgo salutatur «*Notre reine, notre médiatrice, notre avocate*» (SAINT CYRAN, *Considérations*, t. 2, pp. 264-265). Ponuntur tamen, in hac prima periodo, germina oppositionis, videlicet; *a*) larvatus reditus ad doctrinam et praxim primitivae Ecclesiae, a quibus igitur fideles recessisse supponuntur; *b*) approbatio ardoris plena operis *Augustinus* (a Iansenio compositum, et Lovanii, a. 1641 primum editum) cuius erratum systema circa gratiam et principia erroris plena, cum filiali et traditionali pietate fidelium erga Virginem componi non poterant. Hinc aversio, nec non oppositio, prout videbimus, in dies succrescens contra pietatem catholicorum erga B. Virginem. «*Il serait le livre (ita scribebat St. Cyran de opere Augustinus) de dévotion des derniers temps, il durerait autant que l'Eglise et, quand le roi et le Pape se joindraient ensemble pour le ruiner, il était fait de telle sorte qu'ils n'en viendraient jamais à bout*» (LANCELOT, *Mémoires ...*, t. I, p. 107).

¹ Cfr DE GRUYTER, o. c., p. 109.

² Cfr DILLENSCHNEIDER, o. c.

2) Ex maleficis germinibus antea positis, orti sunt paulatim errores directe contra cultum marianum, indirecte vero contra fundamenta dogmatica eiusdem. Errores isti in systema redacti fuerunt ab Adamo Widenfeldt, iureconsulto Coloniensi, ex Protestantismo ad fidem catholicam converso, in famigerato opere *Monita salutaria B. Mariae Virginis ad cultores suos indiscretos*, edito circa finem novembris a. 1673. Scopus antimarianus huius operis manifeste apparebat in praefatione ad primam editionem versionis gallicae, in qua legebatur quod opus dirigebatur « à faire voir que notre religion ne consiste point en des dévotions envers la Sainte Vierge, mais qu'elle s'occupe toute à connaître Jésus-Christ, pour l'adorer, n'ayant de confiance qu'en ses mérites » (cfr GRENIER, in op. *Apologie des dévots de la Sainte Vierge*, Bruxelles, 1675, p. 3). Verba haec catholicis auribus nefanda in subsequentibus editionibus ablata fuerunt. Libellus in Indicem librorum prohibitorum relatus fuit anno 1676. Attamen, hoc non obstante, influxus eius nefastus ubique, praesertim in Germania, in Gallia, in Italia, in Belgio, in Hollandia et in Anglia maximus fuit.¹

Opus *Monita*, nihil aliud est nisi echo praeiudicatarum opinionum Protestantium: saec. XVI circa abusus relate ad cultum marianum, circa unicum Mediatorem etc. In ipso dignitas Deiparae deprimitur, eius supereminens perfectio in dubium revocatur, eius officium Mediatricis universalis valde minuitur, ita tamen callide, ut simplices facili negotio decipiantur: « erreur déguisée sous des termes captieux et pleins d'artifice, proposée sous la forme trompeuse d'avertissements utiles et chrétiens, cachée sous un air de vérité qui impose et qui empêche d'en voir le danger... Rien de plus spécieux que les propositions qu'on nous fait; propositions équivoques, vraies dans un sens, fausses dans l'autre, toujours dangereuses, parce qu'elles ne tendent qu'à détruire toute notre confiance en cette Mère de miséricorde, qui doit être l'asile des pécheurs » (BOURDALOUE, *Œuvres*, Paris, Vivès, 1876, t. 3. p. 244).

« Les deux tiers des accusations formulées dans ce libelle sont des imputations malveillantes d'abus généralisés à plaisir ou qui n'existaient en fait que dans l'imagination de l'auteur » (DILLENCHNEIDER, o. c., p. 43).

Sic, e. g. haec in ore B. Virginis ponit: « Absit, ut dicas Deum non potuisse aut posse excellentiorem me creaturam facere; potentia Dei non exhauritur » (*Monitum* 10, cfr *Summa Aurea*, t. 5, col. 177).

« Nolite me in parallelo ponere cum Deo vel Christo... » (*Monitum* 2, ibid., coll. 181-82). B. Virginem in parallelo ponit cum hominibus, in ore eius haec verba ponendo. « conserva vestra sum » (*Monitum* 6, ibid., col. 166). « Non est pulchra dilectio quae Deo non tribuit omnia; illi soli debetur omnis laus, honor et gloria (I. Tim., 1, 17). Ego non quaero gloriam meam (Io., 8, 50), sed gloriam Eius qui creavit me et redemit me ». « Laus quae mihi defertur ut mihi, vana

¹ DILLENCHNEIDER, o. c., 79, 104.

est » (*Monitum* 6, *ibid.*, coll. 156 sq.). « Me et sanctos oportet colere cultu duliae, sive dilectionis et societatis; solum Deum vero cultu latriae ...; attende, ne dulia tua degeneret in adulterinam latriam et impingas in praeceptum divinum: Dominum Deum tuum adorabis et Illi soli servies » (*Monitum* 15, *ibid.*, col. 198). Contra mediationem Virginis praesertim, acriter insurgit, catholicorum sententias circa ipsam callide exaggerando ad illas radicitus evellendas: « Qui medicatricem et advocatam dicunt, non eo sensu dicant quo Filius meus proprie est mediator et advocatus: Ille Novi Testamenti Mediator est. Ille propriis meritis Deum placavit... nemo itaque haec mihi tribuat, numquid crucifixa sum pro vobis? » (*Monitum* 9, *ibid.*, col. 169). « Ne itaque me vocaveris salvatricem et corredemptricem » (*Monitum* 10, *ibid.*, col. 176). « Noli me colere ac si non sufficeret tibi Deus. Si Deum amas, nullo alio indiges » (*Monitum* 7, *ibid.*, col. 164). « Noli me colere ac si non daretur aditus ad Deum per Christum sine me » (*Monitum* 8, *ibid.*, col. 164). Series vero Monitorum per haec verba clauditur: « Beatus ille, qui cum Apostolo se nihil iudicat scire quam Iesum Christum et hunc Crucifixum ». Ex dictis aperte patet inspiratio nec non intentio protestantica Monitorum salutarium.

3) In tertia periodo, haec pernicioosa Monita in actum reducta apparent in reformatione liturgica Gallicana et Iansenistica. Sic suppressum fuit a Iansenistis festum Visitationis, Festum Annuntiationis vocatum fuit *Annuntiatio Dominica*; loco verborum antiphonae « Ave Maris stella »: « Sumens illud Ave, Gabrielis ore, funda nos in pace, mutans Hevae nomen », posita fuerunt verba: « Virgo singularis, vere vitae parens, quae mortem invexit, mutas Hevae nomen »; et verba « Solve vincla reis, profer lumen caecis, mala nostra pelle, bona cuncta posce », in haec alia mutata fuerunt: « Cadant vincla reis, lux datur caecis, mala cuncta pelli, bona posce dari ». Suppressa fuit strophæ: « Maria Mater gratiae... ». Iure scribebat Guéranger: « Les gens les plus bienveillants ou, si l'on veut les mieux prévenus, sont bien obligés de convenir que les rédacteurs ont eu l'intention expresse de diminuer les manifestations de la piété catholique envers la Mère de Dieu » (*Institutions liturgiques*, Paris, 1878-85, t. 2, p. 283).

Inter Iansenistas oppugnatores Mariologiae catholicae, recensendi sunt etiam Launoy (1603-78), Ballet (1649-1706) et Tillemont (1637-98), nec non, saltem a longe, Ludovicus Antonius Muratori (1672-1750), qui omnes vim *sensus fidelium* in evolutione homogenea dogmatis minime curarunt.

Contra errores Iansenistarum quamplurimi dimicarunt, inter quos eminent B. Ludovicus Grignon de Montfort († 1716), S. Alphonsus M. de Liguori († 1787), qui Doctores Mariani merito appellari possunt. Ipsis adiungi debent Aloysius Abelly (1603-1692), Ioannes Crasset S. I. (1618-1692), Henricus M. Boudon, « la bête noire des Jansénistes » (1624-1702), Bossuet (1627-1704), Bourdaloue (1632-1704), Theophilus Raynaud (1583-1632), Georgius De Rhodes († 1661), Contenson (1641-1674), P. Poiret (1584-1637) etc. Contra *Monita*

*salutaria*¹ praesertim et contra opusculum muratorianum *Della regolata devozione*, quamplurima scripta prodierunt.

Interim, ope praesertim discussionum, ad culmen evolutionis pervenit sententia de Immaculata Conceptione ita ut a. 1854 a Pio IX definita fuerit.²

IV

A DEFINITIONE DOGMATICA IMMACULATAE CONCEPTIONIS AD DIES NOSTROS

« La definición dogmática de la Inmaculada Concepción — scribit P. Bover — fué un gran señal aparecida en el cielo, que abrió una nueva era, no sólo para la piedad, sino también para la ciencia mariológica » (*Sintesis orgánica de la Mariología*, p. 3).

In hac tertia periodo enim Mariologia vere proprieque scientifica magnum progressum habere coepit. Tractatus de B. M. Virgine a tractatu de Verbo Incarnato frequenter a Theologis omnino distingui coepit, prout fecerunt Jamar, Terrien, Van Combrugghe, Card. Lépiciér, Campana, Müller, Iannotta, Merkelbach etc. Monographiae plures relate ad privilegia quaedam B. Virginis, praesertim vero Mediationem universalem, in dies publici iuris factae sunt a Jeanjacquot, Lépiciér, Bittremieux, Godts, Lebon, Le Rohellec, etc.

Mariologia moderna, iuxta P. Bover, tripliciter a Mariologia veteri distinguitur, videlicet: 1) *ob sanum positivismum*; unde fit ut hodierni Mariologi rationibus aprioristicis et congruentiae haud contenti, revelationis fontes, Scripturam scilicet et Traditionem diligenter et critice inquirant ad hoc ut certitudo scientiae necessaria habeatur; 2) *ob tendentias ad organicam unitatem totius tractationis*; hinc fit ut seriei quarundam veritatum plus minusve connexarum synthesis organica omnium elementorum praeferatur; hinc quaestio de principiis Mariologiae et praesertim de primo principio; 3) *ob diligentem inquisitionem historicam evolutionis singularum veritatum*; hinc fit ut Mariologus hodiernus varia veritatum stadia percurrere cupiat ad hoc ut videre possit quomodo et quibus mediis ad talem statum, saeculorum decursu, veritates pervenerint.

Causae progressus hodiernae Mariologiae plures sunt; praecipuae vero ad has reducuntur: 1) Apostolicae Sedis magisterium Mariologiae progressum inchoans et pluribus modis sustentans; 2) publicatio plurium documentorum sive Patres sive Liturgiam spectantium; 3) reflorescentia studiorum theologi-

¹ ROSKOVANY, *B. Virgo Maria Immaculata* ..., t. 3, 427-435; 666 sq.; t. 7, 138-158; 271-285; t. 8, 90, n. 22503; p. 572 c. et p. 698, n. 24377.

² Cfr ROSKOVANY, l. c., t. 9, pp.^o 533, 535.

corum iuxta principia et methodum S. Thomae; 4) acatholicorum oppositiones; 5) celebratio plurium Conventuum Marianorum de B. Virgine scientifice pertractantium; 6) ephemeridum evulgatio; 7) societatum Marianorum fundatio; 8) cathedrarum Mariologiae erectio.

1. Prima igitur causa hodierni progressus doctrinae marianae ex Apostolicae Sedis magisterio repeti debet. Iure animadvertit P. Bover: « La voz de Roma, que en otras ocasiones se mostró más conservadora que propulsora, ha tomado esta vez la iniciativa del movimiento » (l. c., p. 3). In celebri Encyclica *Ineffabilis Deus*, Pius IX plura principia fecundissima tradidit pro evolutione Mariologiae. Leo XIII, eius premens vestigia, decem Encyclicas Marianas ad Catholicum orbem direxit, ex quibus sat completa Mariologia erui potest. Pius X, occasione quinquagesimi anniversarii a definitione dogmatica Immaculae Conceptionis, Encyclicam edidit *Ad diem illum*, in qua plura elementa mariologica mediationem praesertim respicientia traduntur. Benedictus XV pluries in suis Encyclicis et Litteris Apostolicis veritates mariologicas exposuit. Officium et Missam in honorem B. Mariae Virginis omnium gratiarum Mediatrix, dioecibus Belgii concessit. Pius XI, praeter quam in duobus Encyclicis Marianis *Lux veritatis* et *Ingravescentibus malis*, pluries de B. Virgine, in suis praesertim sermonibus egit, quamplurimas veritates docendo.

2. Cum Apostolicae Sedis Magisterio, concurrat adinventio et publicatio plurium documentorum traditionis patristicae et liturgicae ex quibus plura elementa positiva pro organica extructione Mariologiae, hauriri potuerunt. *Collectio Patristica Migneana* (382 vol.), *Berolinensis* (40 vol.) et *Vindobonensis* (69 vol.), *Patrologia Orientalis Graffin-Nau* (24 vol.), *Corpus Scriptorum Christianorum Orientalium* (100 vol. circ.), *publicaciones liturgicae Londinenses et Mediolanenses*, *Monumenta Germanicae historiae*, Sectio: *Scriptores* (29 vol.), *Analecta hymnica medii aevi* edita a Blume et Dreves, *Texte und Untersuchungen ...* etc., veram aurifodinam pro scientia mariana constituunt. Ita orta sunt plura studia circa Mariologiam plurimorum Patrum, Doctorum et Scriptorum Ecclesiae.

3. Attamen Apostolicae Sedis impulsus et elementorum positivorum publicatio metam assequi non potuissent, absque reforescentia studii theologici, iuxta viam et rationem S. Thomae. « Conforme a la tendencia moderna de especialización o diferenciación, dentro del campo teológico, se ha cultivado con especial esmero la Mariología. El relieve dado a la Mediación universal, con el doble conato de rigor científico y de unidad sintética, que se ha propuesto organizar solidamente los datos vastísimos y complejísimos de la tradición, ha contribuido maravillosamente al progreso de la ciencia mariológica. El renacimiento teológico ha creado en la Soteriología Mariana una ciencia en cierto modo nueva, que ha repercutido favorablemente en la Mariología integral » (l. c., p. 4).

4. Huic evolutioni mariologicae, praeter refflorescentia studia theologica, haud parum contulerunt acatholicorum oppositiones. Statim enim post definitionem dogmaticam Immaculatae Conceptionis, quamplurima scripta ex parte acatholicorum, prout alibi exposuimus, prodierunt contra B. Virginem in genere, et praesertim contra novum dogma. Quapropter plura scripta apologetica ex parte catholicorum prodierunt, quibus varia privilegia mariana haud parum illustrata fuerunt.

5. Evolutioni mariologicae, insuper, haud parum contulerunt varii Conventus Mariani in variis orbis partibus celebrati. Primus Conventus Marianus celebratus fuit Liburnii anno 1895; secundus Florentiae anno 1897; tertius Augustae Taurinorum anno 1898; quartus Lugduni anno 1900. Hos primos Conventus Marianos nationales, subsecuti sunt Conventus Mariani Internationales Friburgensis (1902), Romanus (1904), Einsiedelnensis (1906), Caesaraugustanus (1908), Salisburgensis (1910), Trevirensis (1912). Inter varios Conventus Marianos nationales, digni sunt qui recenseantur Conventus Britannicus (Bretone) ab anno 1904-1924, Conventus Bruxellensis (1921) et Conventus Portlandiensis (1933), a Servitis Americanis promotus (cfr CAMPANA, *Maria nel Culto*, vol. 2, pp. 544-737). In omnibus hisce conventibus, varia privilegia mariana [non minus scientifice quam pie illustrata fuerunt, ita ut eorum acta Mariologiae fontes evaserint.

6. Recentiori tempore, insuper, plures Ephemerides Marianae prodierunt, in quibus plura studia mariana scientifice pertractata inveniuntur. Inter has Ephemerides dignae sunt quae recenseantur *Standaard Van Maria*, nec non *Regina dei Cuori* a Patribus Societatis Mariae Montfort editae. Deerant tamen Ephemerides stricte Scientificae mariologicis studiis provehendis. Huic defectui occurrerunt anno 1939 Patres Ordinis Servorum Mariae, Ephemerides trimestres Mariologiae edendo sub titulo *Marianum*. Iidem Patres Ordinis Servorum Mariae, Moderatore huius operis Auctore, incumbunt ad *Encyclopaediam Marianam* praeparandam, pluribus voluminibus constantem, in memoriam proximi primi centenarii definitionis dogmaticae Immaculatae Conceptionis.

7. Ad hoc autem ut Mariologi, collatis viribus, Scientiam Marianam promoveri possent, Societates quaedam Marianae institui coeperunt. Inde ab anno 1931 cura cl. Bittremieux instituti fuerunt *Dies Mariales* quolibet anno in Abatia Belgica vulgo Tongerlo celebrandi, in quibus varia argumenta mariana scientifice pertractantur. Anno vero 1935, fundata fuit *Societas Gallica pro Studiis Marianis* cuius opera quotannis prodiit volumen egregium varia studia mariana complectens in annuis Conventibus discussa, cui titulus *Bulletin de la Societé Française d'Etudes Mariales*. Novissime vero in Conventu Mariano Caesaraugustano (a. 1940) fundatae sunt etiam Societas Mariana Hispanica¹ nec non, nuperrime, Societas Mariana Lusitana.

¹ Cfr *Marianum*, 3 (1941), 78.

Opera vero Societatis Marianae Hispanicae in lucem editur, quotannis, inde ab a. 1941, volumen *Estudios Marianos*.

8. Tandem evolutioni Mariologiae haud parum contulerunt et conferunt variae Cathedrae Mariologiae in variis Athenaeis institutae.

Ita vera evadere incipit prophetia Ven. P. *Chaminade* Societatis Mariae Fundatoris. Ipse enim, sive suis discipulis sive Summo Pontifici Gregorio XVI aperte dixerat aetatem nostram fore aetatem Mariae, et Mariae triumphum ipsius Christi Ecclesiaeque triumphum allaturum esse.¹

¹ *Petit Traité de la connaissance de Marie.*

INDEX

<i>PROLEGOMENA: Quid sit Introductio in Mariologiam. – Introductionis necessitas. – Introductionis divisio</i>	9
--	---

PARS PRIMA

DE PRAELIMINARIBUS MARIOLOGIAE

I. De definitione Mariologiae	13
II. De modo dividendi Mariologiam	16
III. Mariologiae momentum sive excellentia.	24
IV. Mariologiae bibliographia generalis	28

PARS SECUNDA

DE FONTIBUS MARIOLOGIAE

I. DE MAGISTERIO ECCLESIASTICO	33
I). DE DOCTRINA MARIANA RR. PONTIFICUM	34
1. S. Leo M. (p. 34) – 2. S. Gregorius M. (p. 24) – 3. Innocentius III (p. 34) – 4. Bonifacius IX (p. 35) – 5. Eugenius IV (p. 36) – 6. Pius V (p. 36) – 7. Leo X (p. 36) – 8. Xistus V (p. 36) – 9. Paulus V (p. 37) – 10. Clemens XIII (p. 37). – 11. Pius VII (p. 37) – 12. Gregorius XVI (p. 38) – 13. Pius IX (p. 38) – 14. Leo XIII (p. 39) – 15. Pius X (p. 44) – 16. Benedictus XV (p. 47) – 17. Pius XI (p. 49) – 18. Pius XII (p. 50).	
II). DE LITURGIA ET ARCHAEOLOGIA MARIANA	50
II. DE SACRA SCRIPTURA	54
<i>Appendix I – De relativo silentio S. Scripturae circa B. Virginem.</i>	63
<i>Appendix II – De apocryphis marianis</i>	68
III. DE TRADITIONE	77
I). DE DOCTRINA MARIANA PATRUM	77
A) <i>Aetas antenicaena:</i>	
1. S. Ignatius Ep. Antioch. et M. (p. 78) – 2. S. Iustinus M. (p. 79) – 3. S. Irenaeus Lugdunensis (p. 79) – 4. S. Hippolytus Romanus (p. 86) – 5. Tertullianus (p. 88) – 6. Origenes (p. 89) – Alii minoris momenti (p. 93) – Synopsis doctrinae Patrum Antenicaenorum (p. 95).	

B) *Aetas Patrum Maiorum*

(a Conc. Nic. ad S. Leonem M.)

97

I. PATRES ORIENTALES:

1. S. Ephraem Diac. (p. 97) - 2. S. Basilius M. (p. 108) - 3. S. Epiphanius Ep. Salaminus (p. 108) - 4. S. Ioannes Chrysostomus (p. 113) - 5. Atticus Patr. Constant. (p. 115) - 6. Acacius Melitensis (p. 116) - 7. S. Cyrillus Ep. Alexandrinus (p. 116) - 8. S. Proclus Constantin. (p. 118) - 9. Severianus Ep. Gabalit. (p. 122) - 10. Theodotus Ancyrensis (p. 123) - 11. Cyrillonas Syrus (p. 123) - 12. Basilius Ep. Seleuciensis (p. 124) - 13. Paulus Emesenus (p. 126) - 14. Hesy-chius Presb. Hieros. (p. 126) - 15. Antipater Ep. Bostrensis (p. 128) - 16. Chry-sippus Presb. Hierosol. (p. 128).

II. PATRES OCCIDENTALES:

1. S. Ambrosius (p. 129) - 2. S. Zeno Ep. Veronensis (p. 138) - 3. S. Gauden-tius Ep. Brixiensis (p. 139) - 4. Aurelius Prudentius Clemens (p. 140) - 5. S. Hieronymus (p. 141) - 6. S. Augustinus (p. 144) - 7. S. Petrus Chrysologus (p. 151) - 8. Sedulius Caelius (p. 153) - 9. S. Maximus Ep. Taurinensis (p. 155).

C) *Aetas Patrum Minorum* (saec. VI-VIII)

157

I. PATRES ORIENTALES:

1. S. Leontius Byzantinus (p. 157) - 2. S. Romanus Molodus (p. 157) - 3. Abra-ham Ep. Ephesinus (p. 160) - 4. S. Anastasius I Patr. Antioch. (p. 160) - 5. S. Modestus Patr. Hierosol. (p. 161) - 6. S. Sophronius Ep. Hierosol. (p. 162) - 7. S. Ioannes Ep. Thessal. (p. 164) - 8. S. Germanus Ep. Constant. (p. 165) - 9. S. Andreas Ep. Cretensis (p. 170) - 10. Ioannes Eubaeensis (p. 176) - 11. S. Ioannes Damascenus (p. 177).

II. PATRES OCCIDENTALES:

1. S. Fulgentius Ep. Ruspensis (p. 185) - 2. S. Eleutherius Ep. Tornacensis (p. 187) - 3. S. Gregorius Ep. Turonensis (p. 187) - 4. S. Venantius Fortunatus (p. 187) - 5. S. Hildephonsus Ep. Toletanus (p. 189).

II) DE DOCTRINA MARIANA SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM

190

I. SCRIPTORES ORIENTALES:

- I). SAEC. IX: 1. S. Tarasius Patr. Constantin. (p. 191) - 2. S. Theodorus Studita (p. 192) - 3. Epiphanius monachus (p. 195) - 4. S. Ioseph Hymnographus (p. 195) - 5. Photius Patr. Constantinopolitanus (p. 195) - 6. Georgius Patr. Nicome-diensis (p. 196) - 7. Theognistes monachus (p. 196) - 8. Theodorus Abucaras Ep. Haran (p. 196) - 9. Simeon Metaphrastes (p. 197).
- II). SAEC. X: 1. Nicetas David (p. 197) - 2. Leo Sapiens, imp. (p. 197) - 3. S. Eu-thymius Patr. Constant. (p. 197) - 4. Cosmas Vestitor (p. 198) - 5. Petrus Ep. Argorum (p. 198) - 6. Ioannes Geometra (p. 198) - 7. S. Gregorius de Nareg (p. 198).
- III). SAEC. XI: 1. Michaël Psellos (p. 199) - 2. Ioannes Mauropus (p. 199) - 3. Iaco-bus monachus (p. 199) - 4. Theophylactus Arch. Bulgariae (p. 200).
- IV). SAEC. XII: 1. Ioannes Phournes (p. 200) - 2. Theodorus Prodromos (p. 200) - 3. Michael Glykas (p. 200).

- V). SAEC. XIII: 1. Neophytus Reclusus (p. 200) - 2. Germanus II. Patr. Constantin. (p. 201).
- VI). SAEC. XIV: 1. Ioannes Gabras (p. 201) - 2. Gregorius Palamas (p. 201) - 3. Nicolaus Cabasilas (p. 202) - 4. Matthaeus Cantacuz. (p. 205) - 5. Theophanes Ep. Nicaenus (p. 206) - 6. Isidorus Glabas (p. 208) - 7. Nicephorus Chumnus (p. 208) - 8. Maximus Planudes (p. 208).
- VII). SAEC. XV: 1. Demetrius Cydonius (p. 208) - 2. Emmanuel Paleologus (p. 209) - 3. Ioseph Briennios (p. 209) - 4. Georgius Scholarios (p. 209).
- VIII). SAEC. XVI: 1. Damascenus Studita (p. 209) - 2. Alexius Rharturos (p. 210).
- IX). SAEC. XVII: 1. Cyrillus Lucaris (p. 210) - 2. Gerasimus I. Patr. Alex. (p. 210) - 3. Nicolaus Cursulas (p. 210).
- X). SAEC. XVIII: 1. Elias Miniatis (p. 210) - 2. Macarius Patmensis (p. 211) - 3. Macarius Scordiles (p. 211).
- XI). SAEC. XIX: Antonius Amphitheatrov (p. 211).

II. SCRIPTORES OCCIDENTALES:

- I). SAEC. VIII: 1. S. Beda Ven. (p. 211) - 2. S. Ambrosius Autpertus (p. 211) - 3. Paulus Diac. Warnefridus (p. 212) - 4. B. Alcuinus (p. 212).
- II). SAEC. IX: 1. Haymon Ep. Halberstadt (p. 213) - 2. S. Paschasius Radbertus (p. 213).
- III). SAEC. X: 1. S. Fulbertus Ep. Carnotensis (p. 213).
- IV). SAEC. XI: 1. S. Petrus Damiani (p. 213) - 2. S. Anselmus Archiep. Cantuar. (p. 217).
- V). SAEC. XII: 1. Eadmerus Cantuar. (p. 224) - 2. Guibertus De Novig. (p. 224) - 3. Hugo a S. Victore (p. 224) - 4. S. Amedeus Ep. Lausan. (p. 225) - 5. S. Bernardus (p. 225) - 6. Guericus Abbas Igniac. (p. 236) - 7. Petrus Cluniac. (p. 237) - 8. Arnoldus Carnotensis (p. 237) - 9. B. Aelredus, Abbas Rievallensis (p. 237) - 10. Richardus a S. Victore (p. 237) - 11. Adam Praemonstratensis (p. 238) - 12. Serlo, Abbas O. C. (p. 238) - 13. Petrus Comestor (p. 238) - 14. Adam, Abbas Persenniae (p. 238) - 15. Petrus Cellensis (p. 238) - 16. Philippus ab Harveng, abb. B. S. (p. 239) - 17. Petrus Blesensis (p. 239) - 18. Helinandus Frigidi Montis (p. 239).
- VI). SAEC. XIII: 1. Honorius Augustodunensis (p. 239) - 2. Absalon Abbas Springkirchbac. (p. 240) - 3. S. Antonius Patavinus (p. 240) - 4. Richardus a S. Laurentio (p. 240) - 5. Vincentius Bellovacensis (p. 241) - 6. Card. Hugo a S. Charo (p. 241) - 7. S. Bonaventura (p. 241) - 8. S. Thomas Aquinas (p. 245) - 9. Conradus a Saxonia (p. 251) - 10. S. Albertus Magnus (p. 252) - 11. Iacobus a Voragine (p. 262) - 12. Gulielmus Ware (p. 262).
- VII). SAEC. XIV: 1. Ioannes Duns Scotus (p. 263) - 2. B. Raymundus Lullus (p. 265) - 3. Petrus Thomas (p. 267) - 4. Dantes Aligherius (p. 267) - 5. Petrus Aureolus (p. 267) - 6. Simon De Cassia (p. 269) - 7. Nicholaus Petri (p. 269) - 8. Richardus Radulphus (p. 269) - 9. B. Henricus Susonius (p. 270) - 10. Raymundus Iordanus (p. 270).

- VIII). SAEC. XV: 1. S. Vincentius Ferrerius (p. 270) - 2. Ioannes Gerson (p. 270) - 3. S. Bernardinus Senensis (p. 271) - 4. Ambrosius Spiera (p. 273) - 5. S. Antoninus Archiep. Flor. (p. 273) - 6. Ioannes Card. Turrecremata (p. 273) - 7. Leonardus Nagarolus (p. 274) - 8. Dionysius Carthusianus (p. 274) - 9. Thomas a Kempis (p. 274) - 10. Nicolaus Horius (p. 275) - 11. Gasparinus Borro (p. 275) - 12. Bernardinus de Bustis (p. 275).
- IX). SAEC. XVI: 1. Vincentius Bandellus (p. 276) - 2. Sylvester Prierias (p. 276) - 3. Card. Thomas de Vio (p. 276) - 4. Hieronymus ab Hangesto (p. 276) - 5. Tristanus De Ascanio (p. 276) - 6. Ioannes Faber (p. 277) - 7. Ambrosius Catarinus (p. 277) - 8. Ioannes Cochleus (p. 277) - 9. Philibertus Bonnet (p. 277) - 10. S. Thomas a Villanova (p. 277) - 11. Hieronymus Natalis (p. 278) - 12. Alfonsus Salmeron (p. 278) - 13. S. Petrus Canisius (p. 278) - 14. Prosper Rossetti (p. 279).
- X). SAEC. XVII: 1. Angelus Franciscus Tignosi (p. 279) - 2. Stephanus Mandez (p. 279) - 3. Antonius Dauroultius (p. 279) - 4. Ioannes a Iesu et Maria (p. 280) - 5. Petrus Antonius Spinelli (p. 280) - 6. Franciscus Suarez (p. 280) - 7. S. Laurentius a Brundusio (p. 281) - 8. S. Robertus Bellarminus (p. 283) - 9. Archangelus Ballottini (p. 283) - 10. S. Franciscus Salesius (p. 283) - 11. Iacobus Pontanus (p. 283) - 12. Laurentius Reyerlinck (p. 284) - 13. Card. Petrus de Bérulle (p. 284) - 14. Franciscus Poiré (p. 284) - 15. Laurentius de Aponte (p. 284) - 16. Stephanus Binet (p. 285) - 17. P. Sylvester Sáavedra (p. 285) - 18. Iustinus Miechow (p. 285) - 19. Iosephus De la Cerda (p. 285) - 20. Ferdinandus Quirinus Salazar (p. 285) - 21. Ioannes Bapt. Novatus (p. 285) - 22. Bartholomaeus de Los Rios (p. 286) - 23. Dionysius Petavius (p. 286) - 24. Marcellinus de Pisis (p. 287) - 25. Lucas Waddingus (p. 287) - 26. Martinus Philippus Convelt (p. 287) - 27. Ioannes Olier (p. 287) - 28. Angelus Paciuchelli (p. 287) - 29. Gerardus Baldi (p. 287) - 30. Paulus Barry (p. 288) - 31. Georgius de Rhodes (p. 288) - 32. Theophylus Raynaud (p. 288) - 33. Petrus Franc. Passerini (p. 288) - 34. Ioannes Iac. Schmidt (p. 289) - 35. Petrus de Alva y Astorga (p. 289) - 36. Christophorus Vega (p. 289) - 37. Maximilianus Reichenberger (p. 290) - 38. Vincentius Contenson (p. 290) - 39. Hippolytus Marracci (p. 290) - 40. S. Ioannes Eudes (p. 291) - 41. Aloysius Franciscus d'Argentan (p. 291) - 42. Aloysius Abelly (p. 292) - 43. Ioannes Crasset (p. 292) - 44. Nicolaus Pallavicinus (p. 292) - 45. Paulus Segneri (p. 292) - 46. Henricus M. Boudon (p. 292) - 47. Iacobus B. Bossuet (p. 293) - 48. Aloysius Bourdaloue (p. 293).
- XI). SAEC. XVIII: 1. B. Ludovicus Grign. De Montfort (p. 293) - 2. Iacobus Wenner (p. 295) - 3. Carolus Del Moral (p. 295) - 4. Ioannes Bapt. Van Ketwigh (p. 295) - 5. Hyacinthus Serry (p. 295) - 6. S. Leonardus a Portu Mauritio (p. 295) - 7. Amideus Markel (p. 295) - 8. Caesarius M. Shguanin (p. 296) - 9. Ioannes Chrysostomus Trombelli (p. 296) - 10. S. Alfonsus M. de Liguori (p. 297).
- XII). SAEC. XIX: 1. Gulielmus Ioseph Chaminade (p. 301) - 2. Ioannes Bapt. Malou (p. 301) - 3. Ioannes Iacobus Bourassé (p. 301) - 4. Ludovicus a Castroplanio (p. 302) - 5. Rohault de Fleury (p. 302) - 6. Carolus Passaglia (p. 303) - 7. Ioseph Schoeben (p. 303) - 8. Augustus Nicolas (p. 304) - 9. Card. Ioannes Henricus Newman (p. 304) - 10. Augustus Rosckovány (p. 304) - 11. Iacobus M. Aloysius Monsabré (p. 305).

Appendix I: De scriptis Marianis Aatholicorum 306

Appendix II: De Revelationibus privatis circa B. Virginem 317

PARS TERTIA
DE PRINCIPIIS FUNDAMENTALIBUS MARIOLOGIAE

I.	DE PRINCIPIO PRIMARIO MARIOLOGIAE	324
II.	DE QUIBUSDAM PRINCIPIIS SECUNDARIIS MARIOLOGIAE	338
1)	De principiis secundariis universalibus	338
1.	<i>De principio singularitatis seu transcendentiae</i>	339
2.	<i>De principio convenientiae.</i>	351
3.	<i>De principio eminentiae seu comparationis cum aliis Sanctis</i>	358
4.	<i>De principio analogiae seu similitudinis cum Christo.</i>	363
2)	De principiis secundariis particularibus	370
1.	<i>De principio recirculationis</i>	370
2.	<i>De principio consociationis</i>	373
3.	<i>De principio solidaritatis.</i>	375

PARS QUARTA
BREVIS HISTORIA MARIOLOGIAE

	<i>Historiae Mariologiae momentum</i>	383
	<i>Historiae Mariologiae divisio</i>	384
I.	PRIMA PERIODUS: A TEMPORIBUS APOSTOLORUM USQUE AD CONCILIUM EPHE- SINUM.	
1.	Ab Apostolis ad Concilium Nicaenum	384
2.	A Concilio Nicaeno ad Concilium Ephesinum	387
II.	SECUNDA PERIODUS: A CONCILIO EPHESINO AD PROTESTANTES.	
1.	A Concilio Ephesino ad saec. XII.	387
2.	A saec. XII usque ad aetatem Protestantium	390
III.	TERTIA PERIODUS: A TEMPORE PROTESTANTIUM USQUE AD DEFINITIONEM DOGOMATICAM IMMACULATAE CONCEPTIONIS.	
1.	A tempore Protestantium usque ad Iansenistas	391
2.	A tempore Iansenistarum usque ad definitionem dogmaticam Immaculatae Conceptionis	393
IV.	QUARTA PERIODUS: A DEFINITIONE DOGMATICA IMMACULATAE CONCEPTIONIS AD DIES NOSTROS	396

FINITO DI STAMPARE IL 3 MAGGIO 1947
NELLA TIPOGRAFIA POLIGLOTTA VATICANA